Antonii Dadini Alteserrae antecessoris olim Tolosani Opera omnia Tomus VI. De fictionibus juris libri septem. Quibus accessit solemnis praelectio ad l. cum societas, D. pro socio [-Tomus VII. Brevis et enucleata expositio in Institutionum Justiniani libros quatuor]. Cura et sumtibus Michaelis Marotta jurisconsulti et in supremis Neapolitanis tribunalibus causarum patroni. Editio prima Neapolitana. - [S.l.] : [s.n.], 1777. - 2 t. en 1 vol.(XXIV-139-[1 bl.] ; XXVIII-314 p.) Index pour le 7^{e} tome

Antonii Dadini Alteserrae antecessoris olim Tolosani Opera omnia tomus VI. De fictionibus juris libri septem. Quibus accessit solemnis praelectio ad l. "cum societas", D. "Pro socio". Cura et sumptibus Michaelis Marotta jurisconsulti et in supremis Neapolitanis tribunalibus causarum patroni.....[I]

Liminaria.....[I]

[Page de titre].....[I]

[Préface] : Erudito lectori Michael Marotta.....III

Specimen errorum.....V

[Préface] : Praefatio editionis Halensis lectori benevolo salutem Jo. Fridericus Eisenhart JC.....XVII

[Dédicace] : Ilustrissimo viro Guillelmo de Lamoignon principi senatus Parisiensis.....XXI

[Préface] : Argumentum operis. Lectori juris studioso.....XXIII

De fictionibus juris tractatus primus.....[1]

Caput I. Cui bono introductae sint fictiones. Quid sit fictio. Ea non admittitur contra naturam et possibilitatem rei.....[1]

Caput II. Fictionis potestas ea est, ut quandoque veritati praevaleat.....2

Caput III. Fictiones locum habent in iis, quae sunt juris, non etiam in iis, quae sunt facti. Saepius occurrunt in jure civili, sed raro jus canonicum eas admittit.....3

Caput IV. Quid fictio a praesumptione differat.....5

Caput V. Quid fictio differat a simulation.....5

Caput VI. Duae vel plures fictiones in eadem re concurrere possunt.....6

Caput VII. Ex fictionibus aliae versantur in personis, aliae in rebus, aliae in tempore, aliae in loco, aliae in actionibus. Quaedam earum exempla, quae circa personas versantur.....6

Caput VIII. Adoptio est fictio juris, quae naturam imitator.....7

Caput IX. Legitimati per subsequens matrimonium, fictione juris pro legitimis habentur.....8

Caput X. Fictione legis pater et filius sunt una et eadem persona : sicut et fratres in ejusdem patris potestate constitute.....9

Caput XI. Jure civili, fictione et commento legis liberi emancipati extraneorum jure censentur. Quid intersit inter liberos naturales et adoptivos cum emancipantur.....10

Caput XII. Quinam dicantur sui heredes. Fictio juris quandoque prodest liberis in patria potestate constitutis, quandoque nocet.....11

Caput XIII. Suus heres fictione juris non desinit esse heres, quamvis se abstineat.....12

Caput XIV. Fictione legis exheredati pro mortuis habentur.....13

Caput XV. Filiusfamilias jure civili nec personam nec statum habet, nec quidquam sibi acquirit, sed patri, quia fictione legis eadem est persona cum patre.....13

Caput XVI. Fictione juris servi pro nullis et mortuis habentur.....14

Caput XVII. Deportatus fictione legis pro mortuo habetur.....15

Caput XVIII. Sicut et is, cujus bona publicata sunt : qui capitis damnatus est, etiam antequam poena affectus sit ; testator, qui nomen heredis vel scribere, vel articulate nuncupare non potest ; professus monachus ; manumissus. Liberi bello amissi pro superstitibus habentur.....17

Caput XIX. Lex aliquando fingit res quasdam inanimatas esse personas, puta monasterium, jacentem hereditatem, universitatem.....18

Caput XX. Fictione juris heres una et eadem persona videtur cum defuncto. Plures correi unius loco habentur.....20

Caput XXI. Eadem fictio saepius inducit confusionem aut commixtionem personarum.....21

Caput XXII. Confusione per aditionem hereditatis facta, velut solutione, tollitur naturalis et civilis obligatio.....22

Caput XXIII. Figmento juris evenit, ut major pars universitatis habeatur pro universis : et quandoque, ut unus solus personam totius universitatis sustineat.....22

Caput XXIV. Fictione juris tam vir, quam uxor, uterque censetur dominus ac possessor dotis, mulier jure naturali, maritus fictione juris civilis.....23

Caput XXV. Pupillus, furiosus, prodigus nec velle, nec nolle creduntur in his, quae animi judicio fiunt.....24

Caput XXVI. Testamentum inofficiosum rescinditur eo colore, quasi testator non sane mentis fuerit tempore testamenti.....25

De fictionibus juris tractatus secundus.....27

Caput I. Res quaedam non esse finguntur, quae tamen re vera sunt.....27

Caput II. Vicissim res quaedam adhuc esse finguntur, licet extinctae sint.....28

Caput III. Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur.....29

Caput IV. Rem in bonis habere intellegitur, qui habet actionem ad eam adipiscendam.....30

Caput V. Fictione juris evenit, ut cepisse non videatur, qui mox alii restituturus est..30

Caput VI. Partibus subinde mutatis, res eadem esse intelligitur, si species seu forma non sit mutata, ut videre est in refecta domo vel navi, in grege instaurato, in mutatis civibus collegis aut judicibus.....31

Caput VII. Utilitatis causa placuit civitatibus, municipiis, collegiis, alliisve corporibus, vel etiam usumfructum testamento relinqui posse. Ea quandoque finguntur mori, numquam vero ecclesia.....32

Caput VIII. Dignitas nunquam mori fingitur.....33

Caput IX. Fictione juris res quaedam inanimatae mori et nasci dicuntur, ut peculium : et suas aetates habere, ut regna et imperia.....33

Caput X. Etiam fictione juris lis, domus, parietes, unguenta mori dicuntur.....34

Caput XI. Fictione juris peculium est velut patrimonium filiifamilias aut servi.....35

Caput XII. Res incorporales fictione legis quasi possidentur.....35

Caput XIII. Fictione juris quidquid acquirit filiusfamilias aut servus, illud statim patri vel domino acquirit : quoad hoc quid inter utrumque intersit.....36

Caput XIV. Eadem fictione possessio defuncti quasi juncta descendit ad heredem, eique prodest ad implendam usucapionem a defuncto coeptam.....36

Caput XV. Fundus dotalis non desinit esse dotalis, etiam soluto matrimonio quoad restitutus sit : sicut et ager novalis semper novalis intelligitur quoad exemptionem a decimis.....37

De fictionibus juris tractatus tertius.....38

Caput I. Imaginarii contractus juris vinculum non obtinent, et quinam illi dicantur....38

Caput II. Plures actus legitimi fiebant olim per aes et libram, ut testamenta, donationes : actio in rem per vim civilem : cretio per saltationem et percussionem digitorum : manumissio per alapam, circumductionem, et pileum : operis novi nuntiatio per jactum lapilli : usurpatio per fractionem surculi : licitatio per digitum : antestatio per aurium attrectationem : electio per manum porrectam.....39

Caput III. Fictitia emptio venditio valet, cum actus sumit a lege vim emptionis et venditionis, ut in aestimatione litis et dotis : in datione in solutum : in divisione bonorum inter heredes : aliquando etiam in societate.....42

Caput IV. Utilitatis causa receptum est, ut possessio acquiri possit per imaginariam traditionem : puta per retentionem ususfructus : per traditionem instrumentorum : per conductionem rei venditae : per traditionem clavium : per appositionem custodis : per obsignationem rei venditae : per scientiam et patientiam domini in rebus incorporalibus. Possessio Ecclesiae acquiritur per funem campanae, aut per tactum serae seu pessuli.....44

Caput V. De fictione brevis manus.....45

Caput VI. Quaedam res non sunt in commercio, et tamen cum universitate transferuntur in heredem vel emptorem, quasi majori parti accedant. Mandata jurisdictione, concessa videntur ea, sine quibus explicari non potest jurisdictio. Cum minor creatur praetor, habetur quasi major. Quaedam tacite excipiuntur, licet excepta non sint.....46

Caput VII. Quasi contractus nascuntur ex tacita conventione et figmento legis.....47

Caput VIII. Societas involuntaria cum coherede et collegatario : quasi societas cum colono partiario. De tacita reconductione. Maritus uxoris procurator ex tacito mandato. De tacita emancipatione. Favore reipublicae inchoatio operis habet vim promissionis.....49

Caput IX. Quaedam habent vim taciti pacti : puta redditio chirographi, non etiam redditio pignoris quoad sortem : ratio differentiae inter utrumque. Servitutis instrumentis servo datis aut corruptis, libertas data intelligitur. Crematis indictionum tabulis, reliqua vectigalium remissa. Qui per triennium minores usuras accepit, majores remisisse creditur. Qui nullas per longum tempus accepit, eas etiam omnino remisisse videtur.....50

Caput X. De tacita hypotheca : quibus ea competat.....51

Caput XI. De dote : quasnam fictiones ea recipiat.....52

Caput XII. De tacita stipulatione duplae, vel doli. De evictione.....54

Caput XIII. Possessio fictionem aliquando recipit. Quidam fictione legis pro possessoribus habentur.....54

Caput XIV. Intestati hereditas, non tam a lege, quam a testatore, tacite relinquitur. Substitutio directa in codicilis (sic pour codicillis) facta, fictione legis trahitur ad fideicomissum. Legata ab herede relicta, debentur a substituto, quasi tacite repetita. Idem in fideicommissis a coherede relictis. Fictione legis hereditas a fisco adita habetur, ut statim restitutio fiat.....55

Caput XV. Fictione legis acceptilatio vim solutionis habet, sicut et confusio, novatio, praescriptio, remissio.....56

Caput XVI. De coacta voluntate. Praesentia principis supplet testes.....57

Caput XVII. Fictiones admittuntur etiam in judiciis.....58

Caput XVIII. De substitutione pupillari, et de jure accrescendi. Qui semel est heres, nunquam desinit esse heres.....58

De fictionibus juris tractatus quartus.....60

Caput I. Fictione legis aliquando tempus posterius retro trahitur ad antecedens, ut in donatione patris, matris, et uxoris : et in ratihabitione.....60

Caput II. Aditio hereditatis retro trahitur ad tempus mortis : agnitio et repudiatio legati : jus accrescendi.....61

Caput III. Conditio casualis existens retro trahitur ad tempus contractus, distractus, et testamenti.....62

Caput IV. Tempus retro trahitur etiam in sententiis judicum, in operis novi nuntiatione, in cautione damni infecti, in actione legis Aquiliae.....62

Caput V. Conditio pro impleta habetur, si per eum, cujus interest non impleri, stet quominus impleatur, aut per eum, in cujus persona implenda est : sicut et ea, quae omnino extitura est.....63

Caput VI. De fictione legis Corneliae.....64

Caput VII. De tempore, quod tacite inest obligationibus.....64

Caput VIII. Obligatio fidejussoris retro trahitur ad principalem obligationem. Non absque fictione est, ut fiscus et mulier prioribus creditoribus praeferantur. Inter collegatariis non est praelationi locus.....65

Caput IX. Missio unius creditoris in possessionem bonorum debitoris, prodest ceteris creditoribus, quasi omnes missi fuerint. Sicut dominus in eo, quod ei debetur a servo, praefertur omnibus servi creditoribus, quasi eos omnes praevenerit : ita et fiscus ceteris creditoribus praefertur, quasi pignoris causam praevenerit.....66

Caput X. Jus suitatis est mere fictitium. Hereditas non adita non transmittitur ad heredem. Agnitio fideicommissi conditionalis cum ipsa conditione retrotrahitur.....66

Caput XI. Pacta in continenti bonae fidei contractibus adjecta, tacite insunt contractui, ut illius partem faciant. Partus nondum editus, habetur quasi portio viscerum matris. In interdicto utrobi quaenam sit major pars anni : quaenam sit major pars diei. Actiones perpetuae dicuntur, quae 30 annorum spatio praescribuntur.....67

De fictionibus juris tractatus quintus.....68

Caput I. De fictione postliminii.....68

Caput II. Fictio postliminii locum habet non modo in personis, et servis, sed etiam in ceteris rebus animatis et inanimatis.....69

Caput III. Cum in pluribus locis sepultum est corpus, solus ille locus sit religiosus, in quo reconditum est caput.....70

Caput IV. In praescriptione longi temporis quis intelligitur praesens, aut absens.....70

Caput V. Legato fundo, quae ibi casu occurrunt, legata non intelliguntur.....71

Caput VI. Fictiones in verbis, et in locutione.....71

De fictionibus juris pars secunda complectens VI et VII tractatum. Auctore Antonio Dadino Alteserra.....[73]

[Dédicace] : Illustrissimo viro domino D. Guillelmo de Lamoignon principi senatus Parisiensis.....75

De fictionibus juris tractatus sextus.....77

Caput I. Jus repraesentationis introductum fictione juris.....77

Caput II. Furiosus pro absente habetur. In furioso manent quasi voluntatis reliquiae. Absens per contumaciam pro praesenre (sic pour praesente) babetur (sic pour habetur). Mortuus pro absente habetur. Qui Romae militant, habentur pro absentibus reipublicae causa.....79

Caput III. Servi pro mortuis habentur. Servus manumissus novus homo videtur. Manumissus pro mortuo habetur. Servus in metallum damnatus et restitutus, novus homo videtur esse.....80

Caput IV. Pater et filius pro una et eadem persona habentur. Magistratus municipales, licet sint duo, pro uno habentur. Duo vel plures correi pro uno habentur. Hereditas jacens personam defuncti sustinet. Heres scriptus, dum deliberat de adeunda hereditate, pro herede habetur. Heres scriptus, qui omittit hereditatem ex testamento, ut succedat ab intestato, habetur pro herede ex testament.....81

Caput V. Usufructus videtur quotidie constitui et legari. Manumissione contrahitur quasi societas inter patronum et libertum. In judicio de poena quasi transigitur. Absens per contumaciam suo calculo damnatus videtur. Minor 25 annis restitutus pro confesso habetur. In beneficialibus et nuptialibus causis minor pro majore habetur...83

Caput VI. Servi habent peculium conniventibus oculis domini. Si ancilla contra legem venditionis prostituta libertatem adepta sit, emptor videtur manumisisse. Alienis nummis redemptus fit liber, quasi suis nummis redemptus. Capite minutus alius homo incipit esse.....84

Caput VII. Libertus donatus jure annulorum aureorum, vivit quasi ingenuus, moritur quasi libertus. Servi adscripti glebae sunt quasi pars praedii. Fructus pendentes pars fundi videntur. Major pars habetur pro toto. Liberi adoptivi non habent jus naturalium.....85

Caput VIII. Adoptio naturam imitatur. Emancipatus a patre senatore est quasi senatoris filius. Liberi suscepti ex injustis nuptiis, quasi vulgo nati. Ante pubertatem potens coitus, pro pubere habetur. Statuliber quoad quaedam pro libero habetur.....86

Caput IX. Pignus novari non videtur, nec matrimonium solvi, quod statim redintegratur. Donare videtur qui rem pro derelicto habet. Publiciana datur ei qui usucapere coepit, quasi usuceperit.Qui vectigal solvit fisco, succedit in locum fisci quasi cessis actionibus. Poena committitur in solidum, si factum sit individuum. Si mulier intercedendi causa pignus dederit, pignus distractum pro non distracto habetur.....87

Caput X. Filiifamilias militis duae sunt hereditates : una castrensium, altera paganorum. Si filiusfamilias miles intestatus decesserit, ejus peculium non obvenisse patri, sed non abscessisse creditur. Res quae sunt apud hostes, veniunt in judicium familiae erciscundae propter spem postliminii. Evicta hereditate per querelam inofficiosi hereditas non adita videtur. Res usucapta videtur ab eo qui occasionem usucapionis praebuit.....88

Caput XI. In castrensi peculio magis spectatur veritas, quam fictio. Captus ab hostibus et redemptus, fit servus redemptoris : sed si post mortem patris pretium redemptori offerat, suus heres patri existit, quia redemptio retroagitur, dominium retro adquirirur (*sic* pour adquiritur). Pignus tacite contrahitur. Partus, qui est in utero, pro nato habetur.....89

Caput XII. Reversus ab hostibus postliminio recipit omnia jura. Servus fugitivus furtum sui facere videtur. Partus ancillae, qui est in utero, pro jam nato habetur. In actione furti furtum factum intelligitur, cum res pretiosior fuit.....90

Caput XIII. Tutor in rebus pupilli pro domino habetur. Mutus, surdus, furiosus, infans, pro absentibus habentur. Canonici, qui sunt in obsequio episcopi, et absentes studiorum causa, pro praesentibus habentur. Peculium est quasi patrimonium servi. Jus regaliae non admittit possessionem per procuratorem.....91

Caput XIV. Fructus pendentes pars fundi videntur. Bonae fidei possessor, quoad fructus percipiendos pro domino habetur. Qui litis aestimationem praestitit, pro emptore habetur.....92

Caput XV. Damnatus capitali judicio, statim pro mortuo habetur. In criminalibus appellatio extinguit judicatum. Damnatus in metallum fit servus poenae. Servi pro mortuis fere habentur. Constante matrimonio deportatae mulieri, postea soluto matrimonio, datur actio de dote, quasi nata ante deportationem.....93

Caput XVI. Dotis causa perpetua fingitur. Patri datur actio injuriarum nomine filii, quia injuria patri facta videtur. Stipulationi de dote reddenda soluto matrimonio, non est locus ficto divortio. Non valet permutatio beneficii cum beneficio de pertica.....94

Caput XVII. Filius a senatore in adoptionem datus plebejo, quasi senatoris filius habetur. Senatores, licet in urbe domicilium habeant, et ibi unde oriundi sunt domicilium habere videntur. Conditio tacita inest fideicommisso, si sine liberis. Proconsul provinciam ingressus intelligitur ob necessariam moram in itinere. Officium proconsulis durat in adventum successoris, quia unus magistratus intelligitur. Pater non videtur habere liberos in potestate, qui ipse est in potestate patris.....95

Caput XVIII. Emancipatio tacita. Libellus oblatus principi pro lite contestata habetur. Possesio immobilium pro satisdatione est. Praetor dum cognoscit, an sua sit jurisdictio, non videtur jus dicere in causa sua. Creditor pignus distrahere viderut (*sic* pour videtur) consensu debitoris. Cum incapaci legatur, ut restituat capaci, submota persona incapacis, statim ab herede legatum videtur capaci. Mutua delicta quasi compensantur.....96

Caput XIX. Variae fictiones in nominibus.....98

Caput XX. Jurisconsulti usi fictitiis Caii, Seii, L. Titii, Sempronii, nominibus.....100

De fictionibus juris tractatus septimus.....102

Caput I. Nihil actum videtur, ubi non jure actum est. Servus communis ab uno ex dominis in solidum defendi debet noxali judicio, quasi totus unius esset. Quae fiunt eodem die, eodem tempore fieri videntur. Obligatione generali res praesentes et futurae obligari videntur. Servitute cognatio amittitur, quia servitus morti comparatur. Res abesse videtur, cui pretium abest. Non videtur possidere, qui possessionem retinere non potest. Rem in bonis habere videtur, qui habet actionem ad rem assequendam. Ex delicto quasi ex contractu nascitur actio.....102

Caput II. Ususfructus pars dominii habetur. Tutor datus filio, si plures sint filii, omnibus datus videtur. Incapax fit capax per capacem. Cessio servitutis est facti, non retroagitur. Agnitio, vel repudiatio legati retroagitur. Dos vel donatio propter nuptias confertur, quia videtur non abscessisse a bonis patris. Adsessores sunt portio magistratus.....104

Caput III. Capti ab hostibus postliminio reversi fictione postliminii recipiunt omnia jura sua. Ob furtum familiae unica poena praestatur, quia unum factum intelligitur. Condictio indebiti datur quasi ex mutuo. Legatum ademptum, nec datum videtur. Respublica pro pupillo habetur. Tutor quoad curam pro domino habetur. Ratihabitio retro trahitur. Donatio inter virum et uxorem, ubi morte confirmatur, retro trahitur. In poenis sententia non retro trahitur. Jusjurandum pro solutione est.....105

Caput IV. Resolutio venditionis ex pacto similis est redhibitioni. Captivitate usucapio interrumpitur, nec postliminio retroagitur. Possessio defuncti quasi continuata prodest heredi. Lite contestata cum domino ex furto servi, de furto quasi transactum videtur cum domino. Res non videtur reddita, quae deterior redditur.....107

Caput V. Quod pater nubenti filiae dat simpliciter, in dotem dari videtur. Promissioni dotis inest tacita conditio, si nuptiae sequantur. In contractibus quod agi solet, pro cauto habetur. Qui per errorem dotem restituit, quam ex pacto retinere potuit, potest eam deducere judicio familiae erciscundae, vel eam repetere condictione indebiti. Si convenerit, ut mortua filia sine liberis dos patri redderetur, tacite actum videtur, ut mortua filia superstitibus liberis, dos remaneret apud maritum. Soluto matrimonio dotis actio communis est patri et filiae, quasi jure societatis in causa dotis. Tacitus consensus in quibusdam idem operatur quod expressus. Dos videtur pervenisse ad patrem, quasi potentiorem. Res ex dote comparatae non sunt dotales, sed quasi dotales.....108

Caput VI. Aditio hereditatis est vice solutionis et compensationis. Aditio hereditatis est quasi contractus. Manumissio servi dotalis consentiente uxore valet vice donationis. Praescriptio interrumpitur lite contestata, quasi desinente possessione. Qui jure familiaritatis fundum vicini ingreditur, non videtur possidere. Non videtur possidere, qui non potest retinere possessionem.....109

Caput VII. Qui sciens sumptus facit in re aliena, non repetit, quia donasse videtur. Qui rem vindicat, non videtur statim possessioni renuntiare. Ususfructus non constituitur in his rebus, quae usu consumuntur, sed quasi ususfructus remedio cautionis. Adjudicatio, quae fit unius rei, quae commode dividi non potest, est similis emptioni

et permutationi. Praestatio aestimationis est similis emptioni. Transactio est vice permutationis.....110

Caput VIII. Solutio facta ab uno ex fidejussoribus, est quasi nominis emptio. Delegatio vice solutionis est, etiam si delegatus debitor non sit solvendo. Hereditas jacens defuncti personam sustinet.....111

Caput IX. Dominus solvendo pro servo praeposito alicui negotiationi, videtur pro eo fidejussisse in ceteris causis. Confusio habet vim solutionis. Fidejussor, in quem pignora data ob solutionem translata sunt, non est emptoris, sed creditoris loco. Locus contractus esse videtur, ubi pecunia solvenda est. Peculium non intelligitur, nisi deducto eo quod patri vel domino debetur. Filiusfamilias pro patrefamilias habetur in quibusdam causis.....112

Caput X. Quod evincitur, in bonis nostris non habetur. Aqua pluvia nocere videtur, quae nocere potest. Legatum relictum principi, mortuo principe ante diem legati cedentem, transmittitur ad successorem, quia princeps semper vivere intelligitur. Furiosus pro absente et quiescente habetur. Servi fugitivi dicuntur furtum sui facere. Quaedam sunt fata causarum. Remissio non est donatio, sed transactio. Pecunia dicitur sterilis, quia natura sua non parit usuram.....113

Caput XI. Interdictum seu judicium possessorium dicitur momentum, quia summarie expediri debet. Servus communis duorum, vel plurium, est singulorum pro partibus indivisis. Condictio indebiti soluti nascitur quasi ex mutuo. Creditores, qui passi sunt servum necessarium heredem institutum omnia pro herede gerere, et ab eo usuras sortis acceperunt, videntur iisse in creditum. Cessionarius actionum fit quasi procurator in rem suam. Servus non tenetur ex gestis ante servitutem, quia alius homo videtur esse. Modicum dicitur quod honoris causa datur. Paupertatis appellatione intelligitur hereditas.....115

Caput XII. Impensae necessariae servantur per retentionem dotis, vel rei commodatae vice pignoris. Res vendita retinetur vice pignoris, quoad pretium solvatur. Per procuratorem actio mutui mihi adquiritur, quia ego credidisse videor. Depositum custodiae causa ad modicum tempus in manu mea esse videtur. Opera est loco pretii. Societas leonina, in qua unus totum lucrum fert, damnum non sentit. Ancilla pro prostituta habetur, si venditor sinat prostitui. Si servus ex pacto non manumittatur ad diem, pro manumisso habetur.....116

Caput XIII. Manumissio similis est morti. Emancipatio similis est morti patris. Divisio fit tacita emptione, et permutatione partium. Interdum concursus fictionum admittitur. Fructus veniunt a lite contestata ex mora ficta. Legatum relictum principi debetur successori. Bonae fidei possessor quoad fructus percipiendos pro domino habetur. Qui indebitos nummos sciens accipit, quasi furtum facit. Colonus, qui fructus clam deportat, quasi fur furti tenetur.....117

Caput XIV. Fictio legis Corneliae in lege Falcidia. Si penus legata sit, et si non praestetur decem, quid sit in legato. Fructus pendentes sunt pars fundi. Qui est in utero, pro nato habetur, ut sibi prosit.....118

Caput XV. Unum est testamentum patris et filii, licet duae sint hereditates. In testamento patris et filii una falcidia detrahitur, quasi ex una hereditate. Is qui

simpliciter adiit hereditatem, tenetur in solidum creditoribus et legatariis, quia adeundo videtur contrahere cum his. Legata relicta ab instituto debentur a substituto, quasi tacite repetita. Portio deficientis adcrescit coheredi cum onere quasi tacite substituto. Tacita substitutio vulgaris inest pupillari, et vicissim pupillari inest tacita vulgaris. Fideicommissum debetur, quasi aes alienum.....120

Caput XVI. Si creditor debitori heres extiterit, aditione confunditur obligatio, et actio : sed semel extincta restituitur, si sit locus falcidiae. Expromissio magis videtur solutio, quam donatio. Compensatio fit ipso jure. Abesse videtur quod debetur. Lex Falcidia locum habet in testamento ejus qui apud hostes decessit, fictione legis Corneliae. Interdum obligatio confusa aditione hereditatis restituitur fictione juris. Qui habet pretium, rem habere videtur.....121

Caput XVII. Substitutio habetur pro institutione conditionali. Hereditas solvendo esse intelligitur, quae heredem invenit. Annua legata, in perpetuum legata videntur. Liberatione legata debitori, etsi non sit solvendo, quod debetur computatur in ponenda ratione falcidiae, quia capere videtur, quod liberatur. Quid spernit quod datur, conditionis implendae causa, non potest detrahere quartam, quia videtur quartam accepisse vel remisisse.....122

Caput XVIII. Tradito pignore debitor id possidere intelligitur quoad quaedam. Servus communis, duorum servorum personam sustinet. Pupilli et furiosi quasi voluntas. Locatio et conductio tacite repetitur. Captis pignoribus ex causa judicati, quasi transactum videtur. Interdum mutuum retroagitur.....123

Caput XIX. Pignus remittitur tacito consensu. Usufructuarius non possidet, sed quasi possidet. Ea quae sunt facti, non recipiunt fictionem. Adrogatio species est successionis. In criminalibus appellatio extinguit judicatum. Pecunia tacita, pecunia certa, pecunia incertis nominibus credita. Judex quibusnam casibus litem suam facit.....124

Caput XX. Filius est portio patris. Damnati in metallum sunt servi poenae. Redempti ab hostibus pignore tenentur redemptori. Princeps pro privato habetur in jure capiendi ex testamentis alienis. Si res vendita vel donata sit a Principe, vendita vel donata videtur a domino. Feminae erant in perpetua tutela, quasi impuberes. Actiones non tolluntur tempore, sed quasi remittuntur. Tabellio servus publicus. Legatus proconsulis, semel mandata jurisdictione, quasi propria fungitur.....125

Antonii Dadini Alteserrae, antecessoris Tolosani solemnis praelectio. Ad legem "Cum societas" 69 D. "Pro socio" habita pro scholis instaurandis die 19 octobris 1656.....127

Index capitum.....132

Antonii Dadini Alteserrae antecessoris olim Tolosani Opera omnia tomus VII. Brevis et enucleata expositio in Institutionum Justiniani libros quatuor. Cura et sumtibus Michaelis Marotta jurisconsulti et in supremis Neapolitanis tribunalibus causarum patroni.....[I]

Liminaria.....[I]

[Page de titre].....[I]

[Préface] : Erudito lectori Michael Marotta.....III

Specimen errorum.....V

[Dédicace] : Illustrissimo viro domino dom. Joanni Baptistae Colberto regi cristianissimo (sic pour christianissimo) ab intimis consiliis fisci praefecto, regiorum operum archicuratori, Baroni de Seignelay, etc.....XXII

Elenghus librorum et capitum hujus operis.....XXIV

Index alphabeticus eorumdem librorum et capitum.....XXVI

In librum primum.....1

Caput I. De justitia et jure.....1

Caput II. De jure naturali gentium, et civili.....2

Caput III. De jure personarum.....7

Caput IV. De ingenuis.....9

Caput V. De libertinis.....11

Caput VI. Quibus ex causis manumittere non licet.....14

Caput VII. De lege Fusia Caninia tollenda.....16

Caput VIII. De his qui sunt sui, vel alieni juris.....17

Caput IX. De patria potestate.....18

Caput X. De nuptiis.....20

Caput XI. De adoptionibus.....24

Caput XII. Quibus modis jus patriae potestatis solvitur.....28

Caput XIII. De tutelis.....31

Caput XIV. Qui tutores testamento dari possunt.....32

Caput XV. De legitima agnatorum tutela.....35

Caput XVI. De capititis deminutione.....36

Caput XVII. De legitima patronorum tutela.....38
Caput XVIII. De legitima parentum tuela.....39
Caput XIX. De fiduciaria tutela.....39
Caput XX. De Atiliano tutore.....40
Caput XXI. De auctoritate tutorum.....43
Caput XXII. Quibus modis tutela finitur.....46
Caput XXIII. De curatoribus.....47
Caput XXIV. De satisdatione tutorum et curatorum.....51
Caput XXV. De excusationibus.....53
Caput XXVI. De suspectis tutoribus.....61
In Institutionum Justiniani librum secundum.....65
Caput I. De rerum divisione et adquirendo rerum dominio.....65
Caput II. De rebus corporalibus et incorporalibus.....93
Caput III. De servitutibus praediorum.....94
Caput IV. De usufructu.....98
Caput V. De usu et habitatione.....101
Caput VI. De usucapionibus et longi temporis praescriptionibus.....103
Caput VII. De donationibus.....108
Caput VIII. Quibus alienare licet vel non.....112
Caput IX. Per quas personas cuique adquiritur.....114
Caput X. De testamentis.....118
Caput XI. De militari testamento.....125
Caput XII. Quibus non est permissum facere testamentum.....129
Caput XIII. De exheredatione liberorum.....132
Caput XIV. De heredibus instituendis.....136
Caput XV. De vulgari substitutione.....142
Caput XVI. De pupillari substitutione.....145

Caput XVII. Quibus modis testamenta infirmentur.....149
Caput XVIII. De inofficioso testamento.....151
Caput XIX. De heredum qualitate et differentia.....153
Caput XX. De legatis.....156
Caput XXI. De ademptione legatorum.....167
Caput XXII. De lege Falcidia.....167
Caput XXIII. De fideicommissaria hereditate et ad senatusconsulto Trebelliano.....169
Caput XXIV. De singulis rebus per fideicommissum relictis.....175
Caput XXV. De codicillis.....176
In Institutionum Justiniani librum tertium.....178
Caput I. De hereditatibus quae ab intestato deferuntur.....178
Caput II. De legitima agnatorum successione.....181
Caput III. De senatusconsulto Tertylliano.....184
Caput IV. De senatusconsulto Orphitiano.....186
Caput V. De successione cognatorum.....188
Caput VI. De gradibus cognationum.....190
Caput VII. De successione libertorum.....191
Caput VIII. De assignatione libertorum.....192
Caput IX. De bonorum possessionibus.....192
Caput X. De adquisitione per adrogationem.....196
Caput XI. De eo cui libertatis causa bona addicuntur.....196
Caput XII. De successionibus sublatis quae fiebant per bonorum venditionem.....197
Caput XIII. De obligationibus.....198
Caput XIV. Quibus modis re contrahitur obligatio.....199
Caput XV. De verborum obligationibus.....203
Caput XVI. De duobus reis.....207
Caput XVII. De stipulatione servorum.....208

Caput XVIII. De divisione stipulationum.....209
Caput XIX. De inutilibus stipulationibus.....211
Caput XX. De fidejussoribus.....219
Caput XXI. De litterarum obligationibus.....222
Caput XXII. De obligationibus ex consensu.....223
Caput XXIII. De emptione et venditione.....223
Caput XXIV. De locatione et conductione.....226
Caput XXV. De societate.....230
Caput XXVI. De mandato.....234
Caput XXVII. De obligationibus quae quasi ex contractu nascuntur.....238
Caput XXVIII. Per quas personas nobis obligatio adquiritur.....240
Caput XXIX. Quibus modis obligatio tollitur.....241
In Institutionum Justiniani librum quartum.....245
Caput I. De obligationibus quae ex delicto nascuntur.....245
Caput II. De vi bonorum raptorum.....251
Caput III. De lege Aquilia.....252
Caput IV. De injuriis.....254
Caput V. De obligationibus quae quasi ex delicto nascuntur.....257
Caput VI. De actionibus.....259
Caput VII. Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur.281
Caput VIII. De noxalibus actionibus.....284
Caput IX. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.....285
Caput X. De iis per quos agere possumus.....286
Caput XI. De satisdationibus.....288
Caput XII. De perpetuis et temporalibus actionibus.....290
Caput XIII. De exceptionibus.....292
Caput XIV. De replicationibus.....295

Caput XV. De interdictis.....296
Caput XVI. De poena temere litigantium.....301
Caput XVII. De officio judicis.....303
Caput XVIII. De publicis judiciis.....308

ANTONII DADINI ALTESERRÆ

ANTECESSORIS OLIM TOLOSANI

OPERA OMNIA

TOMUS VI.

1061 S

DE FICTIONIBUS JURIS

LIBRI SEPTEM.

Quibus acceſſit ſolemnis prælectio ad *l. cum ſocietas, ff. pro ſocio.*

CURA ET SUMTIBUS

MICHAELIS MAROTTA

Juriſconſulti & in ſupremis Neapolitanis tribunalibus cauſarum patroni.

Bibliothèque

EDITIO PRIMA NEAPOLITANA. M DCC LXXVII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Source : BIU Cujas



Source : BIU Cujas

ERUDITO LECTORI

MICHAEL MAROTTA.

PRodit nunc ex typis meis ſextus hic tomus operum ANTONII DADINI ALTESERRÆ, quo celeberrimus tractatus *de fictionibus juris* continetur, & quidem ex editione Pariſienſi annorum M DC LIX & M DC LXXIX deſcriptus. In hoc opere edendo eamdem diligentiam, quam in tomis præcedentibus, adhibui. Scilicet ipſos fontes adivi, ut leges & canones ab auctore citatos invenirem. Contuli etiam inſerta fragmenta ſcriptorum Græcorum, quorum opera habere licuit: itemque loca Latinorum, quæ ſenſum idoneum exhibere non videbantur.

Fateor, in autographo Pariſienſi non adeo multi errores in ſyntaxi & in recta ſcribendi ratione inventi ſunt, adeout tractatus iſte in hac parte, præ antecedentibus operibus jam impreſſis, emendatior videri poſſit. Sed majori numero in citationibus legum ſe obtulerunt menda. Eorum multa in ipſo contextu emendavi, & quo lector intelligeret aliquid fuiſſe correctum, hoc † ſignum adjeci. Pleraque vero mendoſa, ut erant in autographo, reliqui, appoſitis notis in marginibus, ſimiliter † ſignum præferentibus.

Source : BIU Cujas

Quod vero occurrerunt leges, quæ ad auctoris argumenta probanda parum facere mihi visæ sunt, religio mihi fuit in illis aliquid immutare, præsertim quod inter temporis angustias non licuit eas diligentius expendere: utile vero duxi lectorem hoc *) signo admonere, ut ipse melius deliberaret. Et quod spectat ad aliquot auctorum veterum loca, quæ mendosa videbantur, quæque conferre non licuit, vel quia autographi deessent, vel quia ob falsas citationes nec indicibus evolutis inventa sunt, nihil immutavi: tantum hoc adjecto signo **) lectorem admonere non neglexi. Ut vero lectoris commodo magis inservirem, in legibus ejusdem tituli ab auctore laudatis, quæ eadem voce incipiebant, & in similibus paragraphis ejusdem legis, numerum adjunxi: sicut adjeci paragraphum cujusque legis, ex quo auctoris argumentum probabatur, quo lector evolvendi molestia liberaretur.

Jam editio hujusce tractatus ad finem properabat, cum casu ad manus incidit catalogus librorum, qui in taberna libraria *Josephi Porcelli* venales extabant. In eo hunc titulum legi: *Alteserræ (Antonii Dadini) de fictionibus juris, editio nova, accurante Joanne Friderico Eisenhart jureconsulto, & antecessore in academia Julia Carolina. Halæ & Helmstadii* M DCC LXIX. Vix hoc titulo inspecto animo pæne concidi, & totus confusione occupatus fui. Probe sciebam, Germanos esse laboris patientes, & vel ipsas res difficillimas labore & patientia posse expedire. Hinc statim in animum induxi, jurisconsultum, qui ad recudendum dictum opus intenderat, eamdem, quam ego collocaveram, diligentiam adhibuisse, sed exitu longe feliciore. Et ita ne tamquam plagiarius apud doctos haberi vellem, tota editio mihi supprimenda videbatur, & de novo sub prelo submittere: nam quis non dixisset, innumeras emendationes a me factas, & præsertim multas ad margines adpictas notas, me alienæ industriæ debuisse? Bibliopola libellum jam vendiderat, ideoque totus in id incubui, ut illum ad manum haberem: nec requievi usque dum eruditus juvenis ALCIMIRUS LUCCIUS, qui libellum emerat, ejus copiam mihi fecerit.

Statim evolvere & legere cœpi: & inter evolvendum animus, jam depressus, sensim se erexit. Nempe animadverti, Germanum jurisconsultum nullam in edendo tractatu de

fictio-

Source : BIU Cujas

fictionibus juris operam posuisse, sed, elucubrata præfatione, quæ eruditione plena & non ineleganter scripta est, tantum editori concessisse, ut sub suo nomine libellus prodiret, quo editio in majori pretio haberetur. Etenim in ipsa Halensi editione, præter errores, quos in edendis libris vix licet evitare, menda, quibus Parisiensis editio scatebat, occurrunt omnia, & etiam parum idonea interpungendi methodus, præsertim in legum citationibus, superstitiose exhibetur. Veri namque speciem non habet, eximium jurisconsultum, & in academia Julia Carolina antecessorem, in ipso opere legendo vel ex vestigio & sine librorum ope non observasse aliquas ex multis legibus, & unum etiam ex tot pandectarum & codicis titulis, in quibus primo obtutu errores occurrebant: nec observasse errores ipsos in jure, qui per negligentiam aut editoris ignorantiam in Parisiensi editione inveniuntur. Quod tam ex notis marginalibus in hac mea editione adpictis, quam ex collectis exemplis, & inferius subjectis, nullo negotio intelligitur.

Sed præfationem, ab jureconsulto Germano Halensi editioni præmissam, in hac mea collocandam esse duxi: quod a me plane postulabat honor, tum ipsi auctori, tum integræ Germanorum genti debitus.

Specimen errorum, qui ex Parisiensi in Halensem editionem transfusi sunt.

Edit. Paris.	*Edit. Halens.*	*Edit. mea.*
l. lege Cornelia, ff. de vulg. & pupil. pag. 2. lin. 9. & 10.	*l. lege Cornelia*, pag. 2. lin. 14.	*l.* † *lex Cornelia*, pag. 1. lin. 14.
d. l. in bello, §. *facta*, pag. 7. lin. 7.	§. *facta*. pag. 8. lin. 11.	§. † *facti*, pag. 3. lin. 8. ab infra.
l. 1. §. 2. . . . *ff. de capit. minut.* ibid. lin. 22.	*l.* 1. §. 2. pag. 9. lin. 2.	*l.* † 2. §. 2. pag. 4. lin. 3.
l. Pamphilo. §. *Seiæ*. *ff. de instruct. vel instrum. legat.* pag. 10. lin. 6. & 7.	*l. Pamphilo*. §. *Seiæ*. pag. 11. lin. penult.	*l.* † *Sejæ*, §. *Pamphilæ*, ibid. lin. 6. ab infr.
l. 3. C. *plus valet quod agitur*. pag. 12. lin. 11. & iterum lin. 13. atque iterum lin. penult.	*plus valet quod agitur*. pag. 14. lin. 11. 14. & ult.	*plus* † *valere quod agitur*, pag. 5. lin. 10. 8. & 2. ab infr.

Source : BIU Cujas

Edit. Pariſ.	*Edit. Halenſ.*	*Edit. mea.*
l. is qui. ff. de adopt. pag. 17. lin. 2.	*l. is qui.* pag. 20. poſt. cap. lin. 3.	*l.* † *ſi is qui*, pag. 7. poſt cap. lin. 2.
l. cum bonis. ff. de adq. hæred. pag. 21. lin. 14. & iterum in par. ſecunda pag. 3. lin. 1.	*l. cum bonis.* pag. 25. lin. 11. & pag. 207. lin. 11.	*l.* † *eum bonis*, pag. 9. poſt cap. lin. 17. & 18. & pag. 78. lin. 9.
l. 2. §. prius autem. ff. de vulgar. & pupillar. l. paterf. de priuil. credit. . . . l. patris. ff. eod. . . . l. ſi quis cum. ff. eod. pag. 23. lin. 4. & 5. lin. 7. & 9.	eodem modo *pag. 27. lin. 9. & 10. 13. 14. & 15.*	*l. 2. §. prius autem, ff. de vulgar. & pupill. l. paterf. de privil. credit. . . l. patris, ff.* † *eod. de vulgar. . . l.* † *ſi quis eum, ff. eod. de vulgar.* pag. 10. lin. 9. 10. 11. 12. 13.
l. liberos, ff. ſi tab. teſtam. nullæ extab. pag. 25. lin. 3. & 4.	*l. liberos*, pag. 29. lin. 4. ab infr.	*l.* † *liberi*, pag. 11. lin. 1. & 2.
§. reſtituta. inſt. de fideic. hæred. pag. 29. lin. 20. & 21.	*§. reſtituta.* pag. 35. lin. 14.	*§.* † *& Neronis*, pag. 12. lin. 5. ab infr.
l. ſi poſt mortem. §. exhæredati. ff. de bonor. poſſeſſ. contr. tab. pag. 30. poſt. cap. lin. 14.	*§. exhaeredati*, pag. 36. lin. 14.	*§.* † *liberi*, pag. 13. poſt cap. lin. 9.
l. cùm Prætor. §. vlt. ff. de iudic. pag. 35. lin. 12.	*§. vlt.* pag. 42. lin. 6.	*§.* † 2. pag. 15. lin. 7.
l. legatus. ff. de adim. legat. pag. 36. lin. 3. & 4.	*l. legatus.* pag. 43. lin. 1. & 2.	*l.* † *ſervus legatus*, ibid. lin. 21.
l. ſi quis filio, §. irritum. ff. de iniuſt. rupt. pag. 41. lin. 20.	*§. irritum.* pag. 49. lin. 20.	*§.* † *ſed & ſi quis*, pag. 17. poſt. cap. lin. 13.
l. Deo vobis. C. de Epiſc. & Cleric. can. ſcripſit vobis. 27. qu. 1. pag. 42. lin. 19. & 20.	eodem modo *pag. 50. lin. 21. & 22.*	*l.* † *Deo nobis, C. de Epiſc. & cleric. can. ſcripſit* † *nobis*, 27. *qu.* 2. ibid. lin. antepen. & ult.
can. placuit 2. qu. 1. ibid. lin. ult.	*can. placuit 2. q.* 1. pag. 51. lin. 6. & 7.	*can.* † *placuit 2. 16. qu.* 1. pag. 18. lin. 4.
l. cùm actum. l. at quin. . . . ff. de negot. geſt. pag. 43. lin. 21. & 22.	*l. cum actum. l. at quin.* pag. 52. lin. 5.	*l.* † *eum actum, l. at qui*, ibid. lin. 20. & 21.
l. 1. *§. item ſeruus. ff. depoſit.* pag. 46. lin. 14.	*§. item ſeruus.* pag. 55. lin. 13.	*§.* † *item ſi ſervus*, pag. 19. lin. 25.
Mortuo reo promittendi, & ante hæreditatem fideiuſſor accipi poteſt, quia hæreditas perſonæ, id eſt defuncti vice fungitur, *pag. 47. lin. 3. & ſeqq.*	& ante haereditatem, &c. *pag. 56. lin. 7. & 8.*	& ante † aditam hereditatem, *ibid. lin.* 37.
l. hæres, ff. ad uſucap. ibid. lin. 19.	*ff. ad uſucap.* ibid. lin. 23.	*ff. de uſucap.* ibid. lin. 8. ab infr.
l. 1. *ff. quar. rer. act. non det.* pag. 52. lin. 25.	*quar. rer. act. non det.* pag. 62. lin. ult. & pag.	*quar. rer. act. non* † *dat.* pag. 21. lin. 8. ab infr. &

Source : BIU Cujas

Edit. Paris.	*Edit. Halens.*	*Edit. mea.*
& 26. denuo in part. secund. pag. 18. lin. 4.	224. lin. 19.	pag. 83. lin. 16. ab infr.
l. ita autem. gessisse. ff. de administr. tut. pag. 53. lin. 8.	*l. ita autem. gessisse. ff. de administr. tut.* pag. 63. lin. 11.	*l.* † *ita autem depositioni*, §. *quod si quis*, *ff. de administr. tut.* ibid. lin. ult.
l. 1. §. *cum adipisci. ff. de adquir. possess.* pag. 60. lin. 7.	§. *cum adipisci.* pag. 71. post cap. lin. 14.	§. † *furiosus*, pag. 24. lin. 4. ab infr.
l. pupillus de R. I. ibid. lin. 14.	*l. pupillus de R. I.* ibid. lin. ult.	*l.* † *pupillum* 111. *de R. J.* pag. 25. lin. 1.
l. cordi. §. sed etsi. de reb. credit. pag. 61. lin. 4. ab infr.	*l. cordi.* pag. 73. lin. 16.	*l.* † *certi conditio*, ibid. lin. 28. lege tamen, *certi condictio.*
l. Supplicius. de donat. inter vir. & vxor. pag. 62. lin. antepen. denuo pag. 73. lin. 4. ab infr.	*l. SVPPLICIVS.* pag. 74. lin. 6. ab infr. & pag. 87. lin. 4.	*l.* † *Sulpicius*, pag. 26. lin. 1. pag. 30. lin. ult.
l. 1. *& 3. C. si minor. si major. dix.* pag. 63. lin. 18.	*l.* 1. *& 3. C. si minor. se maior. dix.* pag. 75. lin. 17. & 18.	*l.* † 2. *& 3. C. si minor se major. dix.* pag. 26. lin. 14.
§. *aduersus. inst. de nupt.* pag. 64. lin. antepen.	§. *aduersus.* pag. 76. lin. 4. ab infr.	§. † *si adversus*, ibid. lin. penult.
l. 3. §. *si res. ff. commod.* pag. 66. lin. 11.	§. *si res.* pag. 78. lin. 13.	§. † *si reddita*, pag. 27. lin. ult.
l. & eleganter, §. *qui reprobos. ff. de pigner. act.* ibid. lin. 19.	*l. et eleganter*, ibid. lin. 21.	*l.* † *eleganter*, pag. 28. lin. 6.
l. Seia. §. vlt. ff. de aur. & argent. legat. ibid. lin. antepen.	§. *vlt.* pag. 79. lin. 2. & 3.	† §. 1. ibid. lin. 9.
l. 4. §. *tunc in potestate. de vsucap.* pag. 74. lin. 20.	§. *tunc in potestate.* pag. 88. lin. 4.	§. *tunc* † *in potestatem*, pag. 31. lin. 15.
can. Pontifices. 12. *qu.* 5. pag. 80. lin. 1.	12. *qu.* 5. pag. 94. lin. 13.	12. *qu.* †. 3. pag. 33. post cap. VIII. lin. 8.
l. seruum. §. incorporales. de adq. rer. dom. pag. 85. post cap. lin. 10.	*l. seruum.* pag. 101. lin. 9.	*l.* † *servus*, pag. 35. lin. 10. ab infr.
l. cum haredes. l. qui vniuersas. §. quod per colonum. ff. de adqu. possess. . . . l. denique. eodem. pag. 88. lin. 16. & seqq.	eodem modo *pag.* 104. *post cap. lin.* 16. *& seq.*	*l. cum heredes*, *l. qui universas*, §. *quod per colonum*, *ff. de adqu. possess. . . . l. denique*, † *eodem ex quib. caus. maj.* pag. 37. lin. 4. & seqq.
l. vlt. C. de SS. Eccles. ibid. lin. antepen.	*l. vlt.* pag. 105. lin. 3.	*l.* † *ut inter* 24. ibid. lin. 9.
Artemidor. lib. 11. cap. 15. *pag.* 96. *lin.* 13. *& 14.*	lib. 11. cap. 15. *pag.* 113. *lin.* 14.	lib. † 2. cap. 15. pag. 40. lin. 34.
§. *item si pater. inst. de oblig. quæ quasi ex contr.*	§. *item si pater.* pag. 121. lin. 15.	§. † *item si inter*, pag. 43. lin. 16.

Source : BIU Cujas

Edit. Pariſ.	Edit. Halenſ.	Edit. mea.
pag. 102. lin. antepen. *l. quarumdam, ff. de adqu. rer. poſſeſſ.* pag. 106. lin. 4. & 5. Poſſeſſio non ſola prehenſione corporali adquiritur, ſed & oculis & aſpectu, *ibid. in fin. ad pag.* 107.	*ff. de adqu. rer. poſſeſſ.* pag. 125. lin. 13.	*ff. de adqu. poſſeſſ.* pag. 44. lin. 12. ab infr.
	ſed et oculis et aſpectu, *pag. 126. lin.* 13.	ſed & oculis & † affectu, *pag.* 45. *lin.* 5.
l. qui negotia. §. mandat. l. 9. *§. nihil autem intereſt. l. ſi ſeruus. §.* 1. *ff. de adqu. rer. dom.* pag. 108. lin. 2. & ſeqq.	*ad litteram*, pag. 127. poſt cap. lin. 7. & ſeq.	*l. qui negotia*, in princ. *verſ. nec huic, ff. mandati, l.* 9. &c. ibid. poſt cap. lin. 4. & ſeq. ubi etiam nota marginalis.
l. videamus. ff. ſi cui pluſquam. l. Falcid. pag. 109. lin. penult.	*ff. ſi cui plusquam. l. Falcid.* pag. 129. lin. ult.	*ff. ſi cui plus, quam* † *per l. falcid.* pag. 46. lin. 12.
Cap. quarto de iudic. pag. 110. lin. 11.	*cap. quarto de iudic.* pag. 130. poſt cap. lin. 10. & 11.	*cap.* † *quanto, de judic.* ibid. poſt cap. lin. 7.
l. ex maleficiis. §. tutelæ. ff. de obligat. & act. pag. 112. poſt. cap. lin. 8. & ſeq. *d. l. ex maleficiis. §. hæres.* pag. 113. lin. 19. & ſeq. *d. l. ex maleficiis. §. is quoque.* pag. 114. lin. 18. *d. l. ex maleficiis. in pr.* pag. 116. lin. 10. & iterum *l. ex maleficiis. §. heres. de obligat. & act.* in part. ſecund. pag. 89. lin. 3.	ipſiſſimis verbis, pag. 133. lin. 4. pag. 134. lin. 13. pag. 135. lin. 19. pag. 137. lin. 18. & pag. 303. lin. 19.	*l.* † *ſi quis abſentis*, &c. pag. 47. poſt. cap. lin. 6. & 27. pag. 48. lin. 9. & antep. & penult. & pag. 109. lin. 8. ab infr.
l. 6. §. ſi pactus. ff. mandat. pag. 117. lin. 15. & 16.	*§. ſi pactus.* pag. 139. lin. 3.	*§.* † *ſi paſſus*, pag. 49. lin. 20.
l. eum qui. C. de uſur. pag. 119. lin. 14.	*l. eum qui.* pag. 141. lin. 13.	*l.* † *eos qui*, pag. 50. lin. 23.
l. ſenatus. §. 1. *ff. de legat.* 1. pag. 125. lin. 1.	*§.* 1. pag. 148. lin. 5.	*§.* † *ult.* pag. 52. lin. 37.
l. 4. *§.* 1. *de pact.* pag. 126. lin. 10.	*§.* 1. pag. 149. lin. 19.	*§.* † 2. pag. 53. lin. 13.
l. ex ſcriptura. §. 1. *ff. qui teſtam. fac.* pag. 133. lin. 21.	*l. ex ſcriptura.* pag. 158. lin. 8.	*l.* † *ex ea ſcriptura*, pag. 56. lin. 9.
l. ſeruo alieno. §. ſed ſi inter. ff. de legat. 1. ibid. lin. ult.	*§. ſed ſi inter.* ibid. lin. 16.	*§.* † *ſed ſi pater*, ibid. lin. 14.
l. autem. C. ad Vell. pag. 136. lin. 14.	*l. autem.* pag. 161. lin. 16. & 17.	*l.* † *etiam*, pag. 57. lin. 15.
Reſtituta hæreditate hæ-		

ces

Source : BIU Cujas

Edit Pariſ.	*Edit. Halenſ.*	*Edit. mea.*
res rogatus liberatur, & actiones transferuntur in fideicommiſſum, &c. *ibid. lin.* 20. *& ſeq.*	& actiones transferuntur in fideicommiſſum; *pag.* 161. *lin.* 22. *& ſeqq.*	& actiones transferuntur in † fideicommiſſarium; *ibid. lin.* 19. *&* 20.
l. cœpta . . . . de vſucap. pag. 143. lin. antepen.	*l. coepta*. pag. 170. lin. 9.	*l.* † *cœptam*, pag. 61. poſt cap. lin. 14.
l. 5. §. *idem fideiuſſori. de inſtit. act.* pag. 153. lin. antep.	§. *idem fideiuſſori*. pag. 181. poſt cap. lin. 5.	§. † *item fidejuſſori*, pag. 65. lin. 3. & 4. poſt cap.
l. ſi duo. §. *ſed & ſi rem. de ſolut.* pag. 154. lin. 9. & 10.	§. *ſed et ſi rem*. pag. 182. lin. 9.	§ † *ſed & ſi reus*, ibid. lin. 11.
l. cum pater. §. *fidei ſuæ. de legat.* 2. pag. 155. lin. 1.	§. *fidei ſuae*. pag. 183. lin. 4.	§. † *fidei tuæ*, pag. 66. lin. 7.
l. 1. §. *ſciendum*. *ff. quod in fraud. cred.* ibid. poſt cap. lin. 10.	*l.* 1. §. *ſciendum*. *ff. quae in fraud. cred.* ibid. lin. antepen.	*l.* † 6. §. *ſciendum*, *quæ in fraud. credit.* ibid. poſt cap. IX. lin. 5.
l. ſi. is qui mihi. de iur. fiſc. pag. 156. lin. 8.	*l. ſi. is qui mihi* pag. 184. lin. 17.	*l.* † *ſi qui mihi*, ibid. lin. 18.
§. *ſed ſi ab hoſtibus. inſt. quibus mod. ius patr. poteſ. ſolu.* pag. 160. lin. 6. & 7.	§. *ſed ſi ab hoſtibus.* pag. 189. lin. 6.	§. † *ſi ab hoſtibus*, pag. 68. lin. 5.
l. illa inſtitutio, §. *his qui apud hoſt. ff. de hæred. inſtit.* ibid. lin. penult. & ult.	§. *his qui apud hoſt.* pag. 190. lin. 3.	§. † *is qui apud hoſtes*, ibid. lin. 13.
l. 1.... *de V. S.* pag. 165. lin. 9. & 10.	*l.* 1. pag. 195. lin. 2.	*l.* † 2. pag. 70. lin. 10. ab infr.
l. 4. §. *abeſſe*. *ff. de damn. infect.* ibid. lin. 11. & 12.	§. *abeſſe*. ibid. lin. 5.	§. † *prætor ait*, *verſ. abeſſe*, ibid. lin. 8. ab infr.
l. 11. §. *furioſus*. *de iur. codicill.* ibid. lin. 21. & 22.	*l.* 11. ibid. lin. 15.	*l.* † 2. ibid. lin. ult.
l. Seiæ. §. *Pamphilæ*. *ff. de inſtr. & inſtrum. legat.* pag. 166. lin. 14. & 15.	*de inſtr. et inſtrum. legat.* pag. 196. lin. 13.	*de inſtr.* † *vel inſtrum. legat.* pag. 71. lin. 14.
l. ſi quis ſocietatis. h. tit. pag. 175. lin. 14. & 15.	*l. ſi quis ſocietatis*. pag. 366. lin. 20.	*l.* † *ſi quis ſocietatem*, pag. 129. lin. 24.
l. 5. §. *idem Labeo. de in rem verſ.* pag. 179. lin. 10.	*de in rem verſ.* pag. 371. lin. 10.	† *de inſtit. act.* pag. 130. lin. 13. ab infr.
l. annonam. *infra de extraord. cognit.* ibid. lin. 4. ab infr.	*de extraord. cognit.* ibid. lin. ult.	*de* † *extraord. crimin.* ibid. lin. antepen.

Source : BIU Cujas

Edit. Pariſ.	Edit. Halenſ.	Edit. mea.
	IN PART. II.	
l. cum ita. §. in fideicommiſſo. de legat. 2. pag. 4. lin. 14.	*l. cum ita.* pag. 209. lin. 5.	*l.* † *omnia*, pag. 78. lin. 35.
l. 3. §. *ſi duo. de legit. tutel.* ibid. lin. antepen.	*l.* 3. §. *ſi duo. ff. de legit. tutel.* ibid. lin. 18. & 19.	*l.* 3. §. † *ſed ſi aliquis, de legit. tutor.* lin. 11. ab infr.
l. ſed ſi cuius. §. filiof. ff. de iniur. pag. 6. lin. 1.	*l. ſed ſi cuius.* pag. 211. lin. 1.	*l.* † *ſed ſi unius*, pag. 79. lin. 5.
l. 3. §. *pen. de iur. codicill.* ibid. lin. 6.	*l.* 3. ibid. lin. 6.	*l.* † 2. ibid. lin. 8.
l. ſi cum. §. dotem. §. item pater. ſolut. matrimon. ibid. lin. ult.	*l. ſi cum. §. dotem. §. item pater.* pag. 212. lin. 3. & 4.	*l.* † *ſi cum dotem*, §. *item pater*, ibid. lin. 21.
l. ſi maritus. §. ſed ſi quis. de adulter. pag. 8. lin. 18. & 19.	§. *ſed ſi quis. ff. de adulter.* pag. 214. lin. 3. & 4.	§. † *quod ſi quis, ff. ad L. J. de adult.* pag. 80. lin. 9.
l. cum actum. de negot. geſt. pag. 10. lin. 1.	*l. cum actum.* pag. 215. lin. 13. & 14.	*l.* † *eum actum*, ibid. poſt cap. lin. 14.
l. 1. §. *ſi cum ſerui. ſi quid in fraud. patron.* ibid. lin. 2.	§. *ſi cum ſerui.* ibid. lin. 14.	§. † *ſi cum ſervo*, ibid. ead. lin.
l. aut damnum. in fin. de pœn. pag. 11. lin. 15.	*l. aut damnum. in fin.* pag. 217. lin. 6.	*l. aut damnum*, †. §. 12. pag. 81. lin. 10.
l. ſi hominem. §. ſi duo. de ſolut. pag. 13. lin. 12. & 13.	*l. ſi hominem.* pag. 219. lin. 4.	*l.* † *qui hominem*, ibid. poſt cap. lin. 18. & 19.
l. 1. §. *ſi is qui teſt. liber. eſſe juſſ. eſt.* pag. 14. lin. 8. iterum, pag. 27. lin. 16. *juſſ. eſt.*	eodem modo, *pag.* 220. *lin.* 3. *&* *pag.* 235. *lin.* 12. *&* 13.	*l.* 1. §. † 1. *ſi is, qui teſt. liber eſſe juſſ. erit.* pag. 82. lin. 6. & pag. 87. lin. 7. & 8.
l. denique. §. ult. quod vi aut clam. d. pag. 14. lin. 12. & 13.	§. *ult.* d. pag. 220. lin. 8.	§. † 5. d. pag. 82. lin. 9.
l. hereditas. cum §. ult. l. præc. de adquir. hered. pag. 15. lin. 6. & 7.	*ff. de adquir. hered.* pag. 221. lin. 6. & 7.	† *de acquir. rer. dom.* ibid. lin. 23. & 24.
l. poſtquam. ut leg. ſerv. nom. cau. ibid. lin. 11. & 12.	*ff. ut leg. ſeru. nom. cau.* ibid. lin. 12.	† *ut leg. ſeu fideic. ſervand. cauſ. caveat.* ibid. lin. 27.
l. 3. *de cap. minut.* pag. 21. lin. 7. ab infr.	*l.* 3. pag. 228. lin. 6. ab infr.	*l.* † 1. pag. 84. lin. antepen.
l. eum qui. de ſolut. ibid. lin. 5. ab infr.	*l. eum qui.* ibid. lin. 4. ab infr.	*l.* † *cum quis*, ibid. lin. pen.
l. duo ex tribus. de judic. pag. 23. lin. 23. & 24.	*ff. de iudic.* pag. 231. lin. 4.	† *de re judic.* pag. 85. lin. 14. ab infr.
l. ſi itaque. §. ult. de legat. 2. pag. 24. lin. pen. & ult.	*l. ſi itaque.* pag. 232. lin. 10.	*l.* † *ſi ita quis*, pag. 86. lin. 7.

Eman-

Source : BIU Cujas

Edit. Pariſ.	*Edit. Halenſ.*	*Edit. mea.*
Emancipatus eſt quaſi Senatoris filius. pag. 25. in ſummar. cap. lin. 1. & 2.	*Emancipatus eſt quaſi Senatoris filius.* ibid. in ſumm. cap. lin. 1. & 2.	*Emancipatus a patre ſenatore eſt quaſi ſenatoris filius.* ibid. in ſumm. cap. lin. 1. & 2.
l. cùm qui. 2. §. *qui ſibi. de V.O.* ibid. lin. 5. ab infr.	*l. cum qui.* pag. 233. lin. 8.	*l.* † *eum qui*, ibid. poſt cap. lin. 9.
l. edictum. §. *ult. de ſtatuliber. l. ſtatuliber. de quæſt.* pag. 27. lin. 9.	*l. edictum.* §. *vlt. ff. de ſtatu liber. l. ſtatu liber. ff. de quaeſt.* pag. 235. lin. 3. & 4.	*l. edictum*, §. *ult.* † *l. ſtatuliber*, *de quæſt.* pag. 87. lin. 3.
l. quod ſi velit. de jur. dot. pag. 28. lin. pen. & ult.	*l. quod ſi velit.* pag. 236. lin. 15. & 16.	*l.* † *quod ſi non*, ibid. poſt. cap. lin. 9.
l. filius qui. §. *caſtrenſium. de bon. libert.* pag. 31. lin. 7. & 8.	§. *caſtrenſium.* pag. 239. lin. 6.	§. † *Papinianus*, pag. 88. poſt cap. lin. 5.
l. debitori. de pact. pag. 32. lin. 6. ab infr.	*l. debitori. ff. de pact.* pag. 240. lin. 14.	*l. debitori*, † *C. de pact.* ibid. lin. 8. ab infr.
l. reſcriptum. §. *alienâ de diſtract. pignor.* pag. 33. lin. 4.	§. *aliena*, ibid. lin. pen. & ult.	§. † *ſi aliena*, ibid. lin. pen. & ult.
l. quod dicitur. §. 2. *de teſt. milit.* pag. 34. lin. 5.	§. 2. pag. 242. lin. 5.	§. † 1. pag. 89. lin. 12.
l. rem quæ nobis. de adquir. rer. domin. pag. 38. lin. 15. & 16.	*ff. de adquir. rer. domin.* pag. 246. lin. 19. & 20.	† *de acquir. poſſeſſ.* pag. 90. lin. 10. ab infr.
l. ult. §. *Proculus. de his quæ in fraud. cred.* ibid. lin. 23. & 24. & iterum, atque iterum pag. 114. lin. 11. & 12. & lin. 18.	*de his quae in fraud. cred.* pag. 247. lin. 5. pag. 332. lin. 21. & 22. pag. 333. lin. 3.	† *quæ in fraud. cred.* ibid. lin. 4. ab infr. pag. 119. lin. 24. & 29.
l. qui proprio. §. 1. *de procur.* pag. 40. lin. 4.	§. 1. pag. 248. lin. 4.	§. † 2. pag. 91. poſt cap. lin. 3.
l. qui fundum. §. *ſi tutor pro empt.* pag. 41. lin. 6. & 7.	§. *ſi tutor pro empt.* pag. 249. lin. 15.	§. † *ſi tutorem, pro empt.* ibid. poſt cap. lin. 16.
l. ejus rei. de vindicatione. pag. 45. lin. antepen.	*ff. de vindicatione.* pag. 254. lin. 11.	*de* † *rei vindicat.* pag. 93. lin. 11.
l. ſervum. de ſtat. homin. pag. 48. lin. 11. & 12.	*l. ſeruum.* pag. 257. lin. 8.	*l.* † *ſervus*, pag. 94. lin. 7.
l. 5. *de bon. damnat.* ibid. lin. 17. & 18.	*l.* 5. ibid. lin. 14.	*l.* † 3. ibid. lin. 11.
l. conſtante. §. *ult. ſolut. matrimon.* ibid. lin. 18.	*l. conſtante.* ibid. ead. lin.	*l.* † *ſi conſtante*, ibid. lin. 12.
l. qui falſum. §. 1. *ad l. Cornel. de falſ.* pag. 50. lin. 12.	*l. qui falſum.* pag. 259. lin. 16.	*l.* † *qui falſam*, ibid. lin. 6. ab infr.

Perpetuæ actiones dicun-

Source : BIU Cujas

Edit. Paris.	*Edit. Halens.*	*Edit. mea.*
tur quæ ex constitutionibus tolluntur præscriptione xxx. vel xl. annorum, *l. sicut in rem. l. cum notissimi. C. de præscript.* 30. *ann.* & actio supposiți partus nulla temporis præscript. extingui fingitur, *l. qui falsum. §. 1. ad l. Cornel. de falsi.* quia non angustiori tollitur præscriptione, quam tricenaria, *l. querela. C. eod.* ibid. lin. 7. & seqq.	quia non angustiori tollitur praescriptone, quam tricenaria, *ibid. lin.* 17. *& seq.*	quia non angustiori tollitur præscriptione, quam † vicenaria; *ibid. lin.* 5. *ab infr.*
l. Senatores. l. emancipatum. de Senator. pag. 52. lin. ult.	*l. Senatores.* pag. 262. lin. 3.	*l.* † *Senatoris*, pag. 95. post cap. lin. 2.
l. 2. C. quand. libell. oblat. Princip. . . . & l. 2. C. quand. libell. Principi oblat. pag. 57. lin. 4. & 5. & lin. 8. & 9.	ad litteram, *pag.* 266. *lin. antepen. & pag.* 267. *lin.* 2. & 3.	*l.* † 1. *C. quand. libell. Princip. datus . . . & l.* 2. *C. quando libell. Princip.* † *datus.* pag. 97. lin. 9. & 12.
l. testamento. de test. tutel. §. 1. *Inst. eod.* pag. 58. lin. 13.	§. 1. *Inst. eod.* pag. 268. lin. 12.	§. 1. *inst. eod.* † *de satisdat. tutor.* pag. 97. lin. 33.
l. 5. *de accusat.* pag. 59. lin. 7. ab infr.	*l.* 5. *de accusat.* pag. 270. lin. 1.	*l.* 5. † *de public. judic.* pag. 98. lin. 5. & 6.
& mulier viri lenocinio adulterata, nihil ex dote retinet: cur enim improbet maritus mores, quos ipse aut corrupit, aut probavit, *pag.* 60. *lin.* 7. *& seqq.*	sic etiam *ibid. lin.* 15. *& seqq.*	& † cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur: cur enim improbet maritus mores, quos ipse aut corrupit, aut probavit? *ibid. lin.* 14. *&* 15.
non tenetur edicto *ne quis eum qui in jus vocatur . . . . l.* 1. *§. Offilius. ne qui eum qui in jus vocat. vi eximat.* ibid. lin. 13. & seqq.	ad litteram *ibid. lin.* 21. *& seqq.*	non tenetur edicto *ne quis eum qui in jus* † *vocabitur . . . . l.* 1. *§. Offilius, ne quis eum, qui in jus* † *vocabitur, vi eximat;* ibid. lin. 17. & seqq. ut habetur in Florentin. nam in vulgata dicitur, *in jus vocatus est.*
Cujac. 10. *obs.* 19. *&* 10. *ob.* 10. pag. 62. lin. 8. & 9.	*et* 10. *obs.* 10. pag. 272. lin. 6. ab infr.	*&* †. 11. *obs.* 10. ibid. lin. ult.
l. cum hic status. §. si post divortium. de don. int. vir. & uxor. pag. 63. lin. 20. & 21.	*§. si post divortium.* pag. 274. lin. 13.	§. † *quod si divortium*, pag. 99. lin. 27.

Source : BIU Cujas

Edit. Pariſ.	*Edit. Halenſ.*	*Edit. mea.*
l. ult. §. pen. ne quis eum qui in jus vocat. vi exim. pag. 70. lin. 22. & 23.	eodem modo pag. 282. lin. 23. & ſeq.	*l.* † *pen. §. 2. ne quis eum, qui in jus vocabit. vi exim.* pag. 103. lin. 2. & 3.
l. ſi fundum. §. ult. de pignorib. pag. 71. lin. 15. & 16.	*l. ſi fundum. §. ult.* pag. 283. lin. 15. & 16.	*l.* † *ſi fundus. §. pen.* ibid. lin. 14.
l. Mœvius. §. ult. de legat. 2. pag. 73. lin. 6. ab infr.	*l. MAEVIVS. §. ult.* pag. 286. lin. 5. & 6.	*l.* † *Mœvius, §. pen.* pag. 104. lin. 3. & 4.
l. omnes. C. Th. de iis quæ adminiſtr. vel officium publ. gerent. tradit. ſunt. pag. 77. lin. 9. & 10.	ſic etiam *pag. 290. lin. 12. & 13.*	*l.* † *omnis, C. Th. de iis quæ adminiſtr. vel officium publ. gerent. diſtracta ſunt, vel donata.* pag. 105. lin. 26. & 27.
Cujac. 4. *obſ.* 8. pag. 80. lin. 11.	Cuiac. 4. *obſ.* 8. pag. 294. lin. 3.	Cujac. † 14. *obſ.* 8. pag. 106. lin. 19. ab infr.
l. 1. §. *ſed etſi filius. de vi & vi armat.* ibid. lin. 13.	§. *ſed etſi filius.* ibid. lin. 5.	§. † *ſed etſi, quod alius,* ibid. lin. 18. ab infr.
Cujac. 17. *obſ.* 28. pag. 81. lin. 4.	Cuiac. 17. *obſ.* 28. ibid. lin. ult.	Cujac. 17. *obſ.* † 20. ibid. lin. 6. ab infr.
cap. Abbati. de V. S. pag. 90. lin. 10. & 11.	*cap. Abbati.* pag. 305. lin. 6.	*cap.* † *abbate,* pag. 110. lin. 17.
ſi res commode dividi non poſſint, poteſt judex datus in ſolidum eam adjudicare uni, &c. *pag. 92. lin. 9. & ſeq.*	ſi res commode dividi non poſſint. &c. *pag. 307. lin. 4. & ſeq.*	ſi res commode dividi non poſſit, &c. *ibid. lin. penult. & ult.*
l. qui libertinus. §. ſi creditori. de oper. libert. pag. 94. lin. 5. ab infr.	§. *ſi creditori.* pag. 310. lin. 4.	§. † *ſed ſi creditori,* pag. 111. lin. antepen.
l. qui debitorem. de fidejuſſor. . . . . d. l. fidejuſſoribus. pag. 95. lin. 3. & 18.	eodem modo *ibid. lin. 11. & 12. & pag. 311. lin. 2.*	*l. qui debitorem, de fidejuſſor. . . d. l.* † *qui debitorem,* pag. 112. lin. 2. & 12.
l. ſi debitori. de fidejuſſ. . . . . d. l. ſi debitori. pag. 97. lin. 11. & 16.	*l. ſi debitori . . . d. l. ſi debitori.* pag. 313. lin. 2. & 8.	*l.* † *debitori. . . . d. l.* † *debitori.* ibid. lin. 5. ab infr. & penult.
Pater vel dominus conventus actione de peculio, ex perſona ſervi vel domini, prius deducit quod ſibi debetur. *pag. 98. lin. 14. & ſeqq.*	Pater vel dominus conventus actione de peculio, ex perſona ſervi vel domini, &c. *pag. 314. lin. 11. & ſeq.*	Pater vel dominus conventus actione de peculio, ex perſona ſervi vel † filii, &c. *pag. 113. lin. 17. & ſeq.*
l. 3. §. Prætor ait. Qui ſatisd. cog. pag. 99. lin. 4. & 5.	*l. 3. §. Praetor ait.* pag. 315. lin. 4.	*l.* † 2. §. *quod ait prætor* 3. ibid. lin. 28.
l. 3. §. 4. de contrar. act. tutel. pag. 102. lin. 4.	*ff. de contrar. act. tutel.* pag. 318. lin. 16. & 17.	*de contrar. tutel. & util. act.* pag. 114. lin. ante-

Source : BIU Cujas

Edit. Pariſ.	Edit. Halenſ.	Edit. mea.
& 5.		pen.
l. qui ſemiſſet. §. quæſitum. de uſur. ibid. lin. 5. & 6.	*l. qui ſemiſſet.* ibid. lin. 18.	*l.* † *qui ſemiſſes*, ibid. lin. pen.
l. Mœvius. §. duorum. de legat. 3. pag. 103. lin. 18. & *iterum* pag. 127. lin. 18.	*l. MAEVIVS. §. duorum. ff. de legat.* 3. pag. 320. lin. 8. & 9. & pag. 347. lin. 10.	*l.* † *Mœvius*, §. *ſed ſi pars, de legat.* 2. pag. 115. lin. 14. & 15. & pag. 123. lin. 4. ab infr.
l. ſervus quoque. & ſeq. l. procurator. de procur. l. qui ſtipendia. eod. pag. 104. lin. 17. & 18.	*l. ſeruus quoque. et ſeq. l. procurator. ff. de procur. l. qui ſtipendia. ff. eod.* pag. 321. lin. 13. & 14.	*l.* † *ſervum quoque, & ſeq. l. procuratore, de procurat. l. qui ſtipendia, C. eod.* d. pag. 115. lin. 8. & ſeq. ab infr.
l. 3. *C. de contrar. judic. tutel.* ibid. lin. 19.	*l.* 3. ibid. lin. 15.	*l.* † 1. ibid. lin. 6. ab infr.
l. creditor. §. ult. de furt. pag. 106. lin. 6.	*l. creditor.* pag. 323. poſt cap. lin. 6. & 7.	*l.* † *creditoris*, pag. 116. poſt cap. lin. 4.
l. ſed & ſi hac lege. §. 1. de in jus vocand. pag. 108. lin. 6. ab infr.	*l. ſed et ſi hac lege.* pag. 326. lin. 9.	*l.* † *ſed ſi hac lege*, pag. 117. lin. 20.
l. ſi Titio. §. ſi pater. famil. erciſc. pag. 110. lin. 8.	*l. ſi TITIO.* pag. 328. lin. 2.	*l.* † *ſi filia*, ibid. lin. 4. ab infr.
l. 7. *in pr. de publician. in rem act.* ibid. lin. 8. & 9.	*l.* 7. *in pr.* ibid. lin. 3.	*l.* 7. §. 1. *in pr.* ibid. lin. 3. ab infr.
l. lex Cornelia. qui teſt. fac. pag. 112. poſt cap. lin. 7.	*l. lex Cornelia.* pag. 330. lin. 4. ab infr.	*l.* † *lege Cornelia*, pag. 118. poſt cap. lin. 4.
l. 1. §. *item ſi legatum. ad leg. falcid.* pag. 113. lin. 17.	§. *item ſi legatum.* pag. 331. lin. 4. ab infr.	§. † *item ſi ita legatum*, pag. 119. lin. 8.
l. 3. *de excuſ. tutor.* pag. 116. lin. 2.	*l.* 3. pag. 334. lin. 19.	*l.* † 2. §. 8. ibid. lin. ult.
l. hoc jure. §. pen. de ſolut. pag. 120. lin. 20.	§. *pen. ff. de ſolut.* pag. 340. lin. 7.	§. † 4. *de donat.* pag. 121. poſt cap. lin. 14. & 15.
l. ſi ideo. ſolut. matrimon. pag. 121. lin. 5. & 6.	*l. ſi ideo.* ibid. lin. 6. ab infr.	*l.* † *ſed etſi ideo*, ibid. lin. 6. ab infr.
l. Neſennius. §. ſi debitor. ad leg. falcid. pag. 124. lin. 5. & ſeq. ab infr.	§. *ſi debitor.* pag. 344. lin. 17.	§. † *ſi debitori*. pag. 123. lin. 4. &5.
l. qui pignus de adquir. poſſeſſ. pag. 126. lin. 9.	*l. qui pignus.* pag. 346. lin. 8.	*l.* † *qui pignoris*, ibid. poſt cap. lin. 6.
l. poſſeſſores. §. creditor. qui ſatisd. cog. ibid. lin. 14.	*l. poſſeſſores.* ibid. lin. 13.	*l.* † *ſciendum*, ibid. lin. 9.
l. 3. §. *unde. quod legat.* pag. 129. lin. ante-pen.	*l.* 3. pag. 350. lin. 1.	*l.* † 1. pag. 124. poſt cap. lin. 9.

Source : BIU Cujas

Edit. Paris.	*Edit. Halens.*	*Edit. mea.*
§. 1. *Inst. per quas person. cuiq. adquir.* pag. 130. lin. 14.	§. 1. ibid. lin. 18.	§. † *ult.* ibid. lin. ult.
§. *an servus. Inst. de legat.* pag. 133. lin. 1. & 2.	§. *an seruus.* pag. 353. lin. 11.	§. † *an servo*, pag. 125. lin. antepen.
l. aut damnum. §. *servus. de pœn.* ibid. lin. 4.	§. *seruus.* ibid. lin. 14.	§. *servos*, ibid. lin. ult.
l. si capti. §. *ult. eod. tit.* ibid. lin. 14.	*l. si capti.* pag. 354. lin. 4.	*l.* † *si captivus*, pag. 126. lin. 6.
l. si purè. eod. tit. ibid. lin. 17.	*l. si pure.* ibid. lin. 7.	*l.* † *si patre*, ibid. lin. 7.
l. Papinianus. §. *Imperator. de inoff. testam. . . l.* 4. *C. eod.* ibid. lin. 23. & lin. antepenult.	§. *Imperator. ff. de inoff. testam. . . . l.* 4. *C. eod.* ibid. lin. 15. & 18.	§. † *si Imperator, de inoff. testam. . . . l.* 4. *C.* † *ad l. Falcid.* ibid. lin. 12. & 14.
l. legatus. de off. Proconsul. pag. 135. al. ult. lin. 6.	*l. legatus.* pag. 356. lin. 6.	*l.* † *legati*, ibid. lin. 5. ab infr.

Loca auctorum Græcorum, ex paucis in opere insertis, quæ in utraque editione corrupta exhibentur.

Edit. Paris.	*Edit. Halens.*	*Edit. mea.*
καὶ ὥσπερ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ ἀξιώματα διήρηται μὲν πρὸς ἑαυτὰ, ἥνωται δὲ τῇ δουλείᾳ. pag. 22.	eodem modo, pag. 26. præter pro ἥνωται, perperam ἕνωται.	καὶ ὥσπερ ἀδελφοὶ, τὰ ἐν τῷ κόσμῳ ἀξιώματα διήρηται μὲν πρὸς ἑαυτὰ ἥνωται δὲ πρὸς τ ζυγὸν τ δουλειας. pag. 9.
δίδουσι δὲ πενταδράχμους ἀποδόμενοι δωρεὰν γὰρ ἐν τῷ νόμῳ οὐκ ἔξω δοῦναι. pag. 93. in fine ad pag. 94.	δίδυσι δὲ πενταδράχμοις, &c. pag. 110	δίδουσι δὲ πενταδράχμους ἀποδόμενοι † δωπίνην γὰρ, &c. pag. 39.
τὰ παρὰ Ρωμαίοις ἐπὶ τῶν διαθηκῶν γινόμενα τάξιν εἴληχε· τὰ διὰ δικαιωσύνῳ ἐκεῖνα ζυγὰ, καὶ ἀπαρὰι, καρπισμοί τε, καὶ αἱ τῶν ὤπων ἐπίλαυσις· τὰ μὲν γὰρ, ἵνα δικαίως γίνηται· τὰ δὲ εἰς τὸν τ ἡμῆς μερισμὸν· τὸ δὲ, ὅπως ὁ παρατυχὼν ὡς βάρος πνὸς αὐτῷ ἐπισπεμένου, ἐσὼς ἀκούσῃ, καὶ τάξιν μεσί- τ λαβῃ· pag. 99.	τὰ παρὰ Ρωμαίος, circa reliqua ut in Parisiens. pag. 116. in fin. ad 117.	τὰ παρὰ Ρωμαίοις ἐπὶ τῶν διαθηκῶν γινόμενα τάξιν εἴληχε· τὰ διὰ δικαιοσύνῳ, ἐκεῖνα ζυγὰ, καὶ ἀπαρεια, καρπίσμοί τε, καὶ αἱ τῶν ὤπων ἐπίλαυσις· τὰ μὲν γὰρ, ἵνα δικαίως γίνηται· τὰ δὲ εἰς τὸν τ ἡμῆς μερισμὸν· τὸ δ' ὅπως ὁ παρατυχὼν ὡς βάρος τινος αὐτῷ, &c. pag. 41.

Source : BIU Cujas

Edit. Pariſ.	*Edit. Halenſ.*	*Edit. meæ.*
ἠρρώστησεν ὁ Αρχιάδης δὲ τελευτᾷ τὸν βίον, ἄγαμος ὤν, τὸ τούτου σημεῖον λουτροφόρος ἐφέστηκεν ἐπὶ τῷ τοῦ Αρχιάδου τάφῳ d. pag. 99.	ad litteram d. pag. 117.	ἠρρώστησεν ὁ Αρχιάδης καὶ τελευτᾷ τὸν βίον, ἀπόντος τῶν Μειδυλίδε, ἄγαμος ὤν, τὸ τούτου σημεῖον λουτροφόρος ἐφέστηκεν ἐπὶ τῷ τῶν Αρχιάδου ταφῳ. pag. 41. in fin. ad 42.
ὐδὲ γραμματικοῦ τὶς δέεται φιλόσοφος ὤν· pag. 170.	ut ſupra, pag, 360.	ὐδὲ γραμματικοῦ τὶς † δεῖται φιλόσοφος ὤν. pag. 127.
	IN PART. II.	
οἰωνοὶ γὰρ πατέρων ἀποθανόντων, ὑὶ οἰῶν τάξει παρὰ πάππους καθαριθμοῦνται. pag. 1.	. . . . παρὰ πεππους. Circa reliqua ad litteram. pag. 206.	υἱωνι . . . . ὑὶ υἱῶν.. &c. pag. 77.
διὰ τι τὴν νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, ὅπου, σὺ γάιος, ἐγὼ σὺ γαΐα· τοῖς δὲ ὀνόμασι τούτοις ἄλλοις κέχρηνται, καὶ λόκιον τίτιον, καὶ οἱ φιλόσοφοι Δίωνα καὶ Θέωνα παραλαμβάνουσι. *Quid cauſa eſt, quòd ſponſum introducentes, jubent dicere, ubi tu Caius, ego Caia. His autem verbis aliisve utuntur communibus, quemadmodum Jurisprudentes C. Seium & L. Titium uſurpare ſolent, Philoſophi Dionem & Theonem.* pag 66.	τούτις, circa reliqua, ut ſupra, pag. 277.	Διὰ τι τὴν νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, ὅπου σὺ Γαΐος, ἐγὼ Γαΐα . . . τοῖς δὲ ὀνόμασι τούτοις ἄλλοις κέχρηνται † κοινοῖς οὖσιν ὥσπερ οἱ νομικοὶ Γαΐον, Σηΐον, καὶ Λούκιον, Τίτιον, καὶ οἱ φιλόσοφοι Δίωνα, καὶ Θέωνα παραλαμβάνουσιν. *Quid cauſa eſt, quod ſponſum introducentes, jubent dicere, ubi tu Caius ego Caia . . . His autem verbis*, &c. pag. 100.

Errores proprii editionis meæ.

Pag. 6. in ſumm. cap. VII. & iterum poſt dict. cap. lin. 2. actionibus, actibus. p. 10. lin. 30. *l. adoptionum*, *l. adoptivum*. p. 17. lin. 2. caſus mortis mariti, caſus mariti. p. 18. lin. 24. *cap. 1. inſt. eod. inſt. eod. in princ.* p. 26. lin. pen. *ff. ſtat. hom. ff. de ſtat. hom.* p. 29. lin. 11. ab inſr. *C. utriusq. judic. C. comm. utriusq. judic.* p. 60. in ſumm. cap. *matris*, *mariti*. p. 78. lin. antep. *cap.* 30. *cap.* 38. p. 85. lin. 8. ab infr. πολῦ, πᾶν. p. 120. lin. 11. contribunntur, contribuuntur. p. 122. lin. 5. ab infr. *annna*, *annua*.

Similes, ſi qui ſunt, ex te corrige. Vale. Dabam Neapoli die IV menſis februarii M DCC LXXVII.

Source : BIU Cujas

PRÆFATIO EDITIONIS HALENSIS LECTORI BENEVOLO SALUTEM JO. FRIDERICUS EISENHART. JC.



Quantopere doctrina de fictionibus juris ingenia summorum jureconsultorum exercuerit, tot scripta, quorum sat ampla prostat seges (1), testantur, quibus eam illustrare tentarunt. Non autem inter eos, qui naturam & indolem fictionum juris exposuerunt convenit, quid de earum utilitate sentiendum sit, unde evenit, ut in diversas abeant sententias. Eas juri divino repugnare visum est ANTONIO MATTHÆI (2), qui cum nova moliretur juris fundamenta præter alia, in quibus jus civile a lege Dei deflectere existimat, hoc etiam affert: *colorem rei jus quærit, at, inquam, sermo vester sit, ita ita, non non*. In sententiam a dignitate & eruditione tanti viri alienam transiit DANIEL FRIDERICUS HOHEISEL (3), qui licet ipse fateatur, scripturam sacram eum in finem nobis promulgatam haut esse, ut & illa jurisprudentiæ doctrinas hauriamus; tamen ex aliis sacri codicis locis, ab ANTONIO MATTHÆI non adductis, fictionum juris prohibitionem evinci posse, sibi persuadet. Provocat eum in finem ad dictum PAULLI APOSTOLI *in epist. ad Romanos cap. XIV. v.* 5. ubi hæc leguntur: *quisque sententiæ suæ sit certo convictus*, & porro v. 23. *quicquid non provenit e certa convictione peccatum est*. Ex his autem sequi putat, eum peccatum committere, qui e fictione juris concludit, quia secundum hanc Apostoli doctrinam quilibet sententiæ suæ certus esse nullaque lex, sententia, defensio, doctrina fictione niti debeat. Eadem patere existimat ex loco

(1) Horum indicem sistit *Bibliothec. real. jurid. Lipeniana T.I. p.* 511.

(2) In Comment. *de fundament. alit. jaciend. disp.* 12. §. 23.

(3) In Diss. *de fictionib. jur. in cerebro jurisconsultor. natis atque e sana jurisprudent. eliminand.* §. 24.

Source : BIU Cujas

PROVERB. XVIII. v. 17. & XXII. v. 20. 21. Ibi enim dicitur: *juſtus homo ſententiæ ſuæ antea certus eſt, & talem eum deprehendit proximus ad ipſum accedens*, hic autem: *nonne Tibi iteratis vicibus præſcripſi regulas, conſilia Tibi ac doctrinas proponens, ut oſtenderem Tibi certum veritatis fundamentum.* Sed hanc ſententiam longe ineptiſſimam eſſe quisque facile intelliget. Ad eos itaque me converto, qui cum GÜNZERO (1) & STÜTZINGIO (2) pro quorum partibus quoque ALTESERRA *tract.* 1. *cap.* 3. militare videtur, juri naturali fictiones juris repugnare contendunt, pro qua ſententia ſtabilienda adducere ſolent, quod jus naturæ immutabile ſit, neque per fictionem aſſumi poſſit, ut qui colit parentes non coluiſſe, & qui non colit, coluiſſe dicatur, quia ſcilicet per rerum naturam illa præcepta mutari nequeunt. In foro enim conſcientiæ fictiones non ſpectari & naturam non gaudere ſubtilitatibus, immo jus naturæ fictionum expers eſſe ſtatuunt. Verum quidem eſt, fictiones maximam partem eſſe inventum Romanorum, & jus naturæ iis carere poſſe, ſed inde non fluit, quod juri naturali repugnent, ita ut præcepta legis naturalis ad ſui interpretationem fictiones non admittant. Exemplo nobis eſſe poteſt pupillus, qui dum jure naturali ad obſequium & reverentiam tutoribus exhibendam obligatur, filius fingitur ſicut tutor parens, & ita præceptum de honore & obſequio parentibus exhibendo ad tutorem applicari poteſt. Jus canonicum porro fictiones odio habere ALTESERRA l. c. aſſerit, idque ex conſtitutione clementina (3) apparere contendit, ubi hæc leguntur: *Quod circa religioſorum electiones ſuper diſcordia & minoritate numeri Bonifaciana conſtitutione cavetur, de diſcordia & numeri minoritate, quæ in facto non in fictione vel juris effectu conſiſtunt, debere intelligi, declaramus.* Hujus autem ſententiæ corroborandæ cauſa ad effatum INNOCENTII III. P. R. (4) provocat, qui veritatem potiorem eſſe umbra operis aſſerit. Sed quomodo ex his verbis odium colligi poſſit non video. Nihil enim aliud innuere videtur CLEMENS V. P. R. quam in religioſorum electione veram & non fictam diſcordiam & numeri minoritatem adeſſe debere, ſicut in adoptante ſecundum jus civile (5) vera generandi habilitas requiritur. Sed etiam jure canonico fictio-

(1) In Diſſ. *de fictionib. jur.* §. 6. (2) In Diſſ. *de eod. argument. cap. III.* §. 3.
(3) *Clement. 6. de election.* (4) C. 4. *X. de conſuetudin.*
(5) *L.* 40. §. 1. *D. de Adoption. & emancipat.*

Source : BIU Cujas

ctiones recipi ipse ALTESERRA l. c. concedit & exemplis docuit. Neque silentio præterire possum GOTTL. GERARDUM TITIUM jureconsultum alias acutissimum, qui totum fictionum apparatum per universam jurisprudentiam Romanam late diffusum, velut cerebri ineptientis fœtum seu talem doctrinam considerat (1), cujus non modo nulla sit utilitas & necessitas, sed & quæ non modicam arguat imprudentiam, ac non levi adficiat incommodo juris studium, dum perspicua involvat ac otiosis quæstionibus aditum patefaciat. Totam itaque fictionum doctrinam incongruam & inconcinnam esse existimat, quod cum regulis prudentiæ legislatoriæ non adeo conveniat, sed potius iis adversetur. Utilitatem enim plane nullam a fictionibus in jurisprudentiam redundare arbitratur, quia leges haut majoris sint efficaciæ, si per fictiones proponantur, neque compendiosius doceri vel disci possint adhibito fuco, quam si eæ aperte datæ fuissent. Ex his autem concludit, jurisprudentiæ parum interesse, varios fictionum eruendarum gratia colligere casus, vel laborem ab aliis eo fine susceptum continuare. Vituperat ALTESERRAM eique vehementer irridet, quod in epistola dedicatoria tractatui sexto & septimo præmissa, inter alia dixerit: *Totum corpus juris, maxime Digestorum, fictionibus, ut cælum stellulis micat: & ut in cælo recentiores Astrologi nova sidera se observasse gloriantur, quæ antiquos effugerint; mihi forte in aliqua laude erit, quamplurimas fictiones, quæ in legum visceribus latebant, adnotasse, vel jam notas collegisse, & in ordinem redegisse.* Sententiam TITII defendit suamque addidit qui illi jungendus est DAN. FRIDER. HOHEISEL (2) qui ulterius progressus est, & fictiones juris ex ignorantia juris naturalis a solis jureconsultis Romanis excogitatas & sequioribus temporibus a Glossatoribus auctas fuisse arbitratus est. Sed non tanta sunt horum virorum argumenta, ut ideo omnem usum juris fictionibus denegare debeamus. Quæ enim dubia HOHEISELIUS in primis movit, magis hujus viri ingenium produnt, quam quod veritatis speciem habeant. Nemo enim facile eas inter meras nugas & ineptias retulerit, immo nihil tenebrarum & obscuritatis in iis inveniet, quod jurisprudentiæ per eas, si recte explicentur, accreverit. Sed non patitur instituti mei ratio, ut refellendis horum virorum ratio-

(1) In Diss. *de fictionum Romanar. natur. & inconcinnitate Lipsi.* 1694.
(2) l. c.

Source : BIU Cujas

nibus immorer, quod dudum ab aliis viris eruditis factum est. In primis autem eorum obtrectationibus satisfecit TOB. JACOB REINHARTH (1). Certum enim est fictiones summa æquitate niti, cum leges docente ANTONIO SCHULTINGIO (2) non soleant eas inducere contra subtilitatem juris, sed id potius tollant, & tunc demum fictiones inducant, quando æquitati obstat veritas & ordo naturalis rerum. Prætores autem & jureconsulti, cum jus civile tollere non potuerint, ad declinandas & eludendas ejus subtilitates, ad fictiones confugerunt, quas civitatem Romanam ratas habuisse sufficiebat. Cur vero hunc libellum eruditissimi Tolosani Antecessoris ANTONII DADINI ALTESERRÆ, cujus pars prior Parisiis MDCLIX. posterior ibidem MDCLXXIX. prodiit, denuo imprimendum curaverim, quisque facile intelliget, qui cogitat e re studiosæ juventutis esse accuratam & perfectam habere variarum, quæ in jure occurrunt, fictionum notitiam, in qua indaganda plurimi quidem operam suam collocarunt, quos tamen ALTESERRA unanimi eruditorum consensu superavit. Est enim elegans hoc opusculum, ut reliqua hujus viri, cujus eruditionem & insignem in eruderandis rebus antiquis sedulitatem præter alios laudat CONRINGIUS noster (3), scripta, omni eruditionis genere refertum, ideoque ejus nova editio dudum ab eruditis viris desiderata fuit. Quo major autem est Viri hujus nominis gloria, quam sibi tot egregiis scriptis peperit, ita ut inter Galliæ Jureconsultos effulgeat, eo magis miror, quod neque TAISSANTIUS neque NICERONIUS in biographia sua vitæ ejus mentionem fecerint. Eum Tolosæ Anno MDCLXXXII. ubi Decani universitatis & Antecessoris munere functus est, supremum diem obiisse constat. Quanta intera ejus fama fuerit inde quoque adparet, quod cum sæculo superiori de jurisdictione ecclesiastica in Gallia acris orta esset contentio, ESTRÆUS ecclesiæ Romanæ Cardinalis ac Episcopus Lodunensis & FRANCISCUS HARLÆUS Episcopus Rothomagensis ejus opera in ea defendenda & clero vindicanda adversus CAROLI FEURETI (4) impugnationes usi sint. (5) Sed hæc præfaminis loco dixisse sufficiat. Tu interim Lector benevole hisce si lubet utere feliciter & vale. Dabam Helmstadii Saxonum d. X. Aprilis MDCCLXVIIII.

IL-

(1) In Progr. *de usu & non usu pract. doctrin. de fictionib.* (2) *In jurisprudent. Antejustinian. in not. ad* ULPIANI *fragm. Tit. X. n.* 5. (3) *In Antiquitat. acad. Supplement.* 37. (4) *In libr. de abusu.* (5) Vid. ejus *Vindiciæ ecclesiasticæ jurisdictionis adversus* CAROLI FEURETI *& aliorum tractatus de abusu.*

Source : BIU Cujas

ILLUSTRISSIMO VIRO
GUILLELMO
DE LAMOIGNON
PRINCIPI
SENATUS PARISIENSIS.



E Fictionibus juris libellos quinque lubens, nec ficto animo, tibi offero, PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISSIME. *Non alienum a te & ſenatoriis infulis munus; quid enim aliud iſtæ fictiones, quam juris remedia & juris prudentum ῥήματα, quibus difficiliores caſus expediuntur, & aureæ claves quibus Jurisprudentiæ ſecreta aperiuntur? Fictiones doli & fraudis expertes, non tam artis quam œconomiæ juris vincula ſunt, quæ totius juris compagem continent. Cuinam igitur rectius conveniat opus quam tibi, quem juris præſentiſſimum numen non modo ſenatus, ſed & Gallia univerſa experitur colitve; qui natus in medio jure, & purpura ſenatui non datus, ſed redditus videris? Te patronum & vindicem ab imperitorum calumniis perambiunt fictiones juris, tuum eſt eas conciliare his, apud quos minus notæ de ſolo nomine male audiunt. Tuum eſt eas juris vernaculas oſtendere, qui jus Romanum apprime noſti, & pulcherrimo id fœdere cum Francico conjunxiſti. Per te feliciter jus Romanum a multis ſæculis Francorum è finibus exulans reſtituitur, per te plebejus fere exploſus error regiam majeſtatem offendi, ſi audiatur lex Romana tanquam peregrina, & infenſa, quam victores Franci cum imperio ſuam fecere, quæve jam fere oblita reviviſcit, non ſine quopiam augurio ad nos Romanum redire imperium. Nec ſola natalium vel juris ſcientiæ commendatione deſiderandum ſe præbet tuum patrocinium, quanto deſiderabilius eſt propter juſtitiæ, & rectitudinis laudem qua potiris? Electio-*

Source : BIU Cujas

ne de te facta celebratur judicium Principis, qui te elegit, quid enim de ejus regno sperandum sit intelligimus, qui virum justum & sapientem sacra vice judicare voluit, qui dum pacis consilia inter victorias & strages hostium meditatur, virum idoneum præmisit, qui in pace jura redderet populis, & eo gratius pacis beneficium præstaret. Quam læta accessione ditantur hæ laudes, quod altiora virtutis semina surgere sentis in liberis, tot dotium quibus polles certos heredes superstes nactus. Gaude, VIR ILLUSTRISSIME, *dignitatis fastigio sub tanto Principe: gaude senatus primatu, tot inter viros lectissimos: gaude, felicissime pater, natorum prole reipublicæ magis quam tibi: & si vota mea accepta superis, in multos annos his omnibus fruere.*

AMPLITUDINIS VESTRÆ.

Lutetiæ Parisiorum, die 1. Augusti. 1659.

Observantissimus cliens
ANT. DADINUS ALTESERRA,
Antecessor Tolosanus.

Source : BIU Cujas



ARGUMENTUM OPERIS

Lectori juris ſtudioſo.



CCE *de Fictionibus juris tractatus quinque, quibus non ſegni ſtudio, ac elucubrata opera collegi, quidquid fere fictionum cadit in jus civile, his in ordinem, & certas claſſes redactis. Nec a jure abhorret fictionum titulus, nec honeſtis discrepat moribus. Ab his abeſt calliditas, dolus frausve, & quod in jure fictio dicitur, ſi verum amas, magis eſt juſta œconomia, & diſpoſitio juris, per quam juris nodi ſolvuntur, & tota æqui bonique ratio ordinatur, componitur. Non ſoli pictores & poetæ fictiones & vanæ ſimulacra ſibi artis delicias faciunt: etiam in Gentilium ſuperſtitione Diis gratæ fuere fictitiæ victimæ, & pro humanis victimis, quæ Saturno immolari ſolebant, ſimulacra hominum ſubjici, pium & humanum viſum eſt, ne in atrocitate magis, quam in pietate religio conſiſteret. Aliquando & ſpirantium victimarum vicem implerunt ſiligineæ, in celebrandis magiſtratuum comitiis placuere ficta auſpicia, & fulguris ſignum a læva miſſum conclamatum, etſi nullum datum eſſet. Etiam fictiones usquequaque non reſpuit ipſa ſacra ſcriptura, & quod perpetuum vel æternum eſt, pactum ſalis dicere maluit. Variis verborum coloribus veritatis ſacramenta inſinuavit & Chriſtus, per parabolas, & figmenta de inſrugifera ficu arefacta, de lampadibus ſponſi, de ſementis incrementis, Hypocritas apud eum audies per ſepulcra dealbata, quæ foris marmorea, intus nihil aliud quam cineres, & putredinem continent. Ita vero fictionibus ſcatet jus civile, ut ipſum juris commentitii nomine intelligatur in* l. ſi pœna, ff. de pœn. *Denique ſi publicas, & privatas res exquiramus, paſſim fictionum ſeges occurret,*

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

ait Lucil. Ego non auctoris arte & ſucceſſu, ſed propoſito & inſtituto, hoc tibi opus non ingratum fore ſpero, & juris ſtudioſis profuturum, ſi quid enim acutum & ſingulare eſt in jure, totum fere in fictionibus latet, ac velut aurum & gemmæ e terræ ſinu, e figmentorum involucris & latebris eruitur. Tot ſunt

Source : BIU Cujas

in jure fictionum ſchemata, ut unius collectoris operam & diligentiam exſuperent. A me vero tentatum, æqui bonique conſule id opus, quod multorum & peritiorum ſtudium deſiderat. Et Hotomanni voto dignum fuit, proprium ut nanciſceretur artificem, & ſi non ex aſſe impletum, tanto monitore ſusceptum juvabit. Et quod de partitionibus ſcripſit M. Tullius in topicis: Non eſſe vitioſum in re infinita prætermittere aliquid: *multo æquius in fictionibus feras velim, quæ per univerſum jus infinitæ propemodum ſparſæ, unius hominis ingenium & ſtudium facile obruunt. Mihi qualiscumque operæ non leve erit præmium, ſi quod re non valeo, præſtem exemplo, & meliores a me provocati opus adimpleant, quod me impare imperfectum relinquitur.*

Qu. Illuſtr. cap. 38.

DE FICTIONIBUS JURIS TRACTATUS PRIMUS.

CAPUT I.

Cui bono introductæ sint fictiones. Quid sit fictio. Ea non admittitur contra naturam & possibilitatem rei.



Tsi fictiones videantur abhorrentes a jure, quod est ars æqui & boni, cujus objectum est studium veritatis: & fictiones tanquam legum præstigiæ, & larvæ veritatis detestandæ sint, cum jurisprudentia sit vera, non fucata & simulata philosophia; *l.* 1. *ff. de just. & jure*: infinitæ tamen propemodum fictiones jure civili introductæ sunt optimo consilio, ut per eas perveniatur ad justum & æquum; non dispari arte a nautica, qua aversi tendunt ad portum. Fictiones scilicet sunt eximii colores, quibus veritas fucata non corrumpitur, sed potius illuminatur.

Fictio est juris constitutio, qua fingitur id contigisse quod minime contigit; vel id non evenisse quod re evenit. Ut in fictione legis Corneliæ, qua captus ab hostibus, si apud hostes decedat, fingitur decessisse primo captivitatis momento; *l. lege Cornelia, ff. qui testament. facere, l.* † *lex Cornelia, ff. de vulgari & pupil. l. in omnibus, ff. de captiv. & postl. revers.* vel in fictione postliminii, qua is, qui redit ab hostibus, fingitur nunquam fuisse apud hostes; *l. in bello*, §. *cetera, l. retro creditur, ff. eod.* §. *si ab hostibus, instit. quib. mod. jus pat. potest. solv.*

Fictiones inducuntur a jure contra rei veritatem; sed non contra naturam,

Source : BIU Cujas

vel possibilitatem rei ; Salicet. *in l. sive possidetis* , C. *de probat.* Donat. *in Eunucho : Falsum est , quo tegitur id quod factum est : vanum , quod fieri non potest : fictum , quod non est factum , & fieri potuit* . Fictiones non admittuntur contra naturam ; quinimmo juris fictio debet convenire naturæ : ut , si filius a patre emancipatus iterum adrogetur , exheredatio ante emancipationem scripta ei nocet ; quia non habetur pro adoptivo , sed pro naturali : veri patris adoptivus filius nunquam intelligitur , ne imagine , id est adoptionis commento , naturæ veritas adumbretur ; videlicet quod non translatus , sed redditus videtur ; *l. filio quem , ff. de liber. & posthum.* Et si quis in jure interrogatus , confessus sit illum esse filium suum , ex confessione obligatur , si ætas ejus patiatur illum filium suum esse . Falsa confessio naturalibus convenire debet ; *l. confessionibus , ff. de interrogat. in jure faciend.* falsa confessio rata est , si id , quod in confessionem venit , jus & naturam recipere potest ; *l. seq. ff. eod.*

Fictio juris imitatur naturam , v. g. adoptio in his personis locum habet , in quibus etiam natura potest habere ; *l. adoptio , ff. de adopt.* id est in his qui generare possunt : & qui adoptat vel adrogat , major esse debet adoptato vel adrogato ; *l. adrogato , §. 1. ff. eod.* Adoptio est fictio , inducta ad similitudinem naturæ . Adoptio est legalis optio , per quam filius quis efficitur , qui natura non est . Adoptio est imago naturæ ; *d. l. filio quem , l. cum in adoptivis* , C. *de adopt.* unde adoptionis commentum dicitur *in l. fideicommissum , ff. de condit. & demonstrat.*

Fictio juris imitatur naturam , nec potest expugnare naturæ veritatem : civilis ratio naturalia jura corrumpere non potest ; *l. eas obligationes , ff. de capit. minut. l.2. §.1.ff. de usufruct. ear. rer. quæ usu consum* . Fictio, quæ inducitur a jure , pro veritate habetur quoad juris effectum ; Bart. in *l. si is qui pro emtore , ff. de usucap.* Fictio non destruit veritatem , sed refert se ad veritatem ; Augustin. 2. quæst. evang. cap. 51. *Fictio igitur , quæ ad aliquam veritatem refertur , figura est ; quæ non refertur , mendacium est* . Unde & Donat. loco modo laudato : *Falsum loqui , culpæ est ; fictum , virtutis ; falsis decipimur ; fictis delectamur .*

Adeoque verum est ea , quæ sunt impossibilia , non recipere fictionem , ut etsi institutio facta sub impossibili conditione non vitietur ; tamem ea impossibilis conditio non fingitur esse impleta , sed pro non scripta habetur ; *l. 1. de condit. instit. l. 3. de condit. & demonstrat.*

CAPUT II.

Fictionis potestas ea est , ut quandoque veritati prævaleat .

FICTIONES inducuntur contra veritatem , quæ non est impossibilis a jure , vel natura ; & fictionis potestas ea est , ut quandoque fictio prævaleat veritati .

Ut si filius exheredatus , alio herede instituto , apud hostes decesserit , nepos ex eo præteritus rumpit testamentum ; quod moriente avo filii jus pependerit , id est in suspenso seu in pendenti fuerit , quia ex eventu pendebat an nepos suus esset , necne ; non abscisum fuerit ; *l. si quis posthumos , §. si filium , vers. & diversum , ff. de liber. & posth.* Nepos præteritus tunc demum testamentum rumpit , cum patre præmortuo fuit suus , mortis avi tempore : ut si filius exheredatus apud hostes fuerit tempore mortis patris , ibique decesserit , nepos præteritus rumpit testamentum ; quia ex eventu fuit præteritus cum suus esset : si pater apud hostes decesserit , nepos suus fuisse intelligitur , quia filius primo capti-

Source : BIU Cujas

captivitatis momento decessisse fingitur ; *l.* † *6. §. 9. ff. qui testam. fac.* Hoc casu igitur fictio potior est veritate, quia nepos suus fingitur esse tempore mortis avi, quasi patre præmortuo, cum revera adhuc esset apud hostes: & consequenter rumpit testamentum, quia præteritus est cum suus esset.

Et in fictione postliminii, fictio prævalet veritati : si captus ab hostibus redierit, omnia jura pristina recipit, & liberos retinet in potestate, quia fingitur semper in civitate fuisse ; & si apud hostes decesserit, fingitur decessisse primo captivitatis momento ; *§. si ab hostibus, instit. quib. mod. jus patr. potest. solv. l. in bello, §. si quis, §. cetera, ff. de captiv. & postlim. reverf.* Et fictio idem operatur in casu ficto, quod veritas in casu vero : ut in adoptione cum quis adoptat filium, adoptione, ut natura, filius efficitur ; *l. 1. ff. de adopt.* & cum quis jus aureorum annulorum impetravit, a tutela libertini excusatur, perinde ac ingenuus; quia pro ingenuo habetur : libertinus, qui jus annulorum impetravit, in ordinem ingenuorum transit; *l. cum ex oratione, ff. de excusat.*

Alias veritas prævalet fictioni : ut si filius emancipatus a patre, rursus ab eodem adrogetur, emancipati exheredatio ante scripta ei nocet ; quia veri, id est naturalis patris adoptivus filius nunquam intelligitur, ne imagine naturæ veritas adumbretur. Et filius emancipatus, cum rursus adrogatur, non translatus, sed redditus videtur ; *l. filio quem, ff. de lib. & posth.* Facile res redit ad suam naturam : ideoque si mulier pacta sit, ut præsenti die dos sibi redderetur, deinde pactum sit, ut tempore legibus dato, id est annua, bima, trima die dos reddatur ; dotis conditio non intelligitur pacto fieri deterior, cum dos redeat ad jus suum, quod lex naturæ ejus tribuit ; *l. si unus, §. pactus ne peteret*, vers. *quod & in specie, ff. de pact.*

† Locus corruptus; nam l. 6. h. tit. unico §. concluditur, & hoc non dicit. Corrige *l. 6. §. 1. ff. de injust. rupt.*

CAPUT III.

Fictiones locum habent in iis, quæ sunt juris, non etiam in iis, quæ sunt facti. Sæpius occurrunt in jure civili, sed raro jus canonicum eas admittit.

FICTIONES locum habent in his quæ sunt juris civilis : ut in postliminio, si captus ab hostibus postliminio redierit, fictione postliminii retinet civitatem & alia omnia jura, perinde ac si nunquam in hostium potestate fuisset ; *l. in bello, §. si quis. §. cetera, ff. de captiv. & postl. reverf.*

Sed ea, quæ sunt facti, seu juris naturalis, fictionem non recipiunt : puta possessio, quæ est facti, magis quam juris. Si is, qui rem alienam possidebat, priusquam usucepisset captus sit ab hostibus, captivitate possessio & usucapio interrumpitur ; nam captus ab hostibus non potest possidere, qui ipse possidetur ab hostibus ; nec consequenter usucapere, cum usucapio non procedat sine possessione. Eoque ab hostibus postliminio reverso, usucapio interrupta non restituitur jure postliminii, ac si fingatur medio tempore possedisse ; quia fictio postliminii non habet locum in possessione, quæ est facti : factum infectum nulla constitutione, id est jure postliminii vel alio, fieri non potest ; *d. l. in bello, §.* † *facti, l. denique, ff. ex quib. caus. major.* Plures eandem rem in solidum possidere non possunt, quia jus civile nihil fingit contra naturam ; *l. 3. §. ex contrario, de adquir. poss.* Et possessio non adquiritur per liberum hominem, etsi vinctus teneatur, neque enim rerum natura recipit, ut per eum aliquid adquiram, quem civiliter non possideo ; *l. cum heredes, §. ult. eod.* Pecuniæ ususfructus proprie non constituitur, nec enim naturalis ratio S C. commutari potuit ; sed remedio cautionis cœpit quasi ususfructus haberi ; *l. 2. ff. de usufr. ear. rer. quæ us. cons.*

Source : BIU Cujas

Et obligationes, quæ naturalem præstationem habent, non tolluntur capitis diminutione, quæ est civilis & fictitia status mutatio; quia civilis ratio naturalia jura corrumpere non potest; *l.* † 2. §. 2. *l. eas obligationes, ff. de capit. minut. d. l.* 2. §. 1. *ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.*

Fictio est remedium juris civilis: merito igitur huic locus non est, nisi in his quæ sunt juris civilis. Legi data est potestas fingendi, non homini; fictio est legis, non hominis. v. g. filius familias non potest habere in castrensi peculio, quod ei a cognato vel alio, non ex castris, id est occasione militiæ noto, ei donatum vel legatum est: veritatem enim spectamus, an donatum sit ex castrensi notitia, vel affectione, non quod quis finxit; *l. si forte, ff. de castrens. pecul.* Fictio est a lege: si heres rogatus per contumaciam, vel mortem præventus, non restituerit hereditatem, actiones ipso jure, id est potestate legis transferuntur in fidcicommissarium; *l. sancimus*, §. *ult. C. ad Trebell. l. facta, ff. eod.* id est hereditas pro restituta habetur fictione seu ministerio legis. Cum heres est in mora restituendi hereditatem, tunc lex ipsa restituere videtur, & supplere moram heredis, & judicium defuncti lege repræsentatur; *auth. hoc amplius*, C. *de fideicommiss.* Ut in libertatibus, heres a quo libertas legata est, vel alius cui servus venditus est sub conditione ut manumittatur, sit in mora servum manumittendi, lex libertatem repræsentat; *l. cum vero*, §. *subventum, ff. de fideicomm. libert. l.* 2. *l. ult.* C. *si mancip. ita fuer. alienat.*

Jus civile gaudet fictionibus: tot enim passim fictiones occurrunt in jure civili, ut eas in hoc jure tanquam in suo regno versari dicendum sit; nec illas explodere possis, quin pulcherrimam partem juris civilis e medio tollas: nec fictiones in jure vituperandæ, quæ dolo carent, & quibus constitit œconomia juris, ut fraudem si absit, dolus non esse fraudem, ἀλλ' οἰκονομίαν τινὰ, καὶ σοφίαν ait Chysostom. *de sacerdot. lib.* 1. *cap.* † 9.

E diverso jus canonicum odit fictiones; ut in electionibus regularium, quod statutum est, regulares non posse consentire electioni de se factæ in discordia, vel a minori parte; de discordia, & numeri minoritate, quæ in facto, non in fictione vel juris effectu consistit, debet intelligi; *clem. quod circa, de elect.* Hoc jure magis spectatur veritas, quam adumbratio: veritas potior est umbra operis; *cap. quanto, de consuetud.* tamen quandoque fictiones recipiuntur etiam hoc jure.

Ut in ordinationibus, duo sacri ordines non possunt eidem conferri uno die, vel duobus diebus consequentibus continuato jejunio; quia ob continuationem jejunii duo dies pro uno habentur; *cap. litteras, de tempor. ordinat.* Continuatio jejunii efficit unum diem de duobus; *can. quod a patribus*, 75. *dist.* conjunctio duorum dierum facit unum, sicut contingit in bissexto; *l.* † *quæsivit, de V. S. l. denique*, §. *minorem, de minorib.*

† *l. quæsivit* in Pandectis desideratur. Corrig. *l. cum bissextum.*

Hoc jure etiam, si heres rogatus decesserit non restituta hereditate, actiones ipso jure transeunt in fideicommissarium sine restitutione; *cap. in præsentia, de probat.* quia cessante herede, fideicommissum a lege repræsentatur.

Statuta pensione super prioratu, non dignitas prioratus, sed persona prioris onerata fingitur, ne forte aliqua videatur facta sectio prioratus; *cap. nisi essent, de præbend.*

Absentes studiorum causa, favore studii pro præsentibus habentur; & fructus præbendarum, & aliorum beneficiorum lucrifaciunt, demtis distributionibus quotidianis; *cap. tuæ fraternitatis, cap. ad audientiam, de cleric. non resid. l.* † *Sejæ*, §. *Pamphilæ, ff. de instruct. vel instrum. legat.*

Et non sine fictione ecclesia dicitur viduata, quæ habet Episcopum inutilem; *cap. inter corporalia, & ibi Hostiens. de translat. Episc.* ut vidua fingitur, quæ habet virum inutilem.

In foro conscientiæ, nec fictiones, nec præsumptiones spectamus; *Bald. in l. cum quis*, C. *de jur. & facti ignor.*

CAPUT

Source : BIU Cujas

CAPUT IV.

Quid fictio a præsumptione differat.

UT facilius assequamur naturam & substantiam fictionis, interest scire in quibus differat a præsumptione. Fictio hoc discrepat a præsumptione, quod præsumptio est super dubio; fictio super certo; *gloss. in l. unic. §. accedat. C. de rei uxor. act.* Præsumptio nimirum est conjectura legis, vel hominis super re dubia, quæ existere, vel non existere potest.

Fictio est juris dispositio super re certa contra veritatem, quæ est possibilis, & pro veritate habetur. Super certo, id est super eo, cujus contrarium est certum: ut in fictione legis Corneliæ, lex fingit mortuum apud hostes primo captivitatis momento; tamen constat veritatem esse in contrarium.

Fictio inducitur a lege, non ab homine; *l. si forte, ff. de castrens. pecul.* Præsumptio induci potest ab homine, id est a judice.

Fictio non admittit probationem contrariam; *gloss. in l. ult.* in pr. *in verb. præsumptioni, ff. quod met. caus. & in l. conficiuntur*, in pr. *in verb. creditur, ff. de jur. codicill.* Secus præsumptio recipit probationem in contrarium; *d. l. ult.* Speciale in præsumptione juris & de jure, quod non admittat probationem in contrarium; *l. ult. C. ad Maced. l. ult. C. de arbit. tutel.* quia magis est fictio; *d. gloss. in d. l. conficiuntur.*

Fictio una non potest esse contra aliam; ut fingi non potest, quod duo in solidum eandem rem possideant, quia id est contra naturam; *l. 3. §. ex contrario, de acq. poss.* At præsumptio una tollit aliam; *l. Divus, ff. de in integr. restit.*

Duæ fictiones concurrere non possunt, quia essent duo singularia, quæ simul concurrere non possunt; *l. 1. & ib. gloss. in verb. dotem, C. de dot. promiss.* at duas vel plures præsumptiones concurrere nihil vetat. V. Menoc. de præsumpt. lib. 1. cap. 8.

CAPUT V.

Quid fictio differat a simulatione.

UT plenius investigemus naturam & rationem fictionis, præstat inquirere, in quo differat a simulatione. Fictio est cum fingitur quid esse, quod re vera non est, ut in fictione legis Corneliæ, captus ab hostibus, si ibi decesserit, fingitur mortuus primo captivitatis momento, & in fictione postliminii, qui rediit ab hostibus, fingitur semper in civitate fuisse.

Simulatio est cum aliud agitur, aliud simulatur, ut ubi simulatur emptio, cum sit pignus; *l. 3. C. plus † valere quod agitur.* Vel simulatur venditio cum sit donatio; *l. empti, C. de contrah. empt.* vel cum fingitur uxor emere, quod maritus emit; *l. 2. C. plus † valere quod agitur*, & omnino cum alius agit, alium agere scribitur; *l. 4. C. eod.* Aut simulatur contractus, cum nullus sit contractus; *l. si ex pretio, C. si cert. pet.*

Fictio est contra veritatem, sed pro veritate habetur; *Bart. in l. si is qui pro emptore, ff. de usucap.*

Simulatum est contra veritatem, & pro infecto habetur; *tot. tit. C. plus † valere quod agitur, d. l. si ex pretio, l. & qui sub imagine, C. de distract. pignor.*

Source : BIU Cujas

CAPUT VI.

Duæ vel plures fictiones in eadem re concurrere possunt.

DUAS fictiones simul in eadem re non concurrere, trita est sententia Bartol. & Iasonis, in *l. si is qui pro emptore, ff. de usucap.* quæ ducitur ex *l.* 1. C. *de dot. promiss.* ubi si dos promissa sit, nulla specie vel quantitate adjecta, inutilis est promissio dotis. Quod glossa ita rescriptum interpretatur, ne duo specialia concurrant in una re; ut scilicet incerta dos veniat in petitionem, & solemnitas interveniisse fingatur, quæ non intervenerit. Sed si verum amamus, lex non alia ratione nititur, quam quod incertæ pecuniæ vel rei stipulatio non valeat; *l. stipulationum* † 74. vers. *certum, l. triticum, l. ita stipulatus* in pr. *ff. de V. O.* cum non sit quod petatur ex incerta stipulatione: ut eodem loco sit non esse promissum quid, aut ita promissum, ut quod in promissionem venerit non appareat; *l. duo sunt Titii, de testam. tutel.*

Et fictiones duas in eadem re concurrere nihil vetat, ut si filiusf. redierit ab hostibus, duplex ibi concurrit fictio postliminii, quod pater filium recipit jure postliminii, & ipse filius jus suum; *l. cum duæ species, ff. de captiv. & postl. revers.*

Et non solum filium, sed & nepotem adoptare possumus, in quo etiam duplex versatur fictio; una quod adoptione efficitur filius, qui non est, & adoptione fit nepos, perinde ac si ex filio natus sit; *l. adoptiones, ff. de adopt.*

Et duas vel plures fictiones in eadem re concurrere nequaquam alienum est, si æquitas vel utilitas suadeat; quia fictio juris civilis introducta est naturali æquitate; *l. postliminium* in pr. *ff. de captiv. & postl. revers.* & in ea communis utilitas spectatur; *l. cum & postliminii, C. eod.* Jo. Vaud. 2. *qu. cap.* 4. Nunc quot sint genera fictionum scire coveniens erit.

CAPUT VII.

Ex fictionibus aliæ versantur in personis, aliæ in rebus, aliæ in tempore, aliæ in loco, aliæ in actionibus. Quædam earum exempla, quæ circa personas versantur.

FICTIONES juris in quinque classes distribuuntur: aliæ versantur in personis; aliæ in rebus; aliæ in tempore; aliæ in loco; aliæ in actionibus. De his quæ versantur circa personas prius agamus, sequentes ordinem juris, in quo prius de personis quam de rebus, cum omne jus personarum causa constitutum sit; *l.* 2. *ff. de stat. hom.*

Fictiones juris versantur circa personas, ut interdum qui in rerum natura non sunt, esse fingantur; veluti qui in utero est pro jam nato habetur, quoties de ipsius commodo quæritur; *l. qui in utero, l. pen. ff. de stat. hom. l. quod dicimus, de V. S.* ut quasi jam nato defertur legitima hereditas, *d. l. pen. l. antiqui, si pars hered. pet.* Saporem adhuc in utero, Regem Persarum salutatum cidari utero impositæ, audito magorum vaticinio masculum nasciturum, refert *Agath. lib.* 4.

Bonorum possessio unde cognati defertur posthumo qui in utero est, velut proximiori cognato; si sit conceptus vivo eo, de cujus successione agitur; *l.* 1. §. *si quis proximior, ff. unde cognat.*

Eodem

Eodem jure posthumus instituti potest, quia pro nato habetur; *l. placet, ff. de liber. & posth.* In adeunda hereditate ex testamento vel ab intestato, qui in utero est moram facit proximioribus ab eo; *l. cum quidam, §. quod dicitur, ff. de acquir. heredit.*

Si quis prægnantem uxorem reliquerit, non videtur sine liberis decessisse; *l. si quis prægnantem, de R. J.* ut conditio fideicommissi si sine liberis deficit, relicto posthumo; *l. ex facto, §. ex facto, ff. ad Trebell. l. jubemus, §. sin autem, C. eod.*

Si cui legatum sit quandocumque liberos habuerit, si prægnante uxore relicta decesserit, conditio impleta intelligitur, si tamen posthumus natus fuerit; *l. is cui, ff. quand. dies legat. ced.*

Liberi concepti ante deportationem patris efficiunt, ut conditio fideicommissi si sine liberis deficiat, quia pro jam natis habentur; *l. ex facto, §. ex facto, ff. ad Trebell.*

Item, si mulier prægnans ab hostibus capta fuerit, & postliminio redierit, & partus, qui est in utero, habet jus postliminii, quia pro nato habetur; *d. l. pen.*

Ratio dubitandi est, quod partus, qui est in utero, nondum proprie homo, vel animal dicitur; *l. in Falcidia, ff. ad Falcid. l. 1. ff. de ventr. inspic.* sed potius spes animantis; *l. 2. ff. de mort. infer.* & partus antequam edatur est portio matris, seu viscerum; *l. 1. §. 1. ff. de ventr. inspic.* & posthumus non potest dici suus; quia antequam nascatur, non potest dici in potestate morientis fuisse; *l. ult. ff. de collat. bonor.* Posthumus fictione juris pro nato habetur, ut sibi prosit quoties de commodo ipsius quæritur, ut in deferenda hereditate, non ut aliis prosit; *d. l. qui in utero, & d. l. quod dicimus*: puta qui est in utero non habetur pro nato, ut excuset patrem a tutela & aliis muneribus civilib. *l. 2. §. qui autem, ff. de excus. tut.* Et in ponenda ratione Falcidiæ, partus ancillæ hereditariæ, qui est in utero, non auget hereditatem; & sic non prodest legatariis, ne locus sit Falcidiæ, quia partus nondum editus proprie homo non dicitur; *d. l. in Falcidia.* Partus, qui est in utero, prodest matri, ut pœnam suspendat quoad pariat; *l. prægnantis, ff. de pœn.* Chrysostom. *homil. 4. ad Antiochen.* Sed pœna differtur favore ipsius partus, ne in utero necetur.

Mulier in possessionem bonorum mittitur ventris nomine, sed hoc favore ipsius partus, propter spem nascendi; *l. 1. ff. de ventr. in possess. mitt.* *Vid. Cuiac. ad l. 2. ff. de excus. tut.*

Quod is, qui in utero est, pro nato habetur, ita accipiendum est si nascatur: quod si partus non edatur, nunquam in rerum natura fuisse intelligitur; *l. cum quidam, §. suum, ff. de adq. hered.*

CAPUT VIII.

Adoptio est fictio juris, quæ naturam imitatur.

NON solum natura, sed & adoptione fiunt filii, & nepotes quasi ex filio; *l. 1. l. adoptiones, l. † si is qui, ff. de adopt.* Adoptivi sunt a lege, quæ fictione & commento quodam eum habet pro filio, qui re vera non est, ut defectum naturæ laborantis suppleat. Unde adoptio fortunæ remedium dicitur; *Senec. 2. controv. cap. 1.* In adoptione lex fingit imaginem quandam nuptiarum, ut filius adoptivus perinde habeatur, ac si ex justis nuptiis susceptus esset. Adoptio est imago naturæ, & hoc est quod eleganter ait *l. filio quem, ff. de liber. & posth.* imagine, id est adoptione naturæ veritatem adumbrari: ado-

Source : BIU Cujas

ptio enim est fictitia & civilis ratio sibi faciendi & quærendi filii, unde adoptionis commentum dicitur in *l. fideicommissum, ff. de condit. & demonstr.* Adoptio est fictio juris, quæ imitatur naturam : in his enim personis locum habet, in quibus etiam natura potest habere ; *l. adoptio, ff. de adopt.* & qui adoptat major esse debet eo quem adoptat, & plena pubertate, id est decem & octo annis eum antecedere debet ; *l. si paterf. §. ult. l. adrogato, §. 1. eod.* M. Tull. pro domo : *Jure Quiritum legitimo tutelarum & hereditatum relicto, factus es ejus filius contra fas, cujus per ætatem pater esse potuisti.* Adoptio, inquam, naturam imitatur, quatenus id fictione legis fieri potest, sed non per omnia adæquat ; adoptione fiunt sui & agnati, non cognati ; adoptio non tribuit jus sanguinis, quod est naturale, sed tantum jus agnationis, quod est civile ; *l. qui in adoptionem, ff. eod.* Et liberi adoptivi non prosunt patri, ut eum excusent a tutela & aliis muneribus civilibus ; *l. 2. §. adoptivi, ff. de vacat. muner.* Iidem non prosunt patri adoptatori ad solidi capacitatem ; *l. si ita quis testamento, §. ult. ff. de legat. 2.* neque efficiunt, ut deficiat conditio fideicommissi si sine liberis ; *d. l. fideicommissum.* Cum in magistratibus & provinciis adipiscendis lege Papia, qui liberos habebant orbis præferrentur, quia fraus fiebat legi fictis adoptionibus, quas mox sequebatur emancipatio : SC. vetitum Neronis temporibus, ne simulata adoptio valeret ad magistratus vel hereditates occupandas ; Tacit. 15. annal. *Factum ex eo senatusconsultum, ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset.* Et quia adoptio nititur sola fictione juris civilis, facile solvitur per emancipationem, & liberi adoptivi, si emancipentur, liberorum nomen amittunt ; *l. 4. ff. si tab. testam. null. extab.* & emancipati pro extraneis habentur ; *l. quin etiam, §. 1. ff. de rit. nupt.*

CAPUT IX.

Legitimati per subsequens matrimonium, fictione juris pro legitimis habentur.

LIBERI legitimi & naturales sunt, qui procreantur ex justis nuptiis ; *l. Paulus respondit, ff. de stat. hom. l. filium, ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* ut legitima ætas intelligitur, quæ natnrali 25. annorum curriculo completur, non beneficio Principis suppletur ; *l. ult.* C. *de his qui ven. ætat.*

Legitimati per subsequens matrimonium, fictione juris pro legitimis habentur ; *l. cum quis, l. nuper,* C. *de natur. lib. cap. tanta est, qui fil. sint leg.* quia matrimonium fictione legis retrotrahitur ad tempus susceptionis liberorum, ut legitimati habeantur legitime susceptí, id est quasi post contractum matrimonium : & hoc est quod innuit *d. cap. tanta*, cum ait tantam esse vim matrimonii, ut ante susceptí, contractis nuptiis legitimi habeantur.

Et hoc verum est si legitimati nati sint ex ea, cum qua matrimonium potuit esse ab initio : secus si nati sint ex adulterino concubitu, tunc non legitimantur per subsequens matrimonium ; *d. cap. tanta* : quia fictio juris non admittitur contra naturam & bonos mores ; *l. quæsitum, ff. de adopt.* & lex non potest fingere fuisse matrimonium cum ea, cum qua nuptiæ esse non potuere per leges. Legitimati per subsequens matrimonium in omnibus habentur pro legitimis ; & sic faciunt deficere conditionem fideicommissi si sine liberis, & ex testamento vel ab intestato succedunt patri.

Legitimati beneficio Principis fiunt legitimi fictione legis, & velut ex machinatione quadam ; *nov. Just. 89. cap. 4.* ὡς ἐκ τίνος μηχανήματος. Et pro legitimis habentur, perinde ac si legitime concepti fuissent ; *l. qui in provincia,*

§. 1.

Source : BIU Cujas

§. 1. *ff. de rit. nupt.* sed eo minores, quod per eos non deficit conditio fideicommissi si sine liberis; *gloss. in l. ex facto*, §. *si quis rogatus*, *ff. ad Trebell.* nec succedunt patri, nisi legitimati sint consentientibus proximioribus, qui ab intestato successuri essent; *l. nam ita*, *ff. de adopt.*

CAPUT X.

Fictione legis pater & filius sunt una & eadem persona: sicut & fratres in ejusdem patris potestate constituti.

FICTIONE legis pater & filius sunt una & eadem persona. Filius est pars corporis: ut si Titius cum filiis suis, & Sempronius instituantur; pater cum filiis semissem feret, cum natura pater & filius eadem esse persona pene intelligantur: Sempronius alterum semissem feret; *l. ult.* C. *de impub. & aliis substit.* Et si filius coloni per 30. vel 40. annos in possessione libertatis moratus sit, & absuerit patre agrum colente, & annuum censum persolvente, non efficitur liber: nec enim est quod præscriptio opponatur domino, qui non habuit occasionem agendi, & justa percepit a patre; nec filius coloni interim absuisse videtur, qui agrum coluit per patrem & fratres & cognatos; itaut perinde sit, ac si ipse per se coluisset, cum pars sit quodammodo corporis patris; *l. cum scimus*, §. *ult.* C. *de agricol. & censit.* Et natus apud hostes ex parentibus captivis, his reversis ab hostibus, cum his postliminio rediisse intelligitur, quia est pars corporis; *l. 1.* C. *de postl. revers.* Filius non est vere natura unum corpus cum patre; sed fictione, quæ respondet naturæ, natura pene unum intelligitur, inspecta sc. sorte nascendi, quod filius susceptus sit a patre. Vel etiam ob vinculum patriæ potestatis, quo filius connectitur & adunatur patri: unde morte patris remotum dicitur familiæ vinculum; *l. † eum bonis*, *ff. de adq. hered.* id est patriæ potestatis jugum solvitur, quia morte patris liberi sui juris fiunt.

Hinc obligatio inter patrem & filium, qui est in potestate, nulla est; §. *item inutilis*, *inst. de inutil. stipul.* quia distinctio personarum esse debet inter stipulatorem & promissorem, inter dantem & accipientem, & nemo potest sibimetipsi obligari; *l. heres*, §. *quod si stipulator*, *ff. de fidejuss.* Ideoque, nec cautio potest interponi inter patrem & filium manente patria potestate; *l. Imperator*, *ff. ad Trebell.*

Obligatio pariter non valet inter fratres qui sunt in ejusdem patris potestate; *l. frater a fratre*, *ff. de condict. indebit.* quia habentur pro una eademque persona ob vinculum patriæ potestatis, quo arctius uniti sunt: ut in republica dignitates inter se distinctas esse, jugo autem servitutis unitas, id est vinculo potestatis, cui omnes subjectæ sunt, ait Joan. Chrysost. *de divers. utriusq. testam. loc. serm.* 65. *de Cæco & Zachæo*: καὶ ὥσπερ ἀδελφοὶ, τὰ ἐν τῷ κόσμῳ ἀξιώματα διήρηται μὲν πρὸς ἑαυτά, ἥνωται δὲ πρὸς τὸ ζυγὸν τῆς δουλείας. *Sicut in mundo dignitates, sunt illæ quidem inter se distinctæ, uno autem jugo servitutis unitæ sunt.* Eadem ratione donatio patris in filium, qui est in potestate, nulla est & irrita; *l. donationes*, C. *de donat. inter vir. & uxor. l. sive emancipatis*, C. *de donat.*

Si pater stipuletur filio, sibi adquirit, quia vox patris vox filii; §. *si quis alii*, vers. *ei vero*, *inst. de inutil. stipulat.* & stipulatio utilis est perinde, ac si sibi stipulatus sit; *l. quod dicitur*, *ff. de V. O. l. 3.* C. *de inutil. stipulat.* Quod verum est si pater stipuletur filio in his, quæ juris sunt, quæ patri acquiri possunt per filium, ut in acquirenda hereditate: alioquin si pater stipule-

Source : BIU Cujas

tur filio in his quæ sunt facti, veluti tenere ei, vel ire agere licere, inutilis erit stipulatio; *d. l. quod dicitur*. Ratio est, quia fictio non admittitur in his quæ sunt facti, sed in his quæ sunt juris tantum. Filiofamilias vel servo alieno instituto, a patre vel domino fideicommissum relinqui potest, quia est eadem persona; *l.* 4. *de legat.* 3. ut a tutore pupilli fideicommissum relinqui potest, quia ab ipso pupillo relictum videtur; *l. peto*, §. *mater*, *de legat.* 2. *l. etiam*, C. *de fideicomm. l. cum etiam*, C. *de reb. credit.*

Pari fictione testamentum paternum & pupillare unum est testamentum, licet duæ sint hereditates; *l.* 2. §. *prius autem*, *ff. de vulgar. & pupillar. l. paterf. de privil. credit.* & si utrumque testamentum uno contextu fiat, septem testes sufficiunt, ac si unum esset testamentum; *l. patris*, *ff.* † *eod. de vulgar.* Sed si separatim fiat, in utroque adhibendi sunt legitimi testes; *l.* † *si quis eum*, *ff. eod. de vulgar.* & in tabulis patris & filii una Falcidia servatur; *l. in ratione* 1. §. *quod vulgo*, *ff. ad l. Falcid. l.* 1. §. 1. *ff. si cui plusqu. per leg. Falcid.*

Sicut nulla obligatio est inter patrem & filium, nec ulla lis seu actio esse potest; *l. lis nulla*, *l. si a me*, *ff. de judic. l. actiones*, *de obligat. & act.* ut filiof. non datur actio injuriarum adversus patrem; *l. prætor*, §. *sed & si quis*, *ff. de injur.* E diverso, pater non potest agere furti cum filiof. quia cum jus patriæ potestatis faciat, ut patris & filii una eademque persona habeatur, pater non potest agere contra semetipsum; *l. ne cum filiof. ff. de furt.* Ubi dicitur, ne cum filiof. pater furti agere possit, non tam juris constitutionem, quam naturam rei impedimento esse; quod non magis cum his quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsi agere possimus. Natura rei impedimento esse dicitur magis quam jus, ne pater agat cum filio; quoniam fictio legis, quæ imitatur naturam, ob patriam potestatem facit, ut patris & filii una & eadem persona esse videatur. Nulla inquam obligatio, neque actio est inter patrem & filiumf. nisi ex castrensi peculio; *d. l. lis nulla*. In castrensi peculio non vetatur filiusfam. agere cum patre, venia petita a prætore; quia tunc pro patref. habetur; *l. adoptionum*, *ff. de in jus vocand.*

Etiam in sacris scripturis patris & filii una eademque persona esse existimatur: pater, qui relinquit liberos, quasi non moritur, & sibi superstes est in liberis; Eccles. 30. *Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.*

CAPUT XI.

Jure civili, fictione & commento legis liberi emancipati extraneorum jure censentur. Quid intersit inter liberos naturales & adoptivos cum emancipantur.

JURE civili, fictione & commento legis, liberi emancipati extraneorum jure censentur; *l. quin etiam*, *de rit. nupt.* quia per emancipationem exeunt e familia patris, & propriam familiam habere incipiunt; *l. pronuntiatio*, §. *familiæ*, *ff. de V. S.* Cujus rei in argumentum, emancipatio olim fiebat per trinam imaginariam venditionem, & manumissionem, ex lege 12. tabular. Ulpian. *lib. reg. tit.* 10. Quæ forma manumissionis sublata est constit. Justiniani; *l. ult. C. de emancip. liber.* Ob id Paulus in *l. liberos*, *ff. de cap. minut.* ait emancipatum capite minui, cum emancipari nemo possit, nisi in imaginariam servilem causam deductus, quod emancipatio fieret per imaginariam venditionem, & manumissionem.

Hoc interest inter naturales & adoptivos, quod adoptivi si emancipentur, omnia

Source : BIU Cujas

omnia jura adoptionis, & liberorum nomen amittunt; *l.* 1. §. *liberos*, *l.* † *liberi*, *ff. si tab. testam. nullæ extab.* Et soluta per emancipationem patris adoptivi potestate, nullum ex pristino retinetur vestigium; *l. in omni*, *ff. de adopt.* §. *adoptivi liberi*, *inst. de exhered. liber.* §. *eadem*, *de hered. quæ ab intest. def.* M. Tull. pro domo: *Adoptatum emancipari statim, ne filius sit ejus qui adoptavit*. Nec prohibentur iidem uxorem ducere matrem patris adoptivi, quia post emancipationem extranei intelliguntur; *d. l. quin etiam*.

Filii naturales emancipatione non amittunt nomen & jus filii; emancipati, si spectes jus civile, non sunt sui heredes, id est non succedunt ab intestato; sed jure prætorio ab intestato datur eis bonorum possessio unde liberi, & præteritis datur bonorum possessio contra tabulas; §. *emancipati*, *de heredit. quæ ab intest. defer. l. sed cum*, §. 1. *ff. de bonorum possess. l. ult.* §. 1. *C. de legit. hered.* quia prætor in totum eos non habet pro extraneis; *l. non putavit*, §. *in adoptionem*, *ff. de bonor. poss. contr. tabul.*

Jure civili liberos emancipatos, neque instituere, neque exheredare necesse erat, quia non sunt sui; §. *emancipatos*, *instit. de exhered. lib.* Sed jure prætorio nominatim instituendi sunt, vel exheredandi, alioquin præteritis datur bonorum possessio contra tabulas; *d.* §. *emancipatos*, *& l.* 1. *ff. de bonor. possess. contr. tabul.*

Constit. Justiniani emancipati æquo jure succedunt cum suis, sublata distinctione juris potestatis, id est suitatis, & emancipationis, ac sola naturali causa inspecta; *nov.* 118. *auth. in successionem*, *C. de suis & legit. liber.*

Emancipatus etiam quoad honores & patriam dignitatem non desinit esse filius: emancipatus a patre senatore, quasi senatoris filius habetur; *l. emancipatum*, *ff. de senat.*

Tamen donatio patris in filium emancipatum valet; *l. donationes*, §. *pater qui filiæ*, *ff. de donat. l. sive emancipatis*, *C. eod. l.* 2. *C. de inoffic. donat.* quia emancipatus non videtur eadem persona cum patre, immo pro extraneo habetur.

CAPUT XII.

Quinam dicantur sui heredes. Fictio juris quandoque prodest liberis in patria potestate constitutis, quandoque nocet.

SUI heredes, idest filii qui sunt in potestate patris mortis tempore, & primum ab eo locum obtinent, etiam vivo patre quodammodo domini existimantur; *l. in suis*, *ff. de liber. & posth.* M. Tull. Verrin. 3. *Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis prætor adimere nobis mortuis bona fortunasque poterit*. In eandem sententiam Ausonius, edyll. 2.

Justa quidem series patri succedere, verum
Esse simul dominos gratior ordo piis.

Itaque sui post mortem patris non tam hereditatem percipere videntur, quam continuare dominium, & liberam bonorum administrationem adipisci; *d. l. in suis*. Non dicuntur iidem hereditatem adire, sed se immiscere; nec repudiare hereditatem, sed abstinere; *l.* 1. §. *qui sunt in potestate*, *ff. si quis omiss. caus. testam.* In suis heredibus successio non est; *l.* 1. §. *sciendum*, *ff. de suis & legit.* id est non est successio, sed magis continuatio dominii: in suis aditio non est necessaria, quia statim ipso jure heredes existunt; *l. in suis*, *ff. eod.* quod ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hereditatem addicat, velut ad debitam successionem eos vocando, unde suorum here-

Source : BIU Cujas

dum nomen eis inditum est ; *l. ult. ff. de bon. damnat.* Et ad liberos etiam furiosos paterna hereditas ut debita devolvitur, cum illico appareant & sui heredes existant ; *l. ult. §. sin vero perpetuo*, C. *de curat. furios.* & sui heredes etiam clausis tabulis, id est nondum apertis heredes existunt ; *l.* † *ex patre*, *ff. de acquir. hered. l. 2. §.* †† *si ex liberis*, *ad SC. Tertyll. l. 3.* C. *de jur. deliber.* Ideoque etiam non aditam hereditatem transmittunt ad suos & legitimos heredes ; *l. apud hostes*, C. *de suis & legit. liber.*

† Corrig. *l. ex parte*. Et v. si hoc dicit.

†† Corrig. *§. si quis ex liberis*. Et v. ut supra. Comprobatur tamen ex §. 5. *l. un.* C. *de caducis.*

In quibusdam partibus juris, fictione & commento legis, liberi, qui sunt in potestate, etiam vivo patre quodammodo pro dominis habentur, & pro soeiis bonorum : in aliis vero partibus juris deterior est eorum conditio, & liberi, qui sunt in potestate patris, personam, id est statum non habent, & pro servis pene habentur, quapropter liberorum nomine, quos in potestate habemus, datur vindicatio, adjecta causa ex lege Quiritum ; *l. 1. ff. de rei vindicat.* & id non absque fictione, liberorum nomine non datur vindicatio, nisi adjecta causa ex lege Quiritum ; quia regulariter liberi homines non possunt vindicari : liberi sunt in potestate patris, non in dominio ut servi ; ac proinde non veniunt in actionem in rem, seu vindicationem, quæ datur tantum domino : sed lege Quiritum liberi sunt servi, vel quasi servi parentum, quorum in potestate sunt : & hoc jure pater jus vitæ & necis habuit in liberos ; *d. l. in suis, de liber. & posth.*

CAPUT XIII.

Suus heres fictione juris non desinit esse heres, quamvis se abstineat.

JURE civili filiusf. est suus heres, & necessarius ; sed habet beneficium abstinendi jure prætorio ; *l. si quis 7. §. 1. l. impuberibus*, *l. necessariis*, *ff. de adq. hered.*

Et semel heres, non desinit esse heres, quamvis se abstineat ; *l. ei qui solvendo*, *ff. de hered. instit. l. ait prætor*, §. *sed quod Papinianus*, *de minorib. l. sciendum*, *ff. de manumiss. testam.* unde non decedit sine herede qui suum heredem habet, licet abstinentem se ; *l. cum quasi*, §. *sed etsi suus*, *ff. de fideic. libertat. l. 1. §. qui sunt in potestate*, *si quis omiss. caus. testam.* & qui in fraudem legum tacitam fidem incapaci accommodat, adeundo heres efficitur ; nec desinit heres esse, licet res quæ ita relictæ sunt ei auferuntur ; *l. ex facto*, §. *ult. ff. de vulg. & pupill.*

Jure civili suus heres, etsi se abstineat, habetur pro herede : sed mera fictio est, suus enim heres post abstentionem retinet nomen heredis, sed nudum & sine re ; *l. 2. §. sed si sint sui*, *ff. ad Tertyll.* & filium, qui se abstinuit, prætor non habet heredis loco ; *l. si filius*, *ff. de interrog. in jur. fac.*

Filius, qui se abstinuit, non desinit esse heres nomine, sed sine fructu ; tenetur quidem creditoribus hereditariis, sed in eum non datur actio ; *d. l. necessariis*, id est ipso jure tenetur creditoribus hereditariis, sed si conveniatur, tuetur se opposita exceptione abstentæ hereditatis.

Et si heres rogatus sit restituere hereditatem, restituta hereditate actiones directæ activæ & passive manent apud heredem, utiles tantum transeunt in fideicommissarium ; §. † *& Neronis*, *inst. de fideic. hered. l. si heres 70. ff. ad Trebell.*

Et restituta hereditate si heres conveniat debitores hereditarios, vel conveniatur a creditoribus hereditariis, repellitur, vel tuetur se exceptione restitutæ hereditatis ; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebelliano*, *ff. eod.*

Suus

Suus heres, etsi se abstineat, non desinit heres esse; sed nomine tenus, non quoad commoda hereditaria: humanitatis tamen gratia retinet jura familiarium & hereditariorum sepulcrorum; *l. 6. de religios. & sumpt. funer.*

CAPUT XIV.

Fictione legis exheredati pro mortuis habentur.

LIBERI, qui sunt in potestate morientis, sunt sui & necessarii heredes, nisi adimatur eis hereditas per exheredationem ex justa causa: exheredati desinunt esse heredes, perinde ac si patri præmortui essent, quia fictione legis exheredati pro mortuis habentur; *l. 1. §. sed etsi patruus, ff. de conjungend. cum emancipat. liber.* ubi patruo, qui erat in potestate præterito, patre exheredato, nepos vocatur in partem simul cum patruo, nec ei obstat pater, quia exheredatus pro mortuo habetur.

Eadem de causa, exheredati in computanda legitima non ferunt partem, nec faciunt partem; *l. si post mortem*, † *§. liberi, ff. de bonor. possess. contr. tab.* Nec iidem habent jura libertorum paternorum, nec jus ullum patronatus; *l. si ex patronis, ff. de bon. libert.*

Denique lex non respicit exheredatos, ne quidem inter extraneos, ut in *nov. 1. de hered. & Falcidia.* quæ excerpta est *in auth. hoc amplius*, C. *de fideicommiss.* Si heres scriptus intra annum non impleverit voluntatem defuncti, hereditas defertur substituto, & gradatim coheredibus vel legatariis, & fideicommissariis, & post omnes extraneo vel fisco, exheredatis ne hic quidem respectis: exheredatos lex non respicit, quia indigni sunt beneficio legum, qui deliquere contra leges, male sc. meriti de patre; *l. ex facto, §. ult. ff. de vulgar. & pupillar.*

Exheredati pro mortuis habentur, quia legibus mortui sunt, vitam amisisse existimantur qui bona paterna amisere, sine quibus vita vix tolerari potest; unde & Græci vitam & substantiam bonorum, communiter βίον vocant. Aristoph. in nubib.

**) ὥσπερ τεθνεῶτος καπηλούει μὲ τὸν βίον.
Quasi essem mortuus substantiam lavas, idest consumis.

Exheredatio comparatur morti, quia successit in locum potestatis vitæ & necis, quam olim pater habuit in liberos, ut innuit *l. in suis* in fine, *ff. de liber. & posth.* his verbis, *licet eos exheredare, quod & occidere licebat.*

Exheredati tamen, humanitatis gratia retinent sibi & posteris jus familiaris & hereditarii sepulcri, nisi pater justo odio commotus specialiter vetuerit; *l. 6. ff. de religios.* ut de Augusto memoratur, Julias filiam & neptem vetuisse sepulcro suo inferri; *Tranquill. in August. cap. 101. & Dion. libr. 56.*

CAPUT XV.

Filiusfam. jure civili nec personam nec statum habet, nec quidquam sibi acquirit, sed patri, quia fictione legis eadem est persona cum patre.

FILIUSFAMILIAS, qui in patris potestate est, jure civili nec personam nec statum habet, cum fictione legis sit una & eadem persona cum patre. Ob id quicquid per filiumf. acquiritur, confestim patri adquiritur; *l. adquirun-*

Source : BIU Cujas

tur, *ff. de adquir. rer. dom. l.* 1. *ff. ſi a parente quis manumiſſ.* & ne momento quidem temporis ſubſiſtit in perſona filii ; *l. placet*, *ff. de adquir. hered.* quia filiusf. non habet perſonam, in qua dominium conſiſtat : paterfamilias ſolus domi dominium habet ; *l. pronuntiatio* , §. *familiæ* , *ff. de V. S.* & ſi quid adquiratur per ſervum vel filiumf. patris vel domini perſona tantum inſpicitur ; *l. debitor* , §. *ult. ff. de legat.* 2. Obligatio filiof. adquiritur , ſed confeſtim tranſit ad patrem, ita ut ne momento quidem moretur in perſona filii, ſed ſtatim perveniat ad patrem , quæ eſt ſententia *l. qui hominem* , §. *quidam* , *ff. de ſolut.* ubi cum creditor , qui a filiof. fidejuſſorem acceperat , eum heredem inſtituiſſet , & filius juſſu patris hereditatem adiiſſet , negat lex patrem cum fidejuſſore agere poſſe : nimirum quia ſtatim & eodem momento per filium fuit quæſita hereditas patri ; & fidejuſſor liberatur, cum pro eodem apud eundem debere non poſſit.

Ob id uſusfructus etiam per filiumf. vel ſervum patri vel domino acquiritur: ſed quod ſpeciale eſt in uſufructu , uſufructus per filium vel ſervum patri vel domino quæſitus , morte vel capitis diminutione patris vel domini non extinguitur, ſed apud filium remanet , etiam ſi a patre heres inſtitutus non ſit ; quia contemplatione filii magis quam patris relictus videtur ; *l. ult.* C. *de uſufruct.*

Filiusf. quicquid acquirit , acquirit patri , præterquam in peculio caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi ; §. 1. *inſt. per quas perſ. cuiq. acq. l. ex nota*, *ff. de caſtrenſ. pecul. l.* 3. §. *ſecundum* , *de donat. inter vir. & uxor.* quia filiusf. in caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio pro patrefamilias habetur fictione juris ; *l.* 1. §. *ult. & l.* 2. *ff. ad Maced. l. ult.* §. 1. C. *eod. l. filiusf.* §. *ult. ff. de donat.*

Non alia ratione filiusf. miles poteſt teſtari de peculio caſtrenſi , & pro hereditate habetur caſtrenſe peculium ; *l.* 1. *ff. de caſtrenſ. pecul. & d. l. filiusf.* id eſt defertur heredi ſcripto quaſi hereditas ; *l.* 2. *l. proponebatur* , *ff. eod.*

Inde peculium caſtrenſe quaſi hereditas dividitur judicio familiæ erciſcundæ , quia conſtitutionibus Principum effectum eſt hereditas ; *l.* 2. §. *item ſi filiiſ. ff. famil. erciſc.* Quod ſi filiusf. miles inteſtatus deceſſerit , non habet proprie heredem ; quia pater peculium occupat tanquam peculium , non tanquam hereditatem , ut pater , non ut heres ; *d. l.* 1. *&* 2. *de caſtrenſ. pecul.* & cum nihil de peculio decernit filius , non nunc obveniſſe patri , ſed non eſſe ab eo profectum creditur ; *d. l. proponebatur* , *ff. eod. l. ult. ad SC. Tertyll.*

Macedonianum etiam non habet locum in filiof. milite , quia miles cenſetur accipere mutuum in cauſam peculii caſtrenſis , in quo filiusf. patrisf. jure cenſetur ; *l.* 1. *&* 2. *ff. ad Maced. l. ult. in fin.* C. *eod.*

Et pater non poteſt agere contra filium , nec filius contra patrem , niſi de caſtrenſi peculio ; *l. lis nulla* , *ff. de judic. l. ſi dubitet* , §. *ult. de fidejuſſ.* etiam actione furti ; *l. ſi quis uxori* , §. *ſed ſi filius*, *& ſeq. de furt.*

Idem obtinet in peculio quaſi caſtrenſi , quod in caſtrenſi pater non habet uſumfructum peculii caſtrenſis vel quaſi caſtrenſis ; *l. cum oportet* , *init.* C. *de bon. quæ liber.* & filiusf. poteſt teſtari jure communi de peculio quaſi caſtrenſi ; *l. teſtamentum* , *l. ult.* C. *de inoffic. teſtam.* Horum omnium ratio eſt , quod filiusf. in peculio caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi pro patrefamilias habetur fictione juris.

CAPUT XVI.

Fictione juris ſervi pro nullis & mortuis habentur.

JURE naturali omnes homines æquales ſunt, id eſt liberi ſunt, & uno nomine homines appellantur. Ob id jus naturale jus commune dictum eſt , quod ſit commune omnium hominum ; Ambroſ. 1. offic. c. 28. *Natura igitur jus commu-*

Source : BIU Cujas

commune generavit, *usurpatio jus fecit privatum*. Jure gentium introducta est differentia personarum in liberos & servos; *l. manumissiones*, *ff. de just. & jur.*

Jure civili servi pro nullis habentur; *l. quod attinet*, *de R. J.* servi non habent personam seu statum, sunt ἄπρόσωποι; *Theophil. inst. de stipul. serv. init.* ut servus non potest esse testis in testamento; *l. qui testamento*, §. *servus*, *ff. qui testam. fac.* Iidem judices vel arbitri esse non possunt, cum civilibus officiis arceantur; *l. cum prætor*, §. † 2. *ff. de judic. l. Pedius*, init. *de recept.* † *qui arbitr. recep. l. illa verba*, *de V. S.* Nec possunt esse procuratores ad lites; cum non habeant legitimam personam standi in judicio; *l. quotiens*, *ff. si quis caut.* Servi cum dominis nullomodo agere possunt, cum nec jure civili, nec prætorio computentur; *l. nullomodo*, *ad l. Cornel. de falsi.* Iisdem non licet postulare pro aliis; Donat. in Phormion. *Servum hominem causam orare leges non sinunt*, *neque testimonii dictio est*.

Servi cum manumittuntur capite non minuuntur, quia servile caput nullum jus habet; *l. liberos*, *ff. de capit. minut.* Ita servi pro nullis habentur, ut qui servum alienum injuria occidisset, non alia pœna, quam legis Aquiliæ de damno injuria dato teneretur; perinde ac si alienam quadrupedem occidisset; *l. 2. ff. ad leg. Aquil.* ita ut servum occidere non esset crimen, sed damnum, quo alludit Plin. lib. 8. epist. 15. *Nec ignoro alios hujusmodi casus*, *nihil amplius vocare quam damnum*. Et novus homo videtur esse qui a libertate in servitutem recidit; *l.* † *servus legatus*, *ff. de adim. legat.*

Adeoque fictione juris servi mortuis comparantur, & servitus mortalitati; *l. servitutem*, *de R. J.* ut si legatum cui sub conditione relictum sit, legatum extinguitur morte legatarii, & servitute pœnæ, id est damnatione in metallum, quia servitus morti adsimilatur; *l. intercidit*, *ff. de condit. & demonstr.* Ex constit. Severi donatio inter conjuges morte confirmatur; sed si donator, vel donatarius servus fuerit effectus, donatio extinguitur, quamvis servitus morti comparetur; *l. cum hic status*, §. *si donator*, *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Quia nimirum donatio in eum casum decidit, a quo incipere non potest.

Qui in servitute est, non potest usucapere, quia possidere non potest, cum ipse possideatur; *l. qui in servitute*, *de R. J. l. 4.* §. *servus*, *ff. de usucap.*

Non modo servus manumissus novus homo, seu alius videtur esse, sed & servus manumissus, si rursus in servitutem recidat, novus homo videtur esse: hinc servo manumisso si adimatur legatum, etsi idem rursus in servitutem recidat, non tamen resuscitatur legatum, novus enim videtur homo esse; *l. servus legatus*, §. 1. *ff. de adim. legat.* Ita & servo promisso interim manumisso, promissor liberatur, & si rursus servus effectus sit, obligatio semel extincta non restituitur, alius enim videtur esse; *l. qui res*, §. *aream*, *de solut.*

CAPUT XVII.

Deportatus fictione legis pro mortuo habetur.

Alia est mors naturalis, alia civilis seu fictitia; mors naturalis, quæ a natura oritur; mors civilis, quæ a lege, quæ finxit hominem mortuum cum non sit.

Deportatus fictione legis pro mortuo habetur quoad ea quæ sunt juris civilis; *l. verum est*, §. *societas*, *ff. pro soc.* Ex qua societas solvitur morte naturali, vel maxima aut media capitis deminutione, id est servitute pœnæ, seu damnatione in metallum, vel deportatione.

Ex formula Galli posthumus nepos instituit potest, in casum mortis filii

Source : BIU Cujas

vel deportationis, casus mortis trahitur ad deportationem ; *l. Gallus*, §. *& quid si*, *de liber. & posth.*

Si filius sit & ex eo nepos, filius emancipatus vel in potestate manens deportatus, non obstat nepoti, quin ei detur bonorum possessio contra tabulas ; deportati enim mortuorum loco habentur ; *l.* 1. §. *filium*, *ff. de bonor. poss. contra tab.* & si patronus deportatus sit, filio ejus competit bonorum possessio in bonis liberti, nec impedimento ei est patronus, qui mortui loco habetur ; *l.* 4. §. *si deportatus*, *ff. de bon. libert.* si pater deportatus sit, vel servus pœnæ effectus, nepos filii loco succedit ; *l. si qua pœna*, *ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* quia deportatus & servus pœnæ pro mortuis habentur. Eadem fictione juris, liberi concepti post deportationem patris non faciunt deficere conditionem fideicommissi si sine liberis, quasi ab alio suscepti ; *l. ex facto*, §. *ex facto*, *ff. ad Trebell.* quia deportatus pro mortuo habetur, qui liberos amplius procreare non potest.

Deportatus pro mortuo habetur quoad ea quæ sunt juris civilis ; quia amittit civitatem, non libertatem, amittit ea quæ sunt juris civilis, puta jus testamenti faciendi ; *l. si quis filio*, §. *ejus qui deportatur*, *ff. de injust. irrit. l.* 1. §. *hi quibus*, *de legat.* 3. *l. sunt quidam*, *de pœn. l. ejus qui apud hostes*, *qui test. fac. l.* 1. C. *de hered. instit.*

Deportatus solvitur obligationibus omnibus ; ex quo fidejussor pro deportato obligari non potest, quia tota obligatio adversus eum extincta est ; *l. si debitori*, *ff. de fidejuss.*

Deportatus non potest capere ex testamento hereditatem, legatum, vel fideicommissum, nisi quid alimentorum nomine ; *l. cum Ulpianus*, *ff. de interdict. & relegat. l.* 1. C. *de hered. instit.* Hinc in exilio amicorum testamentis se non omissum gloriatur M. Tull. pro domo. *Quis in meum locum judicem subdidit, quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod etsi adessem?*

Deportatus non per omnia mortuo comparatur ; ut si pater rogatus sit restituere hereditatem liberis, vel cui ex his voluerit, & postea ob delictum in insulam deportatus sit, non amittit jus eligendi, ex responso Papiniani, quod extat in *l. cum pater*, §. *hereditatem*, *de legat.* 2. & refertur ab Ulpiano *in d. l. ex facto*, §. *si quis rogatus* 6. ; quia deportatus amittit civitatem, non libertatem, amittit ea quæ sunt juris civilis, non quæ sunt juris naturalis, & magis facti, quam juris ; *l. legatum*, *de capit. minut.* electio autem magis est facti, quam juris, cum versetur in nudo ministerio ; *l. unum ex familia*, §. *si Falcidia*, *de legat.* 2. Hinc legatum in annos, vel menses singulos, non finitur capitis diminutione ; quia tale legatum in facto magis, quam in jure consistit ; *d. l. legatum*, nempe legatum, quod in annos vel menses singulos relinquitur, alimentorum causa relinqui intelligitur ; *l. cum hi*, §. *sive igitur*, *ff. de transact.*

Si heres rogatus sit post mortem restituere hereditatem, conditio fideicommissi non existit deportatione, donec mors naturalis secuta sit ; *d.* §. *hereditatem*, *l. Statius Florus*, §. *Cornelio Felici*, *de jur. fisc.* ut & donatio cum morieris tot dari, non committitur deportatione, sed morte naturali ; *l. ex ea parte*, §. *in insulam*, *ff. de V. O.* In fideicommissis & donationibus collatis in tempus mortis, inspicitur potius mors naturalis quam civilis, quam ominari nefas est ; casum adversamque fortunam spectari hominis liberi, neque civile, neque naturale est ; *l. inter stipulantem*, §. *sacram*, *de V. O.*

Et donatio facta uxori, deportatione viri plene non confirmatur ; quia deportatio non omnino similis est morti ; *l. sed si mors*, *ff. de donat. inter vir. & uxor. l. res uxoris*, C. *eod.* & legatum non fit caducum deportatione legatarii, propter spem restitutionis ; *l. intercidit*, *ff. de condit. & demonstrat.*

Matri-

Source : BIU Cujas

Matrimonium non solvitur deportatione, quasi morte mariti; *d. l. sed si mors, d. l. rei uxoris, l. 5. ff. de bon. damnat.* nisi casus mortis mariti mutet affectum uxoris; *l. 1. C. de repud.* & ita intelligenda est *l. si quis sic stipuletur, ff. solut. matrim.*

Deportatus amittit ea quæ sunt juris civilis, non ea quæ sunt juris gentium; ut emit, vendit, locat, conducit, fœnus exercet; *l. deportatus, ff. de interd. & relegat.* Idemque partis post deportationem dum superstes est utitur, sed post mortem ea fiscus occupat; *d. l. deportatus, l. 2. C. de bon. proscript. & d. l. 1. C. de hered. instit.*

Denique mors civilis non æquatur in omnibus morti naturali, & statutum loquens de morte naturali non extenditur ad civilem: *l. ult. C. de † his qui ven. ætat. impetr.*

CAPUT XVIII.

Sicut & is, cujus bona publicata sunt: qui capitis damnatus est, etiam antequam pœna affectus sit: testator, qui nomen heredis vel scribere, vel articulate nuncupare non potest: professus monachus: manumissus. Liberi bello amissi pro superstitibus habentur.

ETIAM is, cujus bona publicata sunt, pro mortuo habetur: ut societas solvitur publicatione omnium bonorum velut morte; si enim socii bona publicentur, cum in locum ejus alius succedat, nempe fiscus, pro mortuo habetur; *l. actione, §. publicatione, ff. pro soc.* Is, cujus bona publicata sunt, mortuo comparatur, quod amissis bonis quasi vitæ luce careat, & pro nullo sit. Hinc restitutio non est adversus eum, qui amissis bonis & civitate nudus exulat, quasi non esset in rerum natura; *l. tutelas, de capit. minut.*

Eadem fictione damnatus capite statim pro mortuo habetur, antequam pœna affectus sit. Ultimo supplicio damnatus statim amittit civitatem & libertatem, quia servus pœnæ efficitur, & casus hic præoccupat mortem; *l. qui ultimo, ff. de pœn.* Sed & si quis capite damnatus fuerit, testamentum ejus irritum fiet, non cum consumptus est, sed cum sententiam passus; nam pœnæ servus efficitur; *l. si quis filio, §. † sed & si quis, ff. de injust. rupt.* Et cui criminis venia fit a Principe, a mortuis suscitatus dicitur; Greg. Nyssen. in orat. funebr. Placillæ: *πόσοι δὶ ἐκεῖνον τὸν τῆς Ἀναστάσεως χάριν ἐφ' ἑαυτῶν ἐγνώρισαν, οἱ τοῖς νόμοις ἀποθανόντες, καὶ τῷ ἐπὶ θανάτῳ ψήφῳ δοξάμενοι, πάλιν δὶ αὐτῆς εἰς τὸν ζωὴν ἀνεκλήθησαν: Quot propter illam, resurrectionis gratiam acceperunt, qui legibus mortui, & capitis damnati, rursus per eam ad vitam revocati sunt.*

Si testator propter vim ægritudinis nequeat scribere nomen heredis, vel articulate nuncupare testibus, testari non potest; pro mortuo enim habetur; *l. jubemus, C. de testam.* Momentum moriendi vitæ an morti deputetur, non consensere veteres; Gell. noct. Att. 6. cap. 13. *Alii moriendi verbum atque momentum manente adhuc vita dici, atque fieri putaverunt; alii nihil in eo tempore vitæ reliquerunt, totumque illud, quod mori dicitur, morti vendicaverunt.*

Etiam fictione legis monachus professus pro mortuo habetur. Puta matrimonium solvitur professione velut morte, & uterque conjugum res suas repetit, quas pro dote vel ante nuptias donatione præstiterat, quasi soluto matrimonio morte viri vel uxoris, & hoc tantum lucrum consequitur, quod debuit a lege vel ex pacto in casum mortis exigere; *l. † Deo nobis, C. de Episc. & cleric. can. † scripsit nobis, 27. qu. 2.* Et conditio fideicommissi relicti in tempus mortis committitur professione, non expectata morte naturali; *arg. ejusd. legis.*

Source : BIU Cujas

Professus non habet jus testandi ; *can. quia ingredientibus*, 19. *qu.* 3. ne quidem ex consensu summi Pontificis ; *cap. cum ad monasterium*, in fin. *de stat. monach.* Idem non potest baptizare vel alia sacramenta ministrare, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit ; *can.* † *placuit* 2. 16. *qu.* 1. Idem in testem non auditur, quia habet vocem funestam ; *can. placuit*, *can. nullus*, 2. *qu.* 7. synod. VI. *in Trull. can.* 41.

Et beneficium vacat professione quasi morte ; *can. Gonsaldus*, 17. *qu.* 2. *cap. beneficium*, *de regular. in* 6.

Manumissus etiam, licet per manumissionem ejus conditio in melius mutetur, mortuo comparatur ; quia manumissione, ut morte, servi dominium amittitur : ut si servus meus subreptus sit, mortuo vel manumisso servo furti actio non extinguitur : manumissio non dissimilis est morti quoad subtrahendum domino servum ; *l. inter omnes*, *ff. de furt.* Et si servus promissus vel legatus interim manumissus sit, non debetur ; quia manumissio morti similis est ; *l. si mihi*, *de solut.*

Saltem manumissus novus homo videtur esse: servo legato filio, inter vivos manumisso, legatum evanescit, nec resuscitatur manumisso rursus redacto in servitutem, novus enim videtur homo esse ; *l. servus legatus*, *ff. de adimend. legat.*

Unde manumissus ex negotio ante gesto conveniri non potest ; *l.* † *eum actum*, *l. atqui*, §. 1. *l. quæ utiliter*, §. 1. *ff. de negot. gest. l. si cognati*, C. *eod.*

E contrario quandoque mortui pro superstitibus habentur, ut liberi bello amissi pro superstitibus habentur, & prosunt patri ad excusationem a tutelis & aliis muneribus civilibus ; quia per gloriam vivere intelliguntur ; *l. bello amissi*, *ff. de excusat. tut. cap.* 1. *inst. eod. l. ult. de vacat. & excus. muner.*

CAPUT XIX.

Lex aliquando fingit res quasdam inanimatas esse personas, puta monasterium, jacentem hereditatem, universitatem.

IN multis partibus juris sunt personæ fictæ : lex finxit personas vel homines esse res quæ sensu & anima carent, ut monasterium fictione juris est loco filii favore piæ causæ, vel ob affectum quasi paternum, quod monachus diligat monasterium, sicut pater liberos.

Hoc jure substitutio facta sub conditione si sine liberis deficit, si heres rogatus se & sua dicet monasterio ; *l. sancimus* 53., §. *item illud statuimus*, C. *de Episc. & cleric. cap. in præsentia*, *de probat.* Non videtur expers liberorum qui ingressus est monasterium, ut qui ecclesiam aut monasterium heredem instituit ; & si legatum relinquatur puellæ sub conditione nuptiarum, seu liberorum, legatum debetur, si ingrediatur monasterium ; *d. l. sancimus*, & *l.* 1. C. *de nov.* 123. *cap.* 37. *auth. nisi rogati*, C. *ad Trebell.*

† V. si probat. Faciunt *l.* 1. C. *de offic. ejus, qui vicem alicujus judic. obtinet*, & *l.* 22. §. *ult. ff. ex quib. caus. major. l.* 9. *ff. de appellat. & relat.*

Fictione juris etiam civitates personarum vice funguntur, ut civitas vel respublica jure pupilli vel minoris utitur, & ut pupilla extra ordinem restituitur ; *l. rempublicam*, C. *de jur. reip. l. respublica*, C. *quib. ex caus. major. l.* † *ult.* C. *de in integr. restit.* Et civitas mutui datione non obligatur, nisi pecuniæ in rem ejus versæ sint ; *l. civitas*, *ff. de reb. credit.* Ob pecuniam civitati subreptam datur actio furti, non peculatus ; *l. ob pecuniam*, *ff. de furt.* & SC. Macedoniano locus est in civitate æque ac in privato, si filiofamilias pecuniam mutuam crediderit ; *l. nihil interest*, *ff. ad Maced.*

Ex edicto ex quibus causis majores, legatus municipii vel civitatis, si indefen-

defensus damnatus sit, propter absentiam civitatis causa restituitur, licet reip. causa non absit ; *l. legatis*, *l. sed etsi*, §. *ult. ff. ex quib. caus. major.* Ex edicto ædilitio actio redhibitioria non habet locum in venditione rerum fisci, secus in venditione rerum reip. vel civitatis ; *l.* 1. §. *illud*, *ff. de ædil. edict.* Denique vectigalia civitatis proprie non dicuntur publica, nam civitates privatorum loco habentur ; *l. eum qui vectigal*, *ff. de V. S.* Quod jus porrectum est ad collegia, societates, & alia corpora : & hoc est quod ait *l. mortuo*, *ff. de fidejuss.* hereditatem personæ vice fungi, sicut municipium, curiam, & societatem. Municipia, collegia, societates & alia corpora, licet multa habeant argumenta reipublicæ, puta res communes, arcam communem, actorem sive syndicum ; *l.* 1. §. *quibus*, *ff. quod cujusq. univers.* & commune sigillum ; *cap. dilecta*, *de excess. prælat. cap. significavit*, *de appell.* tamen non constituunt remp. & privatorum seu personarum jure censentur. Ecclesia etiam personæ vice fungitur, & minoris jure utitur ; *cap.* 1. 2. & 3. *de in integr. restit.*

Fictione juris etiam hereditas jacens personæ vice fungitur, & pro domina habetur, quia repræsentat personam defuncti. Quod multis juris civilis argumentis comprobatur ; ut per servum hereditarium ex stipulatu vel traditione acquiritur hereditati, & per eam heredi futuro : hujusmodi contractus ex persona defuncti vires assumit ; hereditas enim non heredis, sed defuncti personam sustinet ; *l. in eo*, §. *ult. cum l. seq. ff. de acquir. rer. dom. l. qui a servo*, *de oblig. & act.* Et per servum hereditarium acquiritur hereditati ut domino, quia hereditas pro domino habetur ; *l. hereditas in multis*, *ff. de adq. rer. dom.* Si servus hereditarius rem hereditariam commodarit, vel deposuerit, actio commodati, vel depositi acquiritur hereditati, & per eam heredi postea adeunti ; *l.* 1. §. † *item si servus*, *ff. depos. l. cum hereditas*, C. *eod. & d. l. qui a servo*. Servus hereditarius ante aditam hereditatem institui potest, vel ei legari potest ; & per eum adquiritur hereditati, quia hereditas personæ, seu defuncti vicem sustinet ; *l. non minus*, §. *hereditarium*, *ff. de hered. instit.* §. *servus etiam*, *instit. eod. tit. l. debitor*, in fin. *de legat.* 2. Si servus hereditarius occidatur, salva est hereditati legis Aquiliæ actio, & per eum heredi postquam adierit hereditatem, quia hereditas jacens pro domino habetur ; *l. liber homo* 13., §. *si servus*, *ff. ad l. Aquil. l. si a domino*, §. *si possessor*, *ff. de petit. hered.* Jacente hereditate, si quid vi aut clam factum sit in fundo hereditario, heredi post aditam hereditatem datur interdictum quod vi aut clam. Neque obstat quod eo tempore nemo dominus fuit rerum hereditariarum, quia hereditas jacens dominæ locum obtinet ; *l. denique*, §. *quæsitum*, *ff. quod vi aut clam*. Mortuo reo promittendi, & ante † aditam hereditatem fidejussor accipi potest, quia hereditas personæ, id est defuncti vice fungitur, ad exemplum municipii, curiæ, & societatis ; *d. l. mortuo*. Si novandi causa a Titio stipuler sub conditione, quod mihi Sempronius debet, & pendente conditione Titius decesserit, tum ante aditam hereditatem conditio extiterit, novatio fit, quia interim hereditas sustinet personam heredis ; *l. novatio* 24. *ff. de novat.* Quia interrogatus respondit servum hereditarium esse, ex sua responsione tenetur hereditati, quia hereditas domini loco habetur ; *l. si ante*, *ff. de interrogat. act.*

Hereditas usucapit quod defunctus cœpit usucapere, quia hereditas unius personæ vice fungitur, id est defuncti ; *l. heres*, *ff. de usucap.* Ob id usucapio cœpta a defuncto potest ante aditam hereditatem impleri ; *l. cœptam*, *l. justo errore*, §. *nondum*, *ff. eod. l. qui cum*, §. *ult. ff. pro empt.*

Denique in his quæ sunt juris, per servum hereditarium acquiritur hereditati, puta in actionibus ; in his vero quæ sunt facti, quæ factum & operam hominis requirunt, nihil hereditati quæri potest per servum hereditarium ; nam licet jacente hereditate servus hereditarius heres institui possit, interim non potest adire hereditatem, sed expectandum est quoad heres adierit hereditatem,

Source : BIU Cujas

quod non possit adire hereditatem absque jussu domini : ut & servus hereditarius non potest acquirere usumfructum , quia ususfructus non potest constitui sine persona quæ utatur fruatur , at hereditas non potest uti frui ; *d. l. hereditas in multis* , *l. ususfructus* , *ff. de stipulat. serv.* Eadem ratione hereditati furtum non fit , quia hereditas possessionem non habet , quæ est facti & animi ; *l.* 1. §. *Scævola* , *ff. si is qui testam. liber esse juss. l. hereditariæ* , *de furt.*

CAPUT XX.

Fictione juris heres una & eadem persona videtur cum defuncto. Plures correi unius loco habentur.

SICUT fictione juris hereditas personæ , id est defuncti vice fungitur , ita & heres una & eadem persona videtur cum defuncto ; *l.* † *heres* 22. *ff. de usucap. l.* † *ambiguitas* , C. *de usufr. nov. Just.* 48. Quia heres succedit in jus universum defuncti ; *l. heres in omne* , *ff. de adq. hered. l. hereditas* , *de R. J.* Adeo ut sit ejusdem juris & potestatis, cujus fuit defunctus ; *l. heredem*, *ff. eod. l. postulante* , in pr. *ff. ad Trebell.*

† corrig. *ambiguitatem* ; quæ tamen ad rem non facit . Auctoris vero intentionem fuisse se referri ad *l. antiquitas* , *h. tit.* arguitur ex sequentibus . Sed si probat vide .

Puta in implenda usucapione heres personæ defuncti vicem sustinet, usucapit enim quod defunctus cœpit usucapere ; *d. l. heres* . Usucapio cœpta a defuncto impletur ab herede , quia possessio defuncti , quasi juncta descendit ad heredem ; *l. cum miles* , *ff. ex quib. caus. major.* Possessio defuncti prodest heredi ad implendam usucapionem , si medio tempore alius non possederit ; *l. possessio* , *ff. de usucap.*

Assertioni juratæ defuncti de modo suorum bonorum heres stare compellitur , quia heredis & defuncti una & eadem quodammodo est persona ; *d. nov.* 48.

Eodem figmento heres sequitur forum defuncti in actionibus hereditariis ; *l. heres* , in pr. *l. si is qui* , *ff. de judic.* Heres non potest inficiari legata a testatore relicta filiis spuriis vel concubinæ , quia non potest suffundere pudorem ejus , cujus personam repræsentat.

Et si plures sint heredes actoris vel rei , in judicio unum dumtaxat procuratorem constituere possunt ; *l. licet* , §. *pen. ff. de procur.* quia plures unius, id est defuncti personam repræsentant , ubi plures in unius locum substituuntur, pro singulari persona habendi sunt ; *l. cui fundus* , *de condit. & demonstr.*

† Corrig. *d. l. antiquitas*, quia hic bene facit .

Nec modo primus heres , sed & secundus & deinceps heredes unius esse videntur , id est primi defuncti ; *l.* 3. *ff. de petit. hered. l.* 7. §. *ult. ff. de adq. hered. l. ult.* C. *de hered. inst. d. l.* † *ambiguitas* . Quia heredes quocumque gradu sint sustinent personam testatoris . Heres heredis est heres testatoris ; *d. l. ult.* Unde heredis appellatione , non modo primus heres defuncti , sed & heres heredis & ulteriores continentur ; *l. heredis* 65. , *l. sciendum* , *ff. de V. S.* Ideoque possessio defuncti non proximo , sed etiam ulteriori heredi prodest ad implendam usucapionem , licet medius , id est proximus heres possessionem nactus non sit ; *l.* 2. §. *etiam heredi* , *ff. pro emptor.*

Æque si plures sint rei stipulandi vel promittendi, singulis in solidum debetur, & singuli in solidum debent , & petitione , & exactione , vel acceptilatione unius, tota solvitur obligatio ; *l.* 2. *&* 3. §. 1. *ff. de duob. reis* , & si duo rei stipulandi sunt , uni solidum solvi potest , & unus e correis totam rem in judicium deducere potest ; *l. si rem* , §. *si duo ff. de novat.* Ratio est , quia duo vel plures correi fictione juris pro uno habentur , quod unum sit debitum , una obligatio ; *l. si plures . ff. de pact. l. qui hominem* , §. *si duo* , *ff. de solut.*

Si

Si plures sint rei stipulandi, adeo verum est singulis in solidum deberi, ut præventioni locus sit; & si unus e pluribus correis stipulandi prior agere cœperit, alteri debitor solvendo non liberatur; *l. ex duobus 16., ff. de duob. reis.*

Et si plures sint correi credendi, interpellatio, vel litis contestatio facta ab uno ex creditoribus, prodest aliis creditoribus ad interrumpendam præscriptionem, ut agnitio & solutio ex parte facta ab uno e debitoribus, nocet aliis ad interrumpendam præscriptionem, cum una sit obligatio, unus contractus, eadem causa debendi; *l. ult. C. de duob. reis.*

CAPUT XXI.

Eadem fictio sæpius inducit confusionem aut commixtionem personarum.

FICTIONE juris sæpius confusio personarum inducitur, ita ut unus pro alio assumatur, vel ut duæ vel plures personæ in unam & eandem coeant, ut filius & pater natura una & eadem persona esse pene intelliguntur; *l. ult. C. de impub. & aliis substit.* & vox patris vox filii, §. 4. *inst. de inutil. stipulat.* Quod idem locum habet in domino & servo; *l. 1. & pass. ff. de stipulat. serv.* Hinc ne videatur pater abscindi a filio, in dividendis prædiis, quibus accedunt servi seu ascriptitii, liberi non debent sejungi a parentibus, puta non debet uni pater, alteri filius adjudicari, sed eidem pater & filius adjudicandus est; *l. pen. C. comm. utriusq. judic. l. si domus, §. qui confitetur, ff. de legat. 1.* Et fratres captivi si veniant sub hasta, non segregantur; Senec. 9. controv. 3. *In auctione fratres quamvis hostilis hasta non dividit.*

Pari commento consiliarii Principum & senatores habentur pro parte corporis Principis, & crimen perduellionis seu majestatis contrahitur in viris illustribus, qui consiliis & consistorio Principis intersunt, & senatoribus: *Nam & ipsi*, inquiunt Impp. *pars corporis nostri sunt; l. quisquis, C. ad l. Jul. majestat.* Hoc colore etiam juris periti, qui in consilium Principis assumuntur, excusantur a tutelis, quoniam circa latus eorum agunt, & honor delatus finem certi temporis ac loci non habet; *l. jurisperitos, ff. de excusat.*

Et pariter patricii, quæ dignitas auctorem habet Constantinum, censentur quasi patres Principis; Zozim. **) lib. 8. de Eutropio in Patricium lecto: ὑπάτε, καὶ πατρὸς βασιλέως ἀξίαι ἐτιμήθη, quo alludens Claudian. lib. 2. in Eutrop. postquam publicatis bonis deportatum memoravit in Cyprum insulam.

Diremptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras Principis esse pater.

Hinc patriciatus dignitas solvit patriam potestatem, cum minime ferendum sit, eum in aliena potestate versari, quem sibi Imperator patrem elegit; *l. ult. C. de cons. lib. 12. §. filiusf. inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.*

Aliquando idem sustinet discrepantes, imo & pugnantes personas, judicis & testis, nec non partis simul, ut heres cui defertur jusjurandum, ut juret an fideicommissum a se relictum sit, necne, quasi judex & testis constituitur in propria causa; *l. ult. C. de fideicommiss. l. 1. ff. quar. rer. act. non † dat.*

Non est proprie testis vel judex, quia nemo est idoneus testis vel judex in sua causa, sed quasi testis vel judex, quod ejus sacramento veluti sententiæ judicis vel testis fidei statur.

Fictione juris in aliis locis juris confunduntur etiam personæ, ut qui facit per alium, per se facere intelligitur. Exempli causa, qui tutelam per alium gessit, tutelæ actione tenetur, ac si eam gessisset: videtur enim gessisse qui per alium gessit; *l. † ita autem depositioni, §. quod si quis, ff. de administr.*

Source : BIU Cujas

tut. Quod jussu meo alteri solvitur, perinde est ac si mihi solutum esset ; *l. quod jussu ; de R. J. l. cum jussu, de solut. l. mortuo*, §. *ult. ff. de statuliber.* Et possidere videtur qui possidet per se vel per alium, puta per servum vel colonum ; *l. generaliter, l. qui universas*, §. *quod per colonum, ff. de adqu. possess. l.* 1. C. *comm. de usucap.*

Pari commixtione personarum, heres heredis videtur heres primi defuncti ; *l. heredis appellatio, l. sciendum, de V. S. l. qui per successionem, de R. J.* Hinc petitio hereditatis datur heredi heredis ; *l.* 3. *ff. de hered. petit.* & substitutus substituto, videtur substitutus instituto ; *l. si Titius, ff. de vulg. & pupillar.*

CAPUT XXII.

Confusione per aditionem hereditatis facta, velut solutione, tollitur naturalis & civilis obligatio.

FICTIONE juris etiam confunduntur personæ duorum vel plurium, veluti creditoris & debitoris, ut si creditor debitori, vel contra debitor creditori heres extiterit, aditione hereditatis, e duabus personis una quodammodo conflatur, & confusione velut solutione extinguitur obligatio civilis & naturalis ; ne unus & idem sibi crediror & debitor sit, quod civilis & naturalis ratio non patitur ; *l. Stichum*, §. *aditio, ff. de solut. l. heres*, §. *quod si stipulator, de fidejuss. l. si id quod*, §. 1. *de libert. legat. l. debitor ; ad Trebell. l. debitori*, C. *de pact.* Confusione velut solutione extinguitur obligatio, videtur enim heres sibi solvere adeundo hereditatem ; *l. si ei cui vendidi*, §. *ult. ff. de evict. l. quæ dotis, solut. matrim. l. Granius, de fidejuss.*

Hinc creditor pigneratitius idemque heres debitoris, si rogatus sit restituere hereditatem, etsi aditione hereditatis confundantur actiones, restituta hereditate salvum habet jus pignoris, quia fingitur non fuisse dominus propter onus fideicommissi ; *d. l. debitor, & ibi Alberic.*

Et si heres adeat hereditatem confecto inventario, actiones quas habuit adversus defunctum non confunduntur, & pari cum aliis creditoribus defuncti sorte utitur, & si forte hereditatem dimittat, deducit omne æs alienum quod sibi defunctus debuit, vel quod solvit aliis creditoribus, deducit etiam sumptum funeris defuncti, & alia omnia quæ impendit in hereditatem ; *l. scimus*, §. *in computatione*, C. *de jur. deliberand.*

CAPUT XXIII.

Figmento juris evenit, ut major pars universitatis habeatur pro universis : & quandoque, ut unus solus personam totius universitatis sustineat.

MAJOR pars universitatis vel collegii figmento juris habetur pro universis : quod major pars civitatis vel curiæ, id est senatus municipalis facit, pro eo est ac si omnes egerint ; *l. quod major, ff. ad municipal. l. si quod*, C. *de legation.* Ad universos refertur quod publice, id est communi tractatu concilioque habito, fit per majorem partem ; *l. aliud*, §. *refertur, de R. J.* dummodo duæ partes ordinis intersint ; *l.* 3. *&* 4. *ff. quod cujusq. univers. l.* 3. *de decret. ab ord. fac. l. nominationum*, C. *de decur. lib.* 10.

Pari

Source : BIU Cujas

Pari commento pactum majoris partis creditorum de remittenda certa parte debiti heredi, qui alioquin non esset aditurus hereditatem, obligat ceteros creditores, perinde ac si omnes consensissent; *l. juris gentium*, §. *ult. & seq. ff. de pact. l. cum hereditas, de administr. tut.* Idem dicendum est in pacto majoris partis creditorum de dandis induciis debitori, vel admittenda cessione bonorum; *l. ult.* C. *qui bon. ced.* Major pars creditorum intelligitur, non pro numero creditorum, sed pro modo & cumulo debiti; *d. l. ult. & l. majorem, ff. de pact. l. si nemo, de testam. tutel. l. cum bona, de reb. auctor. judic. possid.*

Pariter quod fit a majore & saniore parte capituli, perinde est atque si ab omnibus factum sit; *cap. 1. de his quæ fiunt a major. part. capitul.* ut in concordia, ab omnibus electus intelligitur, qui electus est consensu majoris & sanioris partis capituli; *cap. cum olim, de re judic.* quia major pars trahit ad se minorem per prævalentiam; *l. in rem*, §. *in omnibus, ff. de rei vindicat.* & postulatio concors videtur, licet omnes non uno tempore consenserint; *cap. bonæ memoriæ 2. de postulat. prælat.* Quia consensus eorum, qui ex postfacto accessere, retrotrahitur ad tempus postulationis, & fingitur interveniisse in ipso actu postulationis.

Quandoque vero unus solus sustinet personam totius universitatis, ut si universitas ad unum reciderit, is nomine universitatis potest agere, & convenire, cum jus & nomen universitatis in unum reciderit, & in uno consistat; *l. sicut municipum*, §. *in decurionibus, ff. quod cujusq. universit.* Jus & nomen universitatis retinetur in uno, licet ab initio universitas non possit stare in uno, quia saltem tres esse oportet, ut constituatur collegium; *l. Neratius, ff. de V. S.* Et in grege, si grex deminutus sit ad unum usque, licet grex esse desierit, legatum consistit in uno; *l. si grege, ff. de legat. 1. l. 1.* §. *ult. & dd. ll. seqq. ff. de rei vindicat.* Sic si capitulum ad unum redierit, electio vel postulatio ad eum devolvitur; *gloss. & Hostiens. in cap. 2. de postulat. prælat.* quod jus & nomen universitatis in uno retineatur.

CAPUT XXIV.

Fictione juris tam vir, quam uxor, uterque censetur dominus ac possessor dotis, mulier jure naturali, maritus fictione juris civilis.

REGULARITER duo in solidum non possunt esse domini vel possessores ejusdem rei; *l. 5.* §. *ult. ff. commod. l. 3.* §. *ex contrario, de adqu. possess.* Fictione juris tam vir quam uxor, uterque censetur dominus vel possessor dotis, mulier jure naturali est domina dotis, maritus fictione juris civilis, seu legum subtilitate; *l. in rebus*, C. *de jur. dot.*

Jure naturali dominium dotis est penes mulierem, propter promiscuum usum rerum, & societatem vitæ, quæ quodammodo eam dominam facit; *l. 1. ff. rer. amot. l. quamvis*, C. *de furt. l. 4.* C. *de crim. expil. hered.* Dos in bonis mulieris est inspecto initio, quia dos ab ea proficiscitur, & dos mulieris proprium patrimonium est; *l. filium, ff. de collat. bonor. l. denique*, §. *ergo, de minorib.* Exinde si thesaurus inventus sit in fundo dotali, in fructus non computatur, sed dimidiam vir restituit quasi in alieno inventi; *l. divortio, al. l. 7.* §. *si fundum, ff. solut. matrim.* Dos etiam in bonis mulieris inspecto effectu exituque, quia plerumque morte viri aut divortio soluto matrimonio dos redit ad mulierem; & interim omne emolumentum dotis, id est commodum fructuum hujus esse creditur: quia horum causa maritus sustinet omnia onera matrimonii; *l. quamvis, ff. de jur. dot.*

Source : BIU Cujas

Jure civili maritus est dominus dotis : hoc jure constante matrimonio marito datur vindicatio fundi dotalis adversus extraneum , non mulieri ; *l. doce ancillam* , C. *de rei vindicat.* & maritus potest manumittere servos dotales si sit solvendo ; *l. servum dotalem* , *ff. de manumiss. l.* 3. C. *de jur. dot. l.* 1. C. *de serv. pign. dat. manumiss.* Rei dotalis nomine , etiam quæ est periculo mulieris , id est quæ inæstimata est , non mulier furti actionem habet , sed maritus ; *l. interdum. ff. de furt.* Mulier alienando fundum dotalem , non potest tollere marito rei quæsitæ dominium ; *l. si prædium* , C. *de jur. dot.* Si servus dotalis heres scriptus sit , non potest adire , vel repudiare hereditatem sine jussu mariti ; *l. servus dotalis* , *ff. solut. matrim.* Si res in dotem dentur , in bonis mariti fiunt , & accessio temporis marito ex persona mulieris datur , id est possessio mulieris marito prodest ad implendam usucapionem ; *l. dotis fructum* . §. *si res* , *ff. de jur. dot.*

Imo , quia dos marito traditur , effectus traditionis est , quod etiam quodammodo jure naturali dominium dotis , traditione dotis transfertur in maritum ; §. *per traditionem* , *instit. de rer. divis.* Verum constante matrimonio dos in bonis mariti est , quatenus spectat ad matrimonium , & inservit oneribus matrimonii ; sed si maritus vocetur ad munera municipalia pro modo substantiæ , dos non computatur in bonis mariti ; *l. Lucius* , §. *idem respondit* 4. , *ff. ad municipal.*

Quod dictum , dotem in bonis mulieris esse , proprie locum habet in dote inæstimata ; *d. l. quamvis* , in qua si fundus inæstimatus in dotem datus evictus sit , mulieri datur actio ex stipulatu de evictione ; quia ejus interest fundum non esse evictum , ne dote careat : in dote æstimata maritus jure gentium & civili est dominus dotis , quia dos æstimata est vendita ; *l.* † *cum post* , §. *cum res* , C. *de jur. dot. l. quoties* , C. *eod.*

† Corrig. *l. cum post* , §. *in dotem* , *ff. de jur. dot.* Et adde *l.* 10. §. 4. eod. tit.

Non uno loco tamen maritus & uxor simul domini & possessores intelliguntur : ut , si fundus in dotem datus sit , tam uxor quam maritus possessores intelliguntur , quantum ad hoc ne satisdare cogantur tamquam possessores rerum immobilium ; *l. sciendum* , §. *si fundus* , *ff. qui satisd. cog.* Et si res in dotem data fuerit , vel ex dote recepta , accessio datur marito vel uxori ; *l. Pomponius* , §. *in dote* , *ff. de adq. possess.* & hoc est quod insinuatur initio *d. l. quamvis : in bonis mariti licet dos sit , mulieris tamen esse.*

CAPUT XXV.

Pupillus , furiosus , prodigus nec velle , nec nolle creduntur in his , quæ animi judicio fiunt.

PUPILLUS nec velle nec nolle creditur , nisi adhibita tutoris auctoritate , nam in his , quæ animi judicio fiunt , tutoris auctoritas necessaria est ; *l. pupillus* , *de R. J.* Puta , pupillus non potest adire hereditatem nisi tutore auctore ; *l. pupillus* , *ff. de adqu. hered.* quia aditio hereditatis est potius animi & consilii , quam facti , sicut pro herede gestio ; *l. pro herede* , *ff. eod.*

Pupillus vero etiam sine tutoris auctoritate possessionem acquirere potest ; *l. quamvis* , §. *infans* , *ff. de acqu. possess.* & per possessionem usucapere ; *l.* 4. §. *pupillus* , *ff. de usucap.* quia possessio est facti magis , quam animi & juris ; *l.* 1. † §. *furiosus* , *ff. de adqu. possess. l. consilio* , §. *ult. ff. de curat. furios.* Infans tutore auctore possessionem acquirere potest , quia judicium infantis suppletur auctoritate tutoris ; *d.* §. *infans.*

In impuberem datur actio depositi , furti , vel legis Aquiliæ , si jam doli capax

Source : BIU Cujas

capax sit, id est proximus pubertati; *l.* † *pupillum* 111. *de R.J. l. impuberem. ff. de furt. l.* 1. §. *an in pupillum, depositi. l.* 5. §. *& ideo, ad leg. Aquil.* quia impubes pro pubere habetur, si sit proximus pubertati, & malitia supplet ætatem fictione legis.

Furiosus neque testamentum, neque codicillos, vel quicquam facere potest; quia per omnia & in omnibus absentis & quiescentis loco habetur; *l.* 2. §. *furiosus, ff. de jur. codicill. l. ubi non, de R. J.* Furiosi nulla voluntas est; *l. furiosi, eod. tit.* quia intellectu caret. Quod verum est in his, in quibus expressus consensus requiritur: ut, emenso tempore locationis, locatio non reintegratur, si interim dominus mente captus sit; *l. qui ad certum, ff. locat.* Sed ubi tacita voluntas, seu non contradictio sufficit, tacita voluntas intervenire creditur, quoties furiosi de commodo agitur; ut quicquid filius acquirit, acquirit patri etiam furioso; *l. patre furioso, ff. de his qui sui vel alien. jur.* Et ex quibus causis ignoranti acquiritur, furioso acquiritur; *l. si a furioso, ff. de reb. credit. l. si a furioso, de oblig. & act.* Furiosus, quod ante furorem possidere cœpit, usucapere potest; *l.* 4. §. *furiosus, ff. de usucap.* Furiosus licet uxorem ducere non possit, retinet matrimonium contractum, & potestatem in liberos, quasi voluntatis reliquiis in furioso manentibus; *d. l. patre furioso,* Soluto matrimonio pater dotem non repetit sine voluntate filiæ; sed si filia furiosa sit, videtur experiri, quasi ex voluntate filiæ; *l.* 2. §. *voluntatem, ff. solut. matrim.* Furiosus etiam retinet statum & dignitatem & magistratum, sicut rei suæ dominium; *l. qui furere, de stat. hom.* Et patre furioso vel mente capto liberi possunt nuptias contrahere, quia intelliguntur contrahere ex voluntate patris furiosi, qui non potuit contradicere; *l. si furiosi,* C. *de nupt. l. tam dementis,* C. *de episc. audient.*

Prodigus, cui bonis interdictum est, obligari, aut alienare, aut testari non potest, quia furioso comparatur; *l.*1. *l. consilio, l. Julianus, ff. de curat. furios. l. is cui bonis, de V. O. l.* † *certi conditio,* §. *sed etsi, de reb. credit.* Ejus, cui bonis interdictum est, ut furiosi nulla est voluntas; *l. furiosi, de R.J.* Prodigo, cui bonis interdictum est, datur curator, exemplo furiosi; *d. l.* 1. & is, cui bonis interdictum est, similis est minori, qui non est compos rerum suarum; *l. si curatorem,* C. *de in integr. restit.* quæ omnia non sine fictione juris: is, cui bonis interdictum est, pro furioso vel minore habetur ob mores, qui furoris, vel impuberis ætatis vitio non carent.

CAPUT XXVI.

Testamentum inofficiosum rescinditur eo colore, quasi testator non sanæ mentis fuerit tempore testamenti.

PATER, qui liberos sine causa exheredat, fictione juris pro furioso habetur, & testamentum ejus per querelam inofficiosi rescinditur; hoc colore, quasi testator non sane mentis esset tempore testamenti, non quasi vere furiosus, alioquin testamentum esset nullum; *l.* 2. *l.* 5. *l. Titia,* in fin. *l. mater,* §. *præterea, ff. de inoffic. testam.* Eodem colore, filio emancipato datur bonorum possessio contra tabulas, quasi a demente factæ sint; *l. filium, ff. de adqu. hered,* Insanire creditur pater, qui maligne & non ex pietatis officio ordinat testamentum, quia plerumque pietas paterni nominis consilium capit pro liberis; *l. nec in ea lege,* §. *ult. ff. ad l. Jul. de adulter. cap. super eo* 2. *de testib.* Color quæritur querelæ inofficiosi testamenti, quasi a demente factum sit; sæpius juri color quæritur: ut in *l.* 7. *ff. ad Maced. l. minor autem,* §. 1. *de*

Source : BIU Cujas

minorib. l. † *Sulpicius, de donat. inter vir. & uxor. l. quia poterat, ad Trebell. l. quiſquis*, C. *ad l. Jul. majeſt.* Color eſt cauſa fictitia, ſeu titulus coloratus; Quintil. 11. inſtit. cap. 1. *Quod ſi nulla contingit excuſatio, ſola colorem habet pœnitentia.*

Favore matrimonii, etiam non ſine fictione minor pro majore habetur; unde minor non reſtituitur adverſus dotem, vel donationem propter nuptias, niſi modum excedat; *l.* 1. C. *ſi adv. donat. l. ult.* C. *ſi maj. fact. alien. rat. hab. l. ſi ex cauſa*, §. 1. *ff. de minorib. l. ſive generalis, l. Titia, de jur. dot.* Quo jure minor eſt capax matrimonii, idem eſt capax dotis conſtituendæ, & omnium obligationum quæ pertinent ad matrimonium; *cap. ex parte, de reſtit. ſpoliat.*

Minor quoque in delictis pro majore habetur, nec reſtituitur ſuffragio ætatis, ſed mitius punitur; *d. l. ſi ex cauſa*, §. *nunc videndum, & l. auxilium, eod. tit. l.* 1. *&* 2. C. *ſi adv. delict.* Nec minor, qui dolo malo ſe majorem dixit, adverſarii decipiendi cauſa, reſtituitur; quia pro majore habetur, cum malitia ſuppleat ætatem; *l.* † 2. *&* 3. C. *ſi minor ſe major. dix. l.**) 1. C. *ſi adv. vendit.* Minor, qui veniam ætatis a Principe impetravit, non reſtituitur, quia pro majore habetur; ne qui cum eis contrahunt principali auctoritate circumſcripti videantur; *l.* 1. C. *de his qui ven. ætat.* Beneficium Ptincipis ſupplet ætatem; Liv. lib. 25. de Scipione Afric. *Huic petenti ædilitatem, cum obſiſterent tribuni plebis, negantes rationem ejus habendam eſſe, quod nondum ad petendum legitima ætas foret: ſi me, inquit, omnes Quirites ædilem facere volunt, ſatis annorum habeo.*

In beneficialibus & aliis cauſis ſpiritualibus minor etiam pro majore habetur, & filiuſf. pro patrefamilias; itaut ſit idoneus ad agendum & defendendum ſine patre; *cap. ult. de judic. in* 6. Et ſi renunciaverit beneficio eccleſiaſtico, quaſi major non reſtituitur, juxta *gloſſ. in l. ait prætor*, init. *ff. de minorib.* Sed alio jure utimur.

Lex etiam comminiſcitur nonnullos natos ſine patre, quaſi natos ex ſe, vel e robore: ut ſpurii nullum patrem habere intelliguntur, quia incerto patre nati ſunt; §. † *ſi adverſus, inſt. de nupt. l. vulgo concepti, ff. ſtat. hom.* Pater eſt quem nuptiæ demonſtrant; *l.* 5. *de in jus vocand.*

Nicet. in Alex. Comnen. Porphyr.

DE

DE FICTIONIBUS JURIS

TRACTATUS SECUNDUS.

CAPUT I.

Res quædam non esse finguntur, quæ tamen re vera sunt.

SICUT commento legis finguntur esse personæ, quæ non sunt, vel non existere, quæ re vera sunt : ita etiam finguntur res esse, quæ non sunt, vel non esse, quæ re vera sunt.

Ut, societas solvitur interitu rerum, perinde ac morte socii. Intereunt res, quæ nullæ relinquuntur, id est quæ in rerum natura esse desinunt, vel quæ conditionem mutaverint ; puta, quæ consecratæ, aut publicatæ sunt, id est fisco addictæ ; *l. verum est*, §. *ult. ff. pro soc.* Unde si quis rem profanam stipulanti promiserit, liberatur, si sine facto promissoris res sacra esse cœperit ; *l. inter stipulantem*, §. *sacram*, *ff. de V. O.*

Res abesse videntur, quarum forma mutata est, licet corpus maneat : ut, si corruptæ redditæ sunt, vel transformatæ ; quoniam plerumque plus est in manus pretio, id est in opere, quam in re ; *l. mulieris*, §. 1. *ff. de V. S.*

Res exhiberi non videtur, si dolo malo in aliud corpus sit translata, veluti si ex scypho massa facta sit ; nam mutata forma, prope interimitur substantia rei ; *l. Julianus*, §. *sed si quis*, *ff. ad exhibend. l. ex hoc edicto*, *ff. de alienat. judic. mut. caus.*

Non videtur reddi res commodata vel deposita, si deterior reddatur ; *l.* 3. §. † *si reddita*, *ff. commod. l.* 1. §. *si res*, *depos.* Tamen si res æstimata in

Source : BIU Cujas

dotem data sit, & convenerit, ut aut æstimatio, aut res præstetur, electio est mariti, ut præstet rem, aut æstimationem, itaut rem etiam deteriorem factam reddere possit; *l. plerumque*, §. *ult. & l. seq. ff. de jur dot.*

Et qui reprobos nummos solvit, non liberatur, quia non videtur solvere; *l.* † *eleganter*, §. *qui reprobos*, *ff. de pigner. act.*

Si Seia uniones & hyacinthos legaverit, & postea in aliam speciem ornamenti pretiosioris converterit, additis aliis gemmis & margaritis, legatum non debetur; quia id quod legatum est, cum in sua specie non permanserit, quodammodo extinctum videtur; *l. Seia*, † §. 1. *ff. de aur. & argent. legat.* Ut, purpura vesti alienæ intexta vindicari non potest quasi extincta, sed condici: res extincta vindicari non potest, sed condici; §. *si tamen*, *inst. de rer. divis.* Et quæ aliis ferruminatione juncta accessionis vice cedit; puta, si ferruminatione brachium statuæ junctum sit, vindicari non potest; quia ferruminatione per unitatem majoris partis consumitur; *l. in rem*, §. *item* 5. *ff. de rei vindicat.*

Si silva pignori data sit, navis ex ea materia facta non est pignori; quia aliud est materia, aliud navis; *l.* † *si convenit* 18., §. *si quis caverit*, *ff. de pigner. act.*

Fictione juris sunt res anima & sensu carentes, quæ personæ vice funguntur; ut hereditas jacens, municipium, curia, societas, personæ vice fungi dicuntur; *l. mortuo*, *ff. de fidejuss.* Nimirum hereditas repræsentat personam defuncti, & interdum heredis; municipium, curia, societas personas eorum, qui sunt in municipio, curia, vel societate.

CAPUT II.

Vicissim res quædam adhuc esse finguntur, licet extinctæ sint.

Aliæ sunt res, quæ licet extinctæ sint, fictione juris salvæ esse finguntur: ususfructus proprie non constituitur in his rebus, quæ usu consumuntur, veluti in pecunia, quæ assidua permutatione quodammodo extinguitur; sed remedio cautionis ususfructus constitui potest; *l.* 1. *&* 2. *ff. de usufr. ear. rer. quæ usu cons.* §. 2. *inst. de usufr.*

Pecunia vere & naturaliter usu non consumitur; etsi enim nummi in alium transeant, iidem permanent, sed permutatione & confusione videntur extingui. Permutatio & confusio nummorum habet vim consumptionis; *l. si alieni*, *ff. de solut.*

Fictione juris res perpetuo durare intelliguntur, ut nummi æstimatio perpetua & certa esse videtur; *l.* 1. *ff. de contrah. empt. l.* 3. *ff. de in lit. jur.* Pecuniæ videtur una & eadem potestas, id est valor ubique gentium; *l.* 3. *ff. de eo quod cert. loc. l.* 1. C. *de vet. numis. potest.* Romanorum justitiam miratus Rex Indorum, eorum nummos Indicis potestate pares esse intelligens; Plin. lib. 6. cap. 22. *Mirum in modum in auditis justitiam ille suspexit, quod pares pondere denarii essent in captiva pecunia, cum diversæ imagines indicarent a pluribus factos.* Licet hominum & temporum vitio sæpius pecuniæ æstimatio variet, tamen certa & perpetua fingitur; quia in rep. certa & immutabilis esse debet, propter utilitatem commercii, nec tam spectatur quod usu se habet, quam quod fieri debet in rep. bene constituta.

Non dispari fictione dotis causa perpetua dicitur; *l.* 1. *ff. de jur. dot.* quia licet morte viri, vel divortio soluto matrimonio reddatur, votum contrahentium est, ut dos perpetuo maneat apud virum, propter onera matrimonii, & liberos suscipiendos.

Source : BIU Cujas

Servitus ipso jure, id est fictione juris, una est continua & perpetua, quia habet naturalem, & perpetuam causam: ut, quotidiana est aqua, quam quotidie ducere jus est; *l.* 1. §. *quotidiana*, *ff. de aqu. quot. & æstiv.* Servitutes rusticæ, ut itineris & viæ, continuæ sunt; quia habent jus perpetuum eundi agendi: licet usus servitutis ex sui natura intermissionem habeat; quia pendet ex facto hominis, qui non potest perpetuo & continenter ire agere; *l. servitutes*, † 4. seu *l.* 14. *ff. de servit. l. cum ususfructus*, *ff. de usufruct. legat.*

CAPUT III.

Subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur.

FICTIONE juris subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, & rem ipsam repræsentat: ut, pretium succedit loco rei, & qui vendit aut locat usumfructum, etiamsi emptor non utatur, videtur usumfructum retinere; quia qui pretio fruitur, non minus habere intelligitur, quam qui principali re utitur fruitur; *l. non utitur*, *& seq. ff. de usufruct.*

Si quis servum ita vendidit, ut pretium pro peculio acciperet, penes eum videtur esse peculium, ad quem pretium peculii pervenit: id est penes venditorem, non etiam penes emptorem, penes quem res peculiaris sit; *l. sed si quis servum*, *& seq. ff. de pecul.*

Quia usus neque vendi, aut locari potest, neque dividi, si arbiter in communi dividundo judicio usum alteri adjudicaverit, alter, qui mercedem accipit, non utitur; quasi plus faciat qui videtur frui, mercedem usus nomine accipiendo; *l. item*, §. 1. *ff. comm. divid.*

In judicio universali pretium succedit loco rei: ut, in petitione hereditatis bonæ fidei possessor, qui rem hereditariam vendidit, & postea redemit viliore pretio, tenetur restituere rem & pretium, quod ex venditione rei hereditariæ, & redemptione lucratus est; quia potest existimari, in locum rei hereditariæ venditæ, pretium ejus successisse, & quodammodo ipsum hereditarium factum, quatenus partum est occasione hereditatis; *l. si & rem*, *ff. de petit. hered.*

Si heres rogatus res hereditarias vendiderit, & ex pretio rerum venditarum alias comparaverit, hæ venient in restitutione hereditatis: quia fictione juris, res comparatæ ex pretio rerum hereditariarum, sunt vice permutati dominii; nec videtur absumptum, quod in corpore patrimonii retinetur; *l. Imperator*, §. *ult. & dd. ll. seqq. ff. de legat.* 2. *l. cum multi*, *si pars hered. pet.* Aliud dicendum est in judiciis particularibus: ut, pretium redactum ex venditione rei furtivæ, non est furtivum; *l. qui vas*, §. *ult. ff. de furt.*

Quod ex mea pecunia ab alio emptum est, non est meum; *l. qui aliena*, C. *si quis alteri vel sibi*; & quod ex pecunia communi emptum est, non est commune; *l. si patruus*, C. *utriusq. judic.* neque res empta ex pecunia depositi fit deponentis; *l. si ex ea*, C. *de rei vindicat.* nec dotalis, quæ ex re dotali; *l. ex pecunia*, C. *de jur. dot.* Excipiuntur quidam casus, ut si res empta sit ex pecunia militis; *l. si ut proponis*, C. *de rei vindic.* vel ex pecunia pupilli aut adulti; *l.* 3. C. *de arbitr. tutel. l.* 2. *ff. quand. ex fact. tut.*

Videtur res abesse, si corrupta, id est deterior reddita sit: veluti vestis scissa, scyphi collisi, aut tabula rasa pictura; quoniam earum rerum pretium, non in substantia, sed in arte positum sit; *l. Labeo* 1. *ff. de V. S.* Res abesse videtur, cui pretium rei abest, etiamsi rem ipsam habeat; ut, si dominus rem, quæ sibi furto aberat, ignorans emerit, res abesse dicitur, quia pretium ei abest; *d. l. Labeo.*

Source : BIU Cujas

In tributoria actione in peculio est, ut in tributum veniat merx peculiaris vel pretium ex ea receptum & conversum in peculium ; *l. procuratoris*, §. *non autem*, *ff. de tribut. act.*

Quamvis constante matrimonio dotis dominium apud maritum sit, omne emolumentum dotis mulieris esse creditur: id est, commodum fructuum mulier percipere intelligitur ; quia maritus percipit fructus propter onera matrimonii, quæ sustinet ; *l. quamvis*, *ff. de jur. dot.*

CAPUT IV.

Rem in bonis habere intelligitur, qui habet actionem ad eam adipiscendam.

REM in bonis habere intelligitur, qui habet actionem ad rem adipiscendam, vel recuperandam; vel exceptionem ad rem, quam possidet, conservandam ; *l. rem in bonis*, *ff. de adquir. rer. dom. l. is qui actionem*, *de R. J.* Qui habet interdictum unde vi ad recuperandam possessionem, perinde haberi debet, ac si possideret ; *l. si quis vi*, *de adqu. possess.* In bonis habere intelligitur, qui habet actionem vel petitionem, id est actionem personalem, vel in rem, vel persecutionem, quæ est extraordinaria actio in rem ; *l. bonorum*, §. *in bonis*, *de V. S.*

Non videtur excluſus, qui habet in integrum restitutionem ; *l. nemo*, *ff. de in integr. restit.* Res in bonis est ejus, qui vim passus est ; id est qui vi dejectus est, & propterea restitui potest ; *l. metum*, §. *licet*, *ff. quod met. caus.* Non videtur possessionem adeptus, qui eam retinere non potest ; *l. non videtur*, *ff. de adqu. poss.* Et hæc omnia fictione juris ; nam re ipsa minus est habere actionem, quam rem ; *l. minus*, *de R. J.* Commodius est possidere, & adversarium compellere ad onus actoris, quam alio possidente petere ; *l. is qui destinavit*, *ff. de rei vindicat.*

Non videtur cepisse, qui potest per exceptionem submoveri ; *l. non videtur* 13., *de R. J.* Non videtur quis id capere, quod ei necesse est alii restituere ; *l. non videtur* 51., *ff. eod. l. aliud* 71., *de V. S.* Ad eum pervenisse videtur, quod est remansurum ; *l. si vero*, §. *dabit autem*, *ff. solut. matrim.* Ut non videtur cepisse, qui coactus adiit & restituit hereditatem ; amittit enim quartam, & omne commodum hereditatis ; *l. quia poterat*, *l. cogi*, §. *cum quidam*, *l. ita tamen*, §. *si præceptis*, *ff. ad Trebell.*

CAPUT V.

Fictione juris evenit, ut cepisse non videatur, qui mox alii restituturus est.

NON videtur cepisse, qui mox alii restituturus est : ut, incapaci legatum, vel fideicommissum relinqui potest, ut restituat capaci ; *l. cum ei*, *ff. de legat.* 2. *l. si fidei*, *de legat.* 3. *l. cogi*, §. *hi qui solidum*, *ad Trebell.* quia non interposita, sed capientis persona spectatur ; *l. si is qui duos*, *ff. de liber. legat.* Non spectatur incapacitas primi, a quo fideicommissum relictum est ; quia non videtur accipere, quod mox alii restituit.

Non videtur cepisse heres fiduciarius, qui rogatus est alii restituere cum pubes erit ; quia non est rogatus ut heres, sed ut nudus minister vel depositarius ; *l.* † *Sulpicius*, *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Ideo si heres rogatus sit

sit restituere hereditatem filio impuberi testatoris, cum ad pubertatem, vel annos XVI. pervenerit, mortuo fideicommissario ante diem, fideicommissum non remanet quasi caducum apud heredem, sed transmittitur in heredem fideicommissarii; hereditas hujusmodi fiducia & tutela dicenda est potius, quam hereditas fideicommissaria. Fiduciarius heres nec fructus suos facit, nec quartam deducit, quia non videtur rogatus ut heres; *l. 3. §. cum Pollidius, ff. de usur. l. mulier, §. ult. l. Sejus Saturninus, ad Trebell.* Ut, si pater rogatus sit restituere hereditatem filio, non deducit quartam, quia non videtur rogatus ut heres, sed ut pater; *l. cum filiof. ff. de leg. 1.* Et si hereditas evicta sit fideicommissario, cui restituta est, pro non restituta habetur, potestas evictionis tollit intellectum restitutionis; *l. si patroni, §. ult. ff. ad Trebell.*

Pari fictione juris non videtur in rem versum, nisi duret versum; *l. si pro patre, §. versum, ff. de in rem vers. l. item eorum, §. pen. ff. quod cujusq. univers. l. nam etsi, §. 1. de inoff. testam. l. 2. §. pervenisse, de hered. vel act. vend. l. 4. §. tunc † in potestatem, de usucap.*

CAPUT VI.

Partibus subinde mutatis, res eadem esse intelligitur, si species seu forma non sit mutata, ut videre est in refecta domo vel navi, in grege instaurato, in mutatis civibus collegis aut judicibus.

MUTATA forma, prope interimitur substantia rei; *l. Julianus, §. sed si quis rem, ff. ad exhib.* Verum partibus subinde mutatis, res eadem esse intelligitur, si species seu forma non sit mutata, ut variis exemplis probatur in *l. proponebatur, ff. de judic.*

Ut, si navis tota per partes refecta sit, licet nulla tabula eadem permaneat, eadem navis permanet: & si navis legata sit, & per partes tota refecta, carina eadem manente, recte a legatario vindicatur; *l. quod in rerum natura, §. ult. ff. de legat. 1.* Et si navis per partes refecta sit, ususfructus non extinguitur; *l. quod tamen, §. pen. ff. quib. mod. ususfr. amitt.* Sicut & si domus particulatim ita refecta sit, ut nihil ex pristina materia supersit, eadem domus intelligitur, & utile manet legatum; *l. si ita legatum, §. ult. de legat. 1.* Et si sublatum sit ædificium, ut eadem specie & qualitate restituatur, unum & idem intelligitur; *l. servitutes, §. si sublatum, ff. de servit. urban.*

Sicut in grege si prioribus capitibus demortuis, totus grex fuerit renovatus, idem grex esse intelligitur: & grege pignori obligato, si prioribus capitibus extinctis, totus grex fuerit instauratus, pignori tenetur; *l. grege, ff. de pignorib.* Et grege legato, si aliqua pecora vivo testatore mortua essent, & alia in eorum locum suffecta, idem grex esse videtur; *l. si grege, de legat. 1.*

Ceterum si navis tota simul ac eodem tempore dissoluta sit, licet iisdem tabulis postea restaurata fuerit, alia tamen navis esse existimatur; *d. l. quod tamen, §. in navis*, nisi eo animo dissoluta sit, ut iisdem tabulis restauraretur, nondum intercidisse navis videtur; & tabulis rursus compositis, eadem navis esse incipit; *l. inter stipulantem, §. sacram, ff. de V. O. l. qui res, §. aream, de solut.*

Sic idem populus idem hodie intelligitur, qui ante centum annos fuit, licet nemo ex his superstes sit, qui ante centum annos vivebant; *d. l. proponebatur.* Civitas eadem censetur, licet cives omnes commutati sint; quemadmodum unum & idem esse videtur flumen, quamvis alia atque alia semper aqua fluat; *Aristot. lib. 3. polit. cap. 3. Max. Tyr. dissertat. 37.* Et legio ea-

Source : BIU Cujas

dem esse intelligitur, licet hodie non iisdem militibus constet, quibus ab initio conscripta est; *d. l. proponebatur*. Eadem universitas, vel curia esse intelligitur, licet omnes immutati sint; *l. sicut*, §. *ult. ff. quod cujusq. universit.* His exemplis & argumentis ductis a simili, si plures judices in eandem causam dati omnes mutati sint, aliis suffectis in eorum locum, eadem res, idem judicium manet; quia eadem res intelligitur, cujus forma seu species non est mutata; *d. l. proponebatur*.

CAPUT VII.

Utilitatis causa placuit civitatibus, municipiis, collegiis, aliisve corporibus, vel etiam usumfructum testamento relinqui posse. Ea quandoque finguntur mori, nunquam vero ecclesia.

DUBITATUM est, an civitates & municipia, vel universitates & collegia possint capere ex testamento. Ratio dubitandi erat, quod universitates sunt corpora incerta, & universi non possunt cernere hereditatem; *Ulpian. in fragm. tit.* 22. §. 5. Universitates per se nihil possidere possunt, quia universi consentire non possunt; *l.* 1. §. *ult. ff. de adqu. possess.* Ea de re dubitatum est maxime in usufructu, quia, si ususfructus legari posset municipio vel civitati, periculum erat ne perpetuus fieret, atque ita inutilis in perpetuum maneret proprietas, semper abscedente usufructu: quæ ratio dubitandi proponitur init. leg. *an ususfructus*, *ff. de usufr.* Sed utilitatis, id est æquitatis causa obtinuit, civitatibus & municipiis testamento relinqui posse hereditatis vel legati aut fideicommissi titulo; *Ulpian. loco laudato*, *& l. hereditatis*, C. *de hered. instit.* quia civitates personarum vice funguntur; *l. mortuo*, *ff. de fidejuss.* id est privatorum loco habentur; *l. eum qui vectigal*, *de V. S.*

Ex quo civitates, quæ per se nihil possidere possunt, per servum, vel per liberam personam, puta per actorem vel syndicum possidere & usucapere possunt; *d. l.* 1. §. *ult.*

Etiam ususfructus civitatibus legari potest, & si civitati ususfructus legetur, ne proprietas inutilis sit semper abscedente usufructu, ususfructus finitur spatio centum annorum, quasi morte, quia is finis vitæ longissimus est; *d. l. an ususfructus*, *l. si ususfructus*, *ff. de usufr. legat.* Idem juris est si ususfructus legetur ecclesiæ; *l. ut inter*, C. *de Ss. eccles.* Civitas, quæ est nomen universitatis, non moritur; sed si ususfructus civitati relictus sit, ne proprietas inutilis sit semper separata ab usufructu, lex fingit civitates non durare ultra centesimum annum, quod est spatium vitæ longissimum; Plin. lib. 11. cap. 37. *Et ideo non vivere hominem ultra centesimum annum defectu cordis Ægyptii existimant*. Nisi credamus mathematicis, qui ætatem hominis definiunt cxx. annis; Trebell. Pollio in Claudio: *Doctissimi mathematicorum* cxx. *annos homini ad vivendum datos judicant*, *neque amplius cuiquum jactitant esse concessum*. Si tamen civitati vel reip. ususfructus legetur, in ratione falcidiæ ususfructus computatur non amplius quam xxx. annis, *l. hereditatum*, *ff. ad l. falcid.* In computanda falcidia ususfructus angustioribus terminis coercetur, quia falcidia minus est favorabilis, cum detrahatur contra voluntatem testatoris; *l. Titia*, *ff. eod.*

Alio casu si ususfructus civitati legatus sit, finitur quasi morte, si civitas aratrum passa sit, ut olim Carthago; quia civitas hoc casu, civitas esse desinit, & quasi morte interit; *l. si ususfructus* 21. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* Lex fingit interire civitates, quæ hostium manu evertuntur; Lycurg. **) orat. adverſ. Leocrat. πόλεώς ἐστι θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι, *civitatis mors est everti*. Ex Asia rediens

rediens M. Tullius, Corinthum & alia oppida Græciæ, olim florentiſſima, tunc proſtrata & diruta, præternavigans, tot oppidorum cadavera indoluit; teſtis ipſe de ſe lib. 4. epiſt. 17. *Cœpi egomet*, inquit, *mecum ſic cogitare: hem nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera proſtrata jaceant.*

Eccleſia etiam, quæ eſt corpus myſticum, numquam moritur; ideo poteſtas legati ſedis apoſtolicæ non expirat morte Pontificis; quia non eſt legatus ipſius Pontificis, ſed eccleſiæ Romanæ, quæ numquam moritur; *can. liberti*, 2. 12. *qu.* 2. Hoſtienſ. *in cap. tum ex litteris, de in integr. reſtit.* Et vaſſallo non licet feudum alienare per libellum, id eſt libellariæ nomine; quia feudum numquam reverſurum eſſet ad dominum, cum eccleſia non deſinat eſſe heres; *cap. ſi clientulus, de alienat. feud.* 1. *feud.*

CAPUT VIII.

Dignitas nunquam mori fingitur.

SIMILI fictione dignitas numquam moritur: ut, legatum Principi relictum, eo mortuo ante diem legati cedentem tranſit in ſucceſſorem, aliter quam in Auguſta; *l. quod Principi, & ſeq. ff. de legat.* 2. quia licet Princeps ſit homo mortalis, dignitas numquam moritur.

Eadem non ſine fictione, legatum annuum ſacerdoti & hierophylaci, id eſt ædituo templi relictum, debetur in perpetuum ſucceſſori, quia miniſterium nominatorum deſignatum, ceterum datum templo; *l. annua*, §. *Attia, ff. de ann. legat. cap. requiſiſti, de teſtam. can. Pontifices*, 12. *qu.* † 3.

Et ſi judex datus ſit ſub nomine dignitatis, eo demortuo delegatio tranſit in ſucceſſorem; *cap. quoniam, de offic. delegat. cap. ſi is cui, eod. tit. in 6.*

Et ſi concedatur gratia retinendi certa beneficia ad beneplacitum ſedis apoſtolicæ, non expirat morte Pontificis; quia ſedes apoſtolica non moritur; *cap. ſi gratioſe, de reſcript. in 6.*

CAPUT IX.

Fictione juris res quædam inanimatæ mori & naſci dicuntur, ut peculium: & ſuas ætates habere, ut regna & imperia.

NATURALITER mors non cadit in res inanimatas, quæ anima & ſenſu carent; ſed fictione juris ſunt res inanimatæ, quæ naſci & mori dicuntur, & quæ habent ſuas ætates ad ſimilitudinem hominis.

Ut peculium, quod eſt velut proprium patrimonium ſervi aut filiſ. naſcitur, creſcit, decreſcit, & moritur: & ideo eleganter Papyrius Fronto dicebat, peculium ſimile eſſe homini; *l. peculium* 40., *ff. de pecul.* Peculium naſci, creſcere, decreſcere, mori lex fingit; quia peculium eſt corpus quoddam univerſale, conſtans ex pluribus corporibus diſtantibus, quæ uno nomine continentur, ut populus, legio, grex; *l. rerum mixtura, ff. de uſucap.* Ideoque peculium, augmentum, & deceſſionem, ſeu diminutionem recipit; *l. ſi ex duobus*, §. *in hoc autem, ff. de pecul.*

Naſcitur peculium, cum id filiusf. aut ſervus acquirit permittente patre aut domino; creſcit, cum auctum fuerit acceſſione fructuum, vel fœtuum pe-

Source : BIU Cujas

coris, vel partus ancillarum; decreſcit, cum ſervi vicarii, qui ſunt in peculio, moriuntur, vel res peculiares intercidunt; moritur cum adimitur; *d. l. peculium, & l. ult. ff. quand. de pecul. act. annal. eſt*, quod pater & dominus quandocumque facere poteſt; ſed pater, qui emancipato filio peculium non ademit, donaſſe videtur; *l. donationes, §. pater qui, ff. de donat. l. ſive emancipatis, C. eod.* Peculium moritur & morte ſervi, vel filiſ. manumiſſione, vel emancipatione; quia peculium deſinit eſſe morte ſervi, aut manumiſſione; *d. l. ult.* vel morte patris, quia morte patris filiusf. ſui juris factus deſinit poſſe habere peculium; *l. ult. C. de inoff. teſtam. l. certum eſt, C. famil. erciſc.*

Suas ætates habent & regna & imperia exemplo hominis; populum Rom. quaſi hominem ſuas ætates habuiſſe ſcribit L. Flor. in prolog. *Si quis ergo populum Rom. quaſi hominem conſideret, totamque ejus ætatem percenſeat, ut cœperit, utque adoleverit, utque ad quendam juventæ florem pervenerit, ut poſtea velut conſenuerit, quatuor gradus progreſſus ejus inveniet.*

CAPUT X.

Etiam fictione juris lis, domus, parietes, unguenta mori dicuntur.

ETIAM fictione juris lis mori dicitur; *l. 3. ff. quæ in fraud. credit.* Et lite mortua, cum nulla res ſit, fidejuſſores, qui judicatum ſolvi ſpoponderunt, liberantur; *l. 2. ff. judic. ſolv.* Fictione juris lis moritur, id eſt inſtantia litis perimitur lapſu triennii in civilibus, & biennii in criminalibus conſtit. Juſt. *l. properandum, C. de judic. l. ult. C. ut intr. cert. temp. criminal. quæſt. term.* Quod in cauſis eccleſiaſticis vix admiſſum; Auguſtin. in brevic. collat. cap. 9. *Quoniam cognitor ſuperior dixerat de tempore præſcribere, ut cauſa non ageretur, non eſſe epiſcopalis, ſed forenſis potius eſſe objectionis.*

Eadem notione unguenta res mortua: ut, ſi maritus pecuniam uxori in unguenta dederit, eaque eam pecuniam creditori ſuo ſolverit, & mox de ſua pecunia unguenta emerit, non videtur locupletior facta, quæ tantumdem in re mortua impendit; *l. quod autem, §. ſi maritus 1. ff. de don. inter vir. & uxor.* Rem mortuam vocat lex unguenta, quorum poſſeſſio brevis & infructuoſa eſt; Plin. lib. 13. cap. 3. *Margaritæ, gemmæque ad heredem tranſeunt, veſtes prolongant tempus, unguenta illico expirant ac ſuis moriuntur horis.*

Cuiac. lib. 9. obſerv. cap. 30.

Suas ætates habent & ipſa ædificia: ut, ſi ædes hereditariæ ab herede poſt mortem ex cauſa fideicommiſſi relictæ, ante diem fideicommiſſi cedentem exuſtæ ſint, & ab herede ſuo ſumptu reſtitutæ, poſt mortem heredis præſtabuntur viri boni arbitratu, deductis ſumptibus, & ædificiorum ætatibus examinatis; *l. domus, ff. de legat. 1.* Ædificia pro ratione ſtructuræ habent ſuam ætatem, & in ædificiis mors immatura, ut in hominibus, propter crebra incendia, & alios caſus ædificiorum; Joan. Chryſoſtom. in 1. ad Timoth. homil. 15. ὁ γὰρ δὴ ἐν ταῖς ἡλικίαις τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς οἰκοδομαῖς ἐστὶν ὥρᾳ θάνατος. *Non ſolum enim in ætatibus hominum, verum & in ſtructuris ædificiorum immatura mors ſurit.* Etiam ſaxa mori dicuntur; Auſon. epigr. 34.

Mors etiam ſaxis, nominibuſque venit.

Ætatis ſenium in ædificiis agnoſcit *l. ſi quando 16. C. de oper. public.*

Parietes lateritios propter longiorem ætatem æternos dixit Plin. lib. 35. cap. 14. *Græci præterquam ubi e ſilice fieri poterat ſtructura, parietes lateritios prætulere, ſunt enim æterni ſi ad perpendiculum fiant.*

CA-

Source : BIU Cujas

CAPUT XI.

Fictione juris peculium est velut patrimonium filiifam. aut servi.

PECULIUM servi est in bonis domini, sicut peculium filiif. in bonis parentis; §. 1. *inst. quib. non est permiss. fac. test.* Per servum aut filiumf. dominus aut pater retinet possessionem peculii; ex causa peculii per servum etiam ignoranti domino possessio adquiritur; *l. Labeo, ff. de usucap.* Possessio retinetur per servum; etiam ignorantes, animo & corpore servi videmur rem peculiarem possidere; *l. 3. §. ceterum, ff. de adq. poss.*

Filiusf. vel servus non possidet sibi, sed patri vel domino, nec videtur possidere: filiusf. neque retinere, neque recuperare, neque apisci possessionem rei peculiaris videtur; *l. filiusf. de R. J.* Tamen fictione juris peculium filiif. aut servi est velut patrimonium servi, aut filiif. non ipso jure, sed voluntate & constitutione patris aut domini, qui administrationem peculii filio aut servo concedit, & permittit filium aut servum peculium habere separatum a rationibus paternis seu dominicis; *l. hinc quæritur, l. si ex duobus* init. *l. peculium, l. quotiens, §. ult. ff. de pecul.* Ideo servus suis nummis redemptus dicitur conniventibus oculis, id est non ignorante & dissimulante domino, cum redemptus est ex peculio vel adventitia pecunia; *l. 4. ff. de manumiss.*

Castrense vero peculium est proprium patrimonium filiif. ita ut de eo testari possit, & habere heredem; *l. 1. & 2. ff. de castrens. pecul. l. item veniunt, §. non solum, de petit. hered.* Quia filiusf. in castrensi peculio vice patrisf. fungitur; *l. 2. ff. ad Maced.* Quod si filiusf. qui habet castrense peculium, intestatus decesserit, peculium ejus non habetur pro hereditate, & pater occupat castrense peculium, non quasi hereditatem, sed quasi peculium; *d. l. 1. & 2. l. si infanti, C. de jur. deliberand.*

CAPUT XII.

Res incorporales fictione legis quasi possidentur.

RES incorporales non possidentur, sed fictione legis quasi possidentur: ut, servitutes, quæ sunt jura incorporalia, per se non possidentur, sed possidentur cum ædibus: ideo servitutes usucapi non possunt, quia non possidentur, sed libertas servitutum usucapitur, si ædes possideantur: natura enim servitutum ea est, ut possideri non possint, sed earum possessionem habere intelligatur, qui ædes possidet; *l. si ædes, §. libertas, ff. de servit. urban. l. 4. §. si viam, de usucap. l. † servus, §. incorporales, de adq. rer. dom.*

Servitutes, cum sint incorporales, traditionem non recipiunt; *d. l. servus, §. incorporales*, sed quasi traditionem: ideoque, qui servitutem vendit, cavere debet emptori per se non fieri quominus eo jure uti possit; quia vacuam possessionem tradere non potest, & usus servitutis pro traditione possessionis habetur, ideoque & interdicta veluti possessoria constituta sunt; *l. ult. ff. de servit.* Inde in servitutibus traditio & patientia servitutum inducit officium prætoris; *l. 1. §. ult. ff. de servit. rustic.* id est si dominus patiatur alium uti servitute, hæc patientia pro traditione est, & efficit ut eum, quem dominus patitur uti servitute, prætor tueatur quasi possessorem, data exceptione, vel etiam utili actione

Source : BIU Cujas

in rem, si forte possessionem amiserit; Publiciana enim competit ei, qui servitutem emit a non domino, servitute constituta per traditionem, vel per patientiam; *l. si ego*, §. 1. *ff. de publician.*

In jure eligendi quod est spirituale, non datur etiam possessio, sed quasi possessio; *cap. cum ecclesia Sutrina, de caus. possess. cap. querelam, de elect.* & idem in jurisdictione; *cap. conquestus, de foro compet.*

CAPUT XIII.

Fictione juris quidquid acquirit filiusf. aut servus, illud statim patri vel domino acquirit: quoad hoc quid inter utrumque interst.

QUIDQUID per filiumf. vel servum adquiritur, patri vel domino confestim adquiritur, itaut ne momento quidem subsistat in persona filii vel servi; *l. placet, ff. de adqu. hered.* quia filiusf. vel servus personam & statum non habet; *l.* 3. *&* 4. *ff. de capit. minut.* & consequenter non potest adquirere sibi ipsi.

Hoc interest inter utrumque, quod quidquid servus adquirit, adquiritur domino, etiam ignoranti & invito; *l. etiam invitis, ff. de adqu. rer. dom. l. servus vetante, de V. O.* quod per filiumf. adquiritur, adquiritur patri etiam ignoranti, non invito; *l. filiusfam. ff. qui testam. fac. l.* 1. *si a parent. quis manumiss. l. qui hominem*, §. *quidam, de solut.*

Quod per filiumf. adquiritur, patri adquiritur statim, ita ut ne momento quidem hæreat in persona filii, quia pater adquirit sibi per filium nudo ministerio filii, vix potest concipi filium sibi adquirere, ut per ejus manus res perveniat ad patrem, quin aliquo momento resideat in persona filii; *l. sed interim*, §. *idem Marcellus, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Adquisitio enim præsupponit traditionem & possessionem filii, sed fictione juris quod filiusf. adquirit, confestim patri adquiritur, ita ut ne momento quidem consideat in persona filii; quia magis videtur pater adquirere per filium, quam filius ipse adquirat sibi, ut res transeat ad patrem.

Filiusfamilias patri, in cujus potestate est, usumfructum adquirit: sed singulare est, quod ususfructus per filium patri quæsitus, morte vel capitis deminutione patris non extinguitur, sed salvus manet apud filium post patris calamitatem, etiamsi a patre heres institutus non sit; quia ususfructus videtur ab initio contemplatione filii magis, quam patris, relictus; *l. ult. C. de usufruct.* Plerumque enim ususfructus bonorum relinquitur alimentorum vice.

CAPUT XIV.

Eadem fictione possessio defuncti quasi iuncta descendit ad heredem, eique prodest ad implendam usucapionem a defuncto cœptam.

POSSESSIO defuncti prodest heredi ad implendam usucapionem cœptam a defuncto, ita ut etiam non adita hereditate plerumque compleatur; *l. nunquam*, §. *pen. l. cœptam, l. justo errore*, §. *nondum, de usucap.* nisi medio tempore ab alio possessio apprehensa sit; *l. possessio, eod.*

Possessio defuncti prodest heredi quoad implendam usucapionem; quia fictione juris possessio defuncti quasi juncta descendit ad heredem; *l. cum miles, ff. ex*

Source : BIU Cujas

ff. ex quib. cauſ. major. Id eſt uſucapio cœpta per poſſeſſionem a defuncto: nec enim in hac lege poſſeſſio accipienda eſt pro detentione, ſive uſu rei, qui in facto conſiſtit; ſed pro uſucapione, quæ in jure conſiſtit: & poſſeſſio non tranſit in heredem priuſquam fuerit apprehenſa; *l. cum heredes, l. qui univerſas, §. quod per colonum, ff. de adqu. poſſeſſ.* quia poſſeſſio eſt magis facti, quam juris, & factum poſſidentis requirit; *l. denique,* † *eodem ex quib. cauſ. maj. l.* 1. *§. Scævola,* † *ſi is qui teſtam. liber eſſe juſſ.*

Speciale eſt, quod quaſi poſſeſſio ex ſola donatione non minus quam dominium tranſit in eccleſiam; *l.* † *ut inter* 24. *C. de Ss. eccleſ.* immo & hodie moribus noſtris poſſeſſio rerum hereditariarum ipſo jure tranſit in heredem ſine prehenſione corporali: & hoc eſt quod noſtri dicunt, *le mort ſaiſit le vif,* quod & aliarum gentium uſu obtinuit; *cap. ex litteris, de conſuetud.*

Non videtur poſſidere, qui familiaritatis cauſa fundum vicini ingreditur; quia non eſt ingreſſus animo poſſidendi, licet corpore in fundo ſit; *l. qui jure, ff. de adq. poſſeſſ.* & ideo nullo tempore uſucapit, cum uſucapio non currat ſine poſſeſſione.

CAPUT XV.

Fundus dotalis non definit eſſe dotalis, etiam ſoluto matrimonio quoad reſtitutus ſit: ſicut & ager novalis ſemper novalis intelligitur quoad exemptionem a decimis.

DUo in ſolidum non poſſunt eſſe domini ejuſdem rei; tamen fictione juris dos eſt velut patrimonium patris & filiæ: dos eſt communis patri & filiæ, & morte viri vel divortio ſoluto matrimonio pater repetit dotem, adjuncta perſona filiæ; *l.* 2. *&* 3. *ff. ſolut. matrim. l. pater filiam, ad l. falcid.* in cauſa dotis filia eſt quaſi particeps & ſocia obligationis; *l. qui hominem, §. ſi gener, ff. de ſolut. l. ſi ſocius, pro ſoc.*

Lege Julia fundus dotalis alienari non poteſt; *l.* 1. *ff. de fund. dotal.* Cum vero quæritur de fundo dotali non alienando, etiam ſoluto matrimonio prædium dotale eſſe videtur; *l. etiam ſi, eod.* quoad ſc. reſtitutum ſit mulieri, vel heredi ejus; *l.* 3. *eod.* Fundus ſemel dotalis non definit eſſe dotalis etiam ſoluto matrimonio, quoad reſtitutus ſit, inſpecto initio; *l.* 3. *§. ſcio etiam, ff. de minor.* ut, ager ſemel redactus ad culturam per religioſos viros, in perpetuum novalis jure cenſetur quoad exemptionem a decimis; *cap. ult. de privileg.* Et hæc de fictionibus quæ verſantur in rebus: nunc provehamur ad fictiones quæ conſtitutæ ſunt in actu.

DE

DE FICTIONIBUS JURIS

TRACTATUS TERTIUS.

CAPUT I.

Imaginarii contractus juris vinculum non obtinent, & quinam illi dicantur.

VIDEAMUS nunc de fictionibus quæ occurrunt variis in actibus. Regulariter contractus imaginarii & fictitii nulli sunt, & juris vinculum non obtinent, cum factum simulatur non intercedente veritate: ut, nuda & imaginaria emptio venditio nulla est, nec per eam res alienari intelligitur; *l. contractus, ff. de oblig. & act. l. 1. §. Divi fratres, de quæstion. l. imaginaria, de R. J.* † Idem dicendum in conductione imaginaria; *l. si quis conduxerit, ff. locat. l. si quis ante, §. ult. de adqu. poss.*

† Adde, *l. nuda, de contr. empt.*

Venditio, & locatio nuda & imaginaria est, si quis vendat vel locet nummo uno; quia nummus unus non est verum pretium; *d. l. si quis ante, d. l. imaginaria, d. l. nuda, & d. l. si quis conduxerit.* Venditio vel locatio, quæ fit nummo uno, donandi causa facta intelligitur; *d. l. si quis conduxerit*, & dicis causa; Livius lib. 11. *C. Marius accusatus est apud tribunos pl. quod exercitum in Gallia deseruisset, damnatusque sub furca diu virgis cæsus est, & HS. nummo veniit.* Denique ficta & imaginaria est emptio non accedente pretio: ut, cum servus suis nummis emitur; *l. 4. ff. de manumiss.*

Aliquando venditio, quæ fit nummo uno, valet, cum fit rei expediendæ gratia: ut, si maritus idemque proprietarius fundi, ejusdem usumfructum in dotem

Source : BIU Cujas

dotem acceperit ab uxore : divortio soluto matrimonio, ut dos reddatur mulieri, quia usufructus non potest reddi extraneo, id est alteri quam proprietario, remedii loco excogitatum est, ut maritus vendat vel locet usumfructum mulieri nummo uno ; ut jus usufructus remaneat penes maritum, perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat ; *l. si usufructus, ff. de jure dot.*

Sæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ, ut dicis gratia, id est perfunctorie & numerationis causa intercedant ; *l.* 4. *ff. commodat.*

CAPUT II.

Plures actus legitimi fiebant olim per æs & libram, ut testamenta, donationes: actio in rem per vim civilem : cretio per saltationem & percussionem digitorum : manumissio per alapam, circumductionem, & pileum : operis novi nunciatio per jactum lapilli : usurpatio per fractionem sureuli : licitatio per digitum : antestatio per aurium attrectationem : electio per manum porrectam.

OLIM plures actus legitimi fiebant per æs & libram, id est per imaginariam venditionem : ut testamenta ; §. 1. *inst. de testam.* quod desiit esse in usu; *l. quoniam indignum, C. de testam.* & emancipationes ; §. *præterea inst. quib. mod. jus patr. pot. solv. l. ult. C. de emancipat.* & hoc est quod ait lex *liberos, ff. de cap. minut.* emancipatum capite minui ; cum emancipari nemo possit, nisi in imaginariam servilem causam deductus. Adoptiones quoque per trinam emancipationem, id est imaginariam venditionem fiebant ; *l. ult. C. de adopt.* Gell. lib. 5. cap. 19. *Adoptantur autem cum a parente, in cujus potestate sunt, tertia mancipatione in jure ceduntur.* Tertull. apolog, cap. 9. *Vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis.* Quod idem est ac per assem & libram ; Tranquill. in August. cap. 64. *Caium & Lucium adoptavit domi per assem & libram emptos a patre Agrippæ.*

Olim & donationes fiebant per imaginariam venditionem sestertio nummo uno, vel assibus quatuor ; *l.* 4. *C. Th. de donat.* quæ formula sublata est a Justiniano ; *l. ult. C. eod.* Hinc donationem fieri asse Caiano dixit Statius lib. 4. silv. 99.

De capsa miseri libellionis
Emptum plus minus asse Caiano
Donas.

Assis Caianus est, qui intercedebat in nuptiis per coemptionem, quo conjuges sese nuncupantes Caium, & Caiam sese coemebant. Athenensibus donandi causa viginti naves vendidere Corinthii, singulas quinis drachmis, rem publicam dono dare lege prohibiti ; Herodot. lib. 6. δίδουσι δὲ πενταδράχμους ἀποδόμενοι, † δωτίνην γὰρ ἐν τῷ νόμῳ οὐκ ἐξὸν δοῦναι. In Gallia maxime donationes piæ solebant fieri per imaginariam venditionem. Leocadium senatorem Christianum factum, mox ædes, quas possidebat Bituricis, donasse in ecclesiæ locum, acceptis tribus aureis pro benedictione, refert Gregor. Tur. *lib.* 1. *cap.* 29. Et nonnulla prædia monachis Gemiticensibus data a quibusdam militibus, acceptis aliquot nummis & eqno albo nomine caritatis, refert Robert. Montens. in *suppl. Sigebert. ad ann.* 1201.

Moribus Daciæ donatio fiebat in ecclesiam per glebam impositam altari, vel traditam in manu Antistitis, quæ forma donationis dicebatur scotatio ; *cap. ex litteris, de consuetud.* Moribus Anglicis donatio fiebat per traditionem gladii, galeæ, cornu, id est poculi seu crateris, calcaris, strigilis, arcus, vel sagittæ ; Ingulph. in chronic. Croyland. *Conferebantur antea multa prædia nudo*

Source : BIU Cujas

verbo, absque scripto vel charta, tantum cum domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera; & plurima tenementa cum calcari, cum strigili, cum arcu, & nonnulla cum sagitta. In Gallia donationes fiebant per traditionem wanti, seu chirothecæ; Aimon. Floriacens. de mirac. S. Benedict. lib. 1. cap. 4. *Acceptis ejus fideles hujusmodi præceptis, cum wantis ipsius auro ornatis, per quos donationem rerum memoratarum sacris imponerent altaribus, absque dilatione venerandum adeunt cœnobium.* Donatio bonorum etiam tacite fit per ingressum monasterii. Ingressus monasterium, ipso ingressu se suaque dedicat Deo; *auth. ingressi, & auth. si qua*, C. *de Ss. eccles. & can. quia ingredientibus*, 19. *qu.* 3.

Cum bona debitoris venibant sub hasta postulantibus creditoribus, plerumque nummo sestertio uni addicebantur, ut is satisfaceret creditoribus; M. Tull. pro Rabir. Posth. *Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Posthumi nummo sestertio sibi addici velit?* Et Tranquill. in Jul. cap. 50. *Amplissima prædia ex auctionibus hastæ ei nummo addixit.*

Olim actio in rem, seu vindicatio agitabatur per vim civilem & festucariam, quæ fiebat conserta manu in re præsenti, ex XII. tab. *Si qui in jure manum conserunt;* vel delata gleba ad tribunal prætoris, ut in ea gleba tanquam in toto fundus vindicaretur, actore sic agente: *ego hunc fundum meum esse ajo jure Quiritium;* de quo Gell. *lib.* 20. *cap.* 9. Lactant. 1. *inst. cap.* 9. M. Tull. *pro Muræn.* Moribus quoque in judicio vindiciarum itum in rem præsentem; Adrevald. Floriac. de mirac. S. Bened. lib. 1. cap. 28. *Advocatus vero una cum Raginario monacho, ad locum cessionis terræ juxta morem legis adveniens, prædictam vineam ad jus sancti Benedicti sua auctoritate revocare nitebatur.*

Cretio seu aditio hereditatis fiebat per saltationem, & percussionem digitorum; M. Tull. 3. offic. *Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur. At si daret hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres, in foro, mihi crede, saltaret.* Et apertius Ambros. 3. offic. 11. *Non ergo in hereditatibus adeundis digitorum percussiones, & nudi successoris saltationes notabo, nam hæc etiam vulgo notabilia:* & hoc est quod dicitur cretionis commentum; *l.* 1. C. *Th. de bon. matern.* Solemnis aditio hereditatis fiebat per saltationem, & crepitum digitorum; quia unum est symbolum gaudii & lætitiæ, alterum imperii & dominii. Digitorum collisio, quam Græci κονδυλισμὸν, imperium significat; Artemidor. lib. † 2. cap. 15. ὁ κονδυλισμὸς δὲ τὴν ἐπιτροπήν. Inde domini solebant servos evocare, matellam poscere, vel quid aliud crepitu digitorum; Petron. in Satyric. *Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.*

Et Martial. lib. 3. epigr. 81.

Digiti crepantis signa novit eunuchus.

Et idem lib. 14. epigr. 109.

Dum poscor, crepitu digitorum & verna moratur.

Olim & manumissio commento fiebat per alapam & circumductionem; *l. ult. C. de emancipat. nov.* 81. Senec. epist. 8. *Qui se philosophiæ subjecit & tradidit, statim circumagitur*, id est manumittitur. Pers. satyr. 5.

Quibus una Quiritem
Vertigo facit.

Et paulo post:

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Et ibi Cornutus.

Quia quotiens manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant: eundem ritum manumissionis signant & recentiores; Ambros. epist. 7.

Source : BIU Cujas

epist. 7. *Sed non ista libertas, quam manumissus accipit, & palma lictoris donatus acquirit.* Et Greg. Nyssen. orat. 3. in Christ. resurrect. ὁ δοῦλος ἐλευθεροῦται τῷ ἀγαθῷ, καὶ φιλανθρώπῳ τῆς ἐκκλησίας κηρύγματι, ὑ ῥαπιζόμενος ἀχηρύνως κατὰ τῆς παρειᾶς, ἢ πληγῇ τῆ πληγῆς ἐφιέμενος. *Servus manumittitur bono & humano ecclesiæ præconio, non colaphis cæsus fœde in os, & plaga per plagam liberatus.*

Et Liban.**) in panegyr. Julian. οἰκέτας ἓς τοσοῦτον τῶν ἐπ' ἐλευθερίαν πώποτε ῥαπιδέντων. *Servis qui ad libertatem alapis cæsi fuere.* Fiebat & manumissio aliis symbolis, puta per pileum; Plaut. in amphitr.

Ut ego hodie raso capite calvos capiam pileum.

Et Pers. satyr. 5.

Hæc mera libertas, hoc vobis pilea donant.

Et per festucam seu virgam; Plaut. in milit. glorios.

Quid ea ingenua, an festuca facta serva an libera.

Nunciatio novi operis fiebat per lapilli jactum; *l.* 5. §. *meminisse, ff. de nov. oper. nunt. l. etsi forte,* §. *sciendum, si servit. vindic. l.* 1. §. *sed & si quis jactu, ff. quod vi aut clam:* per manus oppositionem, vel lapilli jactum; *l. vi facit,* §. *prohibitus, ff. eod. cap. ex parte* 2. *de V. S.* quasi per vim civilem & festucariam.

Usurpatio, id est usucapionis interruptio, per fractionem furculi; *l.* 2. *ff. de usucap.* M. Tull. 3. de orat. *Etiam hac instituendo divisione utantur, sed ita non ut jure, aut judicio, ut denique recuperare amissam possessionem, sed ut ex jure civili furculo defringendo usurpare videantur.*

Licitatio per digitum, ut in locatione vectigalium; M. Tull. Verr. 3. *Digitum tollit Junius patruus, is mox manceps dicitur.* Et in venditione servorum; Ambros. epist. 7. *Sed non ille solum liber, qui dominum licitatorem non portabit, aut tollentem digitum non vidit.*

Antestatio, seu testium rogatio, per aurium attrectationem; Horat. 1. serm.

Et licet antestari, ego vero
Oppono auriculam, rapit in jus.

Hoc symbolo monebantur testes, ut rei gestæ meminissent: auris memoriæ dicata est; Plin. lib. 11. cap. 43. *Est & in aure ima memoriæ locus, quem tangentes attestamur.* Eo alludens Virgil. eclog. 6.

Cynthius aurem
Vellit, & admonuit. Et ibi Servius. *Aurem autem ideo, quia memoriæ consecrata est, ut frons genio, digiti Minervæ, genua misericordiæ.*

In electionibus suffragia ferri solebant manu porrecta: inde χειροτονίας nomen pro electione; Balsam. in syn. Carthag. can. 13. In jure varia fuere signa & symbola: ut in testamentis æs & libra, quæ dicis causa adhibebatur, ut adumbraretur emptio venditio: in testatione, aurium attrectatio seu vulsio: in electionibus & suffragiis ferendis, dextræ porrectio, quam καρπισμόν vocat Clemens Alexandr. 5. stromat. τὰ παρὰ Ρωμαίοις ἐπὶ τῶν διαθηκῶν γινόμενα τάξιν εἴληχε· τὰ διὰ δικαιοσύνλω, ἐκεῖνα ζυγὰ, καὶ ἀσσάρια, καρπισμοί τε, καὶ αἱ τῶν ὤτων ἐπίψωσις· τὰ μὲν γὰρ, ἵνα δικαίως γίνηται· τὰ δὲ εἰς τὸν τῆς τιμῆς μερισμόν· τὸ δ' ὅπως ὁ παρατυχὼν ὡς βάρεῖ τινὸς αὐτῷ ἐπιτιθεμένου, ἐσῶς ἀκούσῃ, καὶ τάξιν μεσίτου λάβῃ. *Et quæ a Romanis fiunt in testamentis locum obtinuerunt, nempe libræ illæ & asses, propter justitiam, & manuum porrectiones, & aurium contrectationes: illæ quidem, ut juste fiant; hæc autem ad honoris divisionem: tertium vero, ut qui incidisset cum ei onus imponeretur stans audiret, & teneret locum intercessoris.*

Veteribus placuit usus symbolorum; symbolum cœlibis diem functi fuit puer situlam tenens sepulcro impositus; Demosthenes in Leocharem: ἠρῴωσεν ὁ Αρχιάδης καὶ τελευτᾷ τὸν βίον, ἀπόντος τῶν Μειδυλίδου, ἄγαμος ὢν· τί

τούτου σημεῖον λουτροφόρος ἐφέστηκεν ἐπὶ τῷ πῶν Αρχιάδου πάφῳ. *In morbum incidit Archiades & vita decessit cœlebs, quod ejus rei signum est, puer situlam ferens est ejus sepulcro impositus.* Suidas in voce λουτροφόρος· ἔθος δὲ ἦν, καὶ τοῖς ἀγάμοις ἀποθάνουσι λουτροφορεῖν, καὶ ἐπὶ τὸ μνῆμα ἐφίστασθαι, τοῦτο δὲ ἦν παῖς ὑδρίαν ἔχων. *Mos etiam fuit balneas ferre illis qui cœlibes decesserant, & balneum in illorum sepulcro statuere. Hoc autem erat puer situlam tenens.*

CAPUT III.

Fictitia emptio venditio valet, cum actus sumit a lege vim emptionis & venditionis, ut in æstimatione litis & dotis: in datione in solutum: in divisione bonorum inter heredes: aliquando etiam in societate.

FICTITIA emptio & venditio valet, cum actus sumit a lege vim emptionis & venditionis.

Veluti, litis æstimatio vicem emptionis obtinet: exempli gratia, si possessor rei alienæ conventus actione in rem, & damnatus restituere, litis æstimationem solverit, dominium rei statim transfertur in possessorem; quia transegisse videtur cum domino, eo pretio quod ipse constituit; *l. ejus rei, ff. de rei vindic.* Et si mulier, cum qua rerum amotarum actum est, litis æstimationem præstiterit, & postea rei possessionem amiserit, datur ei actio in rem adversus possessorem; quia qui litis æstimationem solvit, emptoris loco habendus est, & datur exceptio adversus maritum vel heredem ejus rem vindicantem; *l. si propter, ff. rer. amot.* Et qui litis æstimationem solvit, usucapere potest, ad exemplum ejus qui rem alienam bona fide emit a non domino; *l. Celsus, ff. de usucap.* quia litis æstimatio emptioni similis est; *l. 1. & 3. ff. pro empt.* Ut & si damnatus restituere hereditatem, æstimationem hereditatis solverit, remanent apud eum actiones hereditariæ, quia pro emptore habetur; *l. facta, §. 1. ad Trebell.*

Dotis æstimatio quoque vice emptionis est: dotis æstimatio est vera venditio; *l. plerumque, §. si ante, ff. de jur. dot.* Inde rebus æstimatis in dotem datis, dominium statim viro acquiritur, quamvis sint in usu mulieris; *l. cum post, §. pen. eod. tit.* Et mariti est electio soluto matrimonio utrum rem, an æstimationem restituat; *d. l. plerumq. §. pen. & dd. ll. seqq.* & dotis æstimatæ periculum pertinet ad maritum; *l. æstimatæ, ff. solut. matrim.* Evictis rebus æstimatis in dotem datis, marito datur actio empti venditi de evictione adversus uxorem; *l. quotiens, ff. de jur. dot. l. 1. C. eod.* Dotis æstimatio est venditio, non simplex venditio, sed quæ contrahitur dotis causa; sunt enim differentiæ tres inter venditionem simplicem, & venditionem dotis causa. Prima hæc est, evicta re vendita, si venditor emptori præstiterit duplum evictionis nomine, id emptor habet plenissimo jure, nec restituit venditori. At si æstimata dote res dotalis evicta sit, & evictionis nomine uxor viro præstiterit duplum, id mulieri restituet vir soluto matrimonio, ne maritus lucretur ex damno mulieris, quia dotis æstimatio non simplex venditio est, sed dotis causa; *d. l. quotiens.* Secunda hæc est, venditio non rescinditur ob læsionem, nisi sit ultra dimidiam justi pretii; *l. 2. C. de resc. vend.* At si dos minoris æstimata sit, etiam si læsio sit intra dimidiam justi pretii, æstimatio dotis rescinditur, data electione marito, vel ut rem dotalem restituat soluto matrimonio, vel justam æstimationem; *l. si res 12. §. 1. ff. de jur. dot.* Quod verum est si res dotalis extet; quod si res extincta sit, maritus liberatur præstando æstimationem non justam & veram, sed eam quæ facta est; quia boni consulere mulier debet, quod res

fuit

Source : BIU Cujas

fuit æstimata ; *d. l. si res* . Tertia hujusmodi est , beneficium *d. l.* 2. datur venditori , non emptori : marito autem læso in æstimatione dotis , quæ vice emptionis est , subvenitur soluto matrimonio , ut non reddat præter justam æstimationem ; *l. si circumscripta* , *C. solut. matrim.*

Datio in solutum emptioni similis est : hinc evicto prædio in solutum dato , qui dedit de evictione tenetur actione ex empto ; *l.* 4. *C. de evict. l. libera* , *C. de sent. & interlocut. l. qui res* in pr. *ff. de solut.* Et si creditor a Principe impetravit , ut pignus jure dominii possideret , idque evictum sit , datur ei utilis actio ex empto , ac si res ei in solutum data esset ; *l. eleganter* , *ff. de pigner. act.*

Divisio bonorum inter coheredes etiam vicem emptionis obtinet , quia fit tacita emptione & permutatione partium ; *l. si filia* , §. *si pater* , *ff. famil. erciscund. l.* 1. *C. comm. utriusq. judic.* unde coheredes sibi cavere debent invicem de evictione rerum singulis adjudicatarum ; *l. heredes* , §. *pen. ff. famil. erciscund.* nisi forte res minoris fuerit æstimata propter evictionis periculum ; *l. si familiæ* , *C. eod.* inde divisio est quasi contractus ; §. † *item si inter* , *inst. de oblig. quæ quasi ex contr.*

Aliquando & in societate quasi emptio contrahitur , ut in specie *l. cum societas* , *ff. pro soc.* Cum coita societate ad emendum & vendendum convenit , ut unus e sociis reliquis nundinas , id est epulas præstaret , quæ solent celebrari inter negotiatores occasione nundinarum & negotiationis ; eosque a negotio , id est cura negotiationis liberos & solutos dimitteret : si eas eis non solvat , tenetur actione pro socio , & ex vendito . Etsi enim , qui promiserit se præstiturum epulas , nihil convenerit de pretio , & nulla sit emptio venditio sine conventione de pretio ; tacita emptio venditio intercedit in pacto de præstandis epulis : quia tacite pactus intelligitur præstare epulas eo pretio , quod in foro certum & statutum erat a prefecto urbi ; *l.* 1. §. *cura carnis* , *ff. de offic. præf. urb.* vel a proconsulibus & præsidibus in provinciis ; *l. annonam* , *ff. de extraord. crim. l. ult. ad l. Jul. de annon.* Edulium certum erat pretium in foro ; unde forum sumitur pro pretio rerum quæ in foro veneunt ; synod. Suess. *Per omnes civitates legitimus forus* , *& mensura fiat* , *secundum abundantiam temporis* . Matth. Paris. *Quod cum Rex Richardus cognovisset* , *misit marescallos suos ad majores civitates* , *petens* , *ut exercitui suo victualia venderent foro legitimo* . Et Albert. Argent. in chronic. *Vina leviori foro* , *& pretio vendebantur* .

Ejusdem argumenti est , quod in *l. cum pater* , §. *mensæ negotium* , *de legat.* 2. mensæ negotium ex causa fideicommissi cum indemnitate heredum per cautionem susceptum emptioni simile videtur : ideoque , cum quæritur an plus in ære alieno sit , an in quæstu ; cui mensæ negotium , id est ratio mensæ argentariæ per fideicommissum relicta est , si agnoverit fideicommissum , & caveat heredi de indemnitate , agnitio hujusmodi fideicommissi præstita satisdatione de indemnitate pro emptione habetur : quia transfert periculum mensæ & onus æris alieni in fideicommissarium , ita ut teneatur creditoribus etiam ultra vires fideicommissi . Non alia de causa hujusmodi fideicommissi agnitio pro emptione habetur , quam quia transfert periculum in fideicommissarium , exemplo emptionis , qua periculum transit in emptorem .

Source : BIU Cujas

CAPUT IV.

Utilitatis causæ receptum est, ut possessio acquiri possit per imaginariam traditionem : puta per retentionem ususfructus : per traditionem instrumentorum : per conductionem rei venditæ : per traditionem clavium : per appositionem custodis : per obsignationem rei venditæ : per scientiam & patientiam domini in rebus incorporalibus. Possessio ecclesiæ acquiritur per funem campanæ, aut per tactum seræ seu pessuli.

NATURALITER possessio non adquiritur sine corporali prehensione rerum, quia est magis facti quam juris ; *l. denique, ff. ex quib. caus. maj. l. 3. §. 1. ff. de adq. poss.* Sed utilitatis causa receptum est, ut adquiri possit per fictitiam & imaginariam traditionem.

Qualis est per retentionem ususfructus : exempli gratia, donatio vel in dotem datio, & venditio perficitur per retentionem ususfructus ; quia retentio ususfructus pro traditione habetur ; *l. quisquis, l. si quis argentum, §. pen. C. de donat.*

Moribus traditio facta videtur per clausulam constituti, cum venditor vel donator constituit se emptoris vel donatarii nomine precario possidere : hoc casu licet corporaliter rem non tradiderit, fingitur tradidisse, qui eam sibi possidere desiit, & cœpit possidere emptori vel donatario, tanquam precario ab eo acceptam.

Donatio & traditio facta intelligitur & per traditionem instrumentorum ; *l. 1. C. de donat. l. 2. C. quæ res pign. l. servum filii, §. eum qui, de legat. 1.*

Res tradita videtur etiam si donator vel venditor rem ab emptore seu donatario conduxit ; *l. quædam, ff. de rei vindicat.* Vel si quis patiatur rem, quam tibi commodavit, apud te manere ex causa emptionis vel donationis ; *§. interdum, inst. de rer. divis.* Traditio quoque facta inducitur, quod reperiatur donatarius in possessione rei donatæ tempore donationis ; *d. l. quædam.*

Frumentum & vinum traditum videtur, traditis clavibus horrei vel cellæ vinariæ, in quo conditum est ; *l. clavibus, ff. de contrah. empt. l. 1. §. pen. de adqu. possess. l. 9. §. item si quis merces, de adqu. rer. dom. §. item si quis merces, inst. de rer. divis.* Traditione clavium, urbs vel castrum traditur ; Leo Ostiens. chronic. Cass. lib. 2. cap. 39. *Cum ergo Capuanus Princeps Constantinopolitano Imperatori Basilio clam faveret, claves aureas ad illum misit, se & urbem Capuanam, immo totum principatum ejus per hæc imperio tradidit.*

Si acervum lignorum emero, traditus mihi videtur simul atque custodem apposuero : appositio custodis pro traditione habetur : *l. quarumdam, ff. de adqu. possess.*

Traditio pro facta habetur, si emptor rem emptam obsignaverit ; *l. quod si neque, §. 1. ff. de peric. & comm. rei vendit.* Ejus est signatum, cujus est signum ; *l. stigmata, C. de fabricens. lib. 11.* Augustin. in psalm. . . . *Illius sunt oves, qui illas signavit :* excipe, nisi obsignetur dolium, quo vinum venditum continetur ; quia non tam traditionis causa obsignari solet, quam ne vinum avertatur ; *l. 1. ff. eod.*

Possessio incorporalium adquiritur per scientiam & patientiam domini : puta, servitus cum sit incorporalis non recipit traditionem ; sed patientia venditoris, qui patitur emptorem uti, pro traditione habetur ; *l. *) 1. ff. de servit. l. 1. §. ult. ff. de serv. rustic. l. si a te, si servit. vindic. l. si ego, §. 1. ff. de Publician.* Idem in usufructu ; *l. 3. de usufr.*

Simi-

Source : BIU Cujas

Similiter hereditas pro restituta habetur per patientiam heredis, si passus sit res hereditarias possideri a fideicommissario ; *l. restituta , ad Trebell.* & si quis donandi causa lapidem mihi eximere de suo permiserit, lapis exemptus quodammodo traditione meus fit ; *l. permisisti , ff. de præscript. verb. l. 6. de donat.*

Possessio non sola prehensione corporali adquiritur, sed & oculis & † affectu ; *l. 1. §. pen. l. quod meo , ff. de adquir. poss.* Possessio ecclesiæ acquiritur per tactum funis campanæ ; Baldric. Noviomens. lib. 1. cap. 90. *Nam cum dignitatis tanto muxere suscepto rediret , adeo quippe æstu torrente fatigatus est , ut cum ad ecclesiam usque pervenerit , vix campanam , cujus tintimabulo episcopii dignitatem vendicandam sibi indicare deberet ; vix , inquam , præ molestia ægritudinis movere potuerit .* Innocent. noster lib. 1. epist. 296. *Exinde ad ecclesiam pariter accedentibus , Episcopus in sede abbatis illum constituens , per funem campanæ , sicut moris est , investivit .* Vel per tactum seræ seu pessuli ; idem Innoc. lib. 11. epist. 104. *Cumque postmodum regressus Aquilegiam sibi vellet administrationem cellarii vindicare , quasi possessionem ejus per seram , quia clausum erat cellarium , apprehendit .* Acturus de inofficioso testamento , litis ordinandæ causa bonorum possessionem accipiebat a prætore ; *l. 6. §. ult. & dd. ll. seqq. ff. de inoff. test.* Sed hæc possessio erat civilis & festucaria, non realis ; nec adimebat possessionem scriptis heredibus ; *l. 2. C. eod.*

CAPUT V.

De fictione brevis manus.

FICTIONE brevis manus res tradita videtur ex certa causa ; quamvis res tradita non sit , vel ex alia causa tradita sit .

Ut, si depositi apud te pecuniam , deinde permisi tibi ea uti quasi mutua, mutuum contrahitur ; *l. certi condictio , §. ult. ff. de reb. credit. l.* † *qui negotia*, in princ. *vers. nec huic , ff. mandat. l. 9. §.* †† *nihil autem interest , l. si servus , §. 1. ff. de adqu. rer. dom.*

†† Potius trahi potest ex §. *interdum*.

Idem dicendum si jussero debitorem meum tibi pecuniam numerare ; mihi obligaris ex causa mutui , quamvis meos nummos non acceperis : item si convenerit, ut pecuniam, quam mihi debes ex causa mandati , creditam habeas ; his casibus mutuum contrahitur ; *l. singularia , ff. de reb. credit. d. l. qui negotia .* His casibus proprie mutuum non contrahitur , cum meos nummos non acceperis ; mutuum dicitur contrahi , cum pecunia, quæ erat creditoris , fit accipientis; mutuum dicitur , quod de meo tuum fiat . Sed his casibus contrahitur mutuum fictione brevis manus , quasi pecunia mihi soluta sit , & a me tibi credita fuerit . Unde Ulpianum in *d. l. singularia* , & Africanum in *d. l. qui negotia* , consentientes habemus, jus id benigne , & jure singulari receptum esse , ut mutuum contrahatur his casibus : quod quidem dicitur fieri brevi manu ; *l. licet , §. 1. ff. de jur. dot.* & circuitus vitandi causa , quando celeritate conjungendarum inter se actionum una occultatur ; *l. 3. §. sed si debitorem , ff. de donat. inter vir. & uxor.* Veluti cum vestis componendæ & congruenter corpori aptandæ gratia , ea in plures sinus consuitur & complicatur .

Eadem fictione brevis manus, si rem meam, quam possidebas, tibi vendidero , pro tradita habetur ; *l. si rem , ff. de evict. l. 9. §.* † *nihil autem , l. si servus , §. 1. de adq. rer. dom.* Et si res extra dotem a matre , filiæ nomine viro traditæ sint , filiæ quæ præsens fuit donatæ , & ab ea viro traditæ videntur ; *l. donationes 31. §. species , ff. de donat.* Et si filiusf. donatam sibi ab alio pecuniam eo animo ut creditori solveret , creditori solverit , videtur a donatore

† Hic bene facit §. *interdum* .

Source : BIU Cujas

profecta illico ad creditorem ; *l. sed si paterf. §. 1. ff. ad Maced.* Fictioni brevis manus opponitur longa manus, cujus meminit *l. pecuniam, ff. de solut.*

Fictio brevis manus introducta est circuitus vitandi causa : circuitus vitandus est rerum celerius expediendarum gratia. Ut, si dominus testamento minus solemni servo suo libertatem dederit, si decem mihi daret ; & postea appareat testamentum nullum esse, & interim alius nomine servi decem dederit, domino servi datur condictio indebiti : sed circuitus vitandi causa benignius & utilius, id est æquius est recta via ei qui solvit dari condictionem ; *l. dominus, ff. de condict. indebit.* Et si cui legetur plusquam per legem falcidiam, & ab eo fideicommissum relictum sit ; fideicommissarius debet cavere legatario, quod amplius ceperit, quam per legem falcidiam liceret, restitui ; nisi forte malit legatarius cavere heredi sublato circuitu ; *l. videamus, ff. si cui plus, quam † per l. falcid.* Circuitum vitandum esse, tanquam juri civili adversum, insinuat Petron. in satyric. *Negavi circuitu agendum, sed plane jure civili dimicandum.*

CAPUT VI.

Quædam res non sunt in commercio, & tamen cum universitate transferuntur in heredem vel emptorem, quasi majori parti accedant. Mandata jurisdictione, concessa videntur ea, sine quibus explicari non potest iurisdictio. Cum minor creatur prætor, habetur quasi major. Quædam tacite excipiuntur, licet excepta non sint.

QUÆDAM, quæ non sunt in commercio, per se alienari non possunt, sed cum universitate transferuntur in heredem vel emptorem ; *l. quædam, ff. de adqu. rer. dom.* ut, locus sacer, vel religiosus specialiter venire non potest, sed cum universitate transit in emptorem ; *l. in modicis, & dd. præced. ff. de contrah. empt.* Ita demum, si modicum emptioni majoris partis accedat ; *d. l. in modicis, & l. hæc adjectio, de V. S.* Et jus patronatus per se vendi non potest, cum sit spirituale, vel spirituali adnexum ; *cap. † quanto, de judic.* sed cum universitate transit in emptorem ; *cap. cum sæculum, cap. ex litteris, de jur. patron. cap. cum Bertholdus, de re judic.*

Cum venditor fundi excepit locum sepulcri, videtur tacite excepisse iter ad sepulcrum ; *l. si venditor, ff. de religios.* Vendito fundo, iter ad sepulcrum exceptum videtur ; quia legibus prædiorum vendundorum cavetur, ut ad sepulcra, quæ in fundo sunt, iter & ejus aditus ambitus funeris faciendi sit ; *l. 5. ff. de sepulcr. violat.* M. Tull. pro Rosc. Amerin. *Filii autem ejus egestas indignissima, cui de tanto patrimonio prædo iste nefarius, ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset.* Vendito fundo iter ad sepulcrum tacite exceptum videtur, quia excipi solet. Pacta, quæ adhiberi solent in contractibus, tacite inesse videntur ; *l. quod si nolit, §. quia assidua, ff. de ædil. edict. l. ult. C. de fidejuss. l. ult. C. quæ res pign. oblig. poss.*

Si aqua accedat venditioni fundi, tacite iter accedit ; *l. qui fundum, §. in lege, ff. de contrah. empt.* Si ususfructus fundi legetur, aditus tacite sequitur usumfructum ; quia ususfructus adminiculis eget, sine quibus consistere non potest ; *l. 1. §. 1. ff. si usufr. pet.*

Mandata jurisdictione, tacite concessa videntur ea omnia, sine quibus jurisdictio explicari non potest ; *l. 2. ff. de jurisd.* Mandata jurisdictione, etiam imperium mixtum mandatum videtur ; quia jurisdictio sine modica coercitione nulla est ; M. Tull. Philipp. 3. *Demus imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest.* Si prætor minor ætate senten-

Source : BIU Cujas

ſententiam dixerit, valet ſententia; Princeps enim, qui ei magiſtratum dedit, omnia gerere decrevit; *l. quidam, ff. de re judic.* Princeps minorem eligendo in magiſtratum, videtur ei ætatem ſuppleſſe, & omnes dotes conceſſiſſe, quæ neceſſariæ ſunt magiſtratui, ne Princeps deceptus videatur. Dubitare de principali judicio non oportet; ſacrilegii enim inſtar eſt dubitare an is dignus ſit, quem elegerit Imperator; *l. 3. C. de crimin. ſacrileg.*

Quædam tacite excipiuntur, licet non ſint excepta. Veluti, ſi cui ſimpliciter via cedatur, vel teſtamento relinquatur per fundum; per quamlibet ejus partem ire agere licet civiliter modo, nam quædam in ſermone tacite excipiuntur; *l. ſi cui, ff. de ſervitut. l. ſi via, de ſervit. ruſtic.*

CAPUT VII.

Quaſi contractus naſcuntur ex tacita conventione & figmento legis.

CONTRACTUS naſcuntur ex ſpeciali conventione; quaſi contractus ex tacita conventione, & legis figmento.

Ut, tutela non eſt contractus, ſed quaſi contractus; tutor non tenetur proprie ex contractu, quia nullatenus contraxit cum defuncto, a quo tutor datus eſt; nec cum pupillo cujus tutelam ſuſcepit: ſed tenetur quaſi ex contractu; *l. † ſi quis abſentis, §. tutelæ, ff. de oblig. & act. §. tutores, inſt. de oblig. quæ quaſi ex contr.* quia ſuſcipiendo tutelam videtur contraxiſſe cum pupillo, hoc ipſo quod omnia bona tacite obligarit pupillo tutelæ nomine; *l. ult. C. de legit. tut. l. pro officio, C. de adminiſtr. tut. l. unic. §. 1. C. de rei uxor. act.* Unde tutor pro rationibus reddendis ibi conveniri poteſt, ubi tutelam geſſit, quaſi ex contractu; *l. heres abſens, §. 1. l. argentarium, ff. de judic. l. 1. & 2. C. ubi de ratiocin.* & tutela recenſetur inter contractus; *l. contractus, de R. J.* Et debitum conſtitui poteſt, non modo ex mutuo, ſed etiam ex tutela veluti ex contractu; *l. 1. §. debitum, ff. de conſtit. pecun.*

Litis conteſtatio eſt contractus, vel quaſi contractus; in judicio quaſi contrahitur: ut, pater tenetur de peculio ex contractu filiif. vel ex quaſi contractu, veluti ex cauſa judicati cum filio; nam ſicut ſtipulatione contrahitur cum filio, ita & judicio; *l. 3. §. idem ſcribit, ff. de pecul.* Hinc litis conteſtatio novat obligationem, quaſi ſtipulatio, vel contractus; *l. delegare, l. aliam, ff. de novat.* & poſt litem conteſtatam cum uno ex fidejuſſoribus, actio ſemel diviſa non redintegratur; *l. liberum, C. de fidejuſſ.* & poſt litem conteſtatam procurator poteſt alium ſubſtituere, quia lite conteſtata fit dominus litis; *l. procuratoribus, & ſeq. C. de procurat.*

Aditio hereditatis etiam eſt quaſi contractus; heres, qui ſemel adiit hereditatem, vel petiit bonorum poſſeſſionem, quaſi ex contractu tenetur in ſolidum creditoribus hereditariis & legatariis; quia adeundo hereditatem videtur contrahere cum creditoribus & legatariis; *d. l. † ſi quis abſentis, §. heres, l. pen. in fin. ff. de ſeparat. §. heres, inſt. de oblig. quæ quaſ. ex contract.* Ideo pupillus non poteſt adire hereditatem ſine tutoris authoritate, ne ſine tutore obligetur æri alieno: hereditatis aditio eſt quaſi contractus, quia adeuntem obligat æri alieno, etiam ſi non ſit ſolvendo; *l. more noſtræ, ff. de adqu. hered.* Et ſi pupillus, qui adiit hereditatem, non ſolvat legata vel æs alienum defuncti, & conventus eo nomine non defendatur, bona ejus ex edicto prætoris poſſideri poſſunt; quia adeundo hereditatem contraxiſſe videtur cum creditoribus hereditariis & legatariis; *l. 3. §. ult. & l. ſeq. ff. ex quib. cauſ. in poſſ. eat.* Omnis obligatio pro contractu habetur; ubicumque quis obligatur, & contrahere videtur, quamvis non

Source : BIU Cujas

obligetur ex causa mutui ; *l. omnem, ff. de judic.* Et heres, qui legatum solvit filiof. ignorans ejus conditionem, liberatur ; heredi nihil est quod imputetur, cum non sponte cum legatariis contrahat ; *l. qui cum alio, de R. J.* Heres adeundo hereditatem obligatur creditoribus hereditariis, quia hereditatis aditio est quasi contractus.

Qui non debitum accepit per errorem solventis, non tenetur ex contractu; quia indebitum solvens per errorem, magis distrahendæ obligationis animo, quam contrahendæ dare videtur : sed tenetur quasi ex contractu, id est quasi ex mutuo ; *d. l.* † *si quis absentis*, §. *is quoque*, §. *item is cui, de oblig. quæ quas. ex contract.* Solutio indebiti est quasi contractus, id est quasi mutui datio : qui enim indebitum solvit, mutuum contrahere videtur ; & condictio indebiti non datur ex contractu, sed ex bono & æquo ; *l. indebiti, l. hæc condictio, ff. de condict. indebit.*

† V. Si probat. Et adde *cap. ult. eod. tit.*

Similiter maleficium est quasi contractus ; reus videtur contraxisse ubi deliquit, & quasi ex contractu sortitur forum ratione delicti ; *l. 1. & auth. qua in provincia*, C. *ubi de criminib. cap.* † 1. *cap. postulasti, de for. compet. clem. pastoralis, de re judic.*

Ex jurejurando datur actio quasi ex contractu : si filiof. jusjurandum deferente juratum sit ; ex jurejurando in patrem datur actio de peculio, quasi ex contractu. Jusjurandum habet vim stipulationis, novationis, transactionis, & rei judicatæ ; *l. 2. l. qui juravit*, §. *ult. l. admonendi, l. tutor pupilli*, §. 1. *ff. de jurejur.* Jusjurandum habet vim contractus, immo & induit naturam actus super quo interponitur ; *l. ult.* C. *de non numer. pec. cap. quemadmodum, de jurejur.*

Ex contractu filiif. vel servi, inito jubente patre vel domino, actio quod jussu quasi ex contractu proprio datur in solidum in patrem vel dominum ; quia quodammodo cum eo contrahitur qui jubet ; *l. 1. ff. quod juss.* §. 1. *inst. quod cum eo qui in alien. potest.*

Ex contractu exercitoris, vel institoris, datur actio in dominum quasi ex ejus contractu, perinde ac si ipse contraxisset ; quia institor contraxisse videtur jussu domini, qui eum præposuit mensæ vel negotio ; *l. si institorem, ff. de reb. cred. l. pen.* C. *de exerc. & instit. act.* §. *ult. inst. quod cum eo qui in alien. potest.*

Ex quasi contractu cum defuncto nascitur & actio funeraria in heredem, qui in funus defuncti aliquid impendit, contrahere videtur cum defuncto, non cum herede ; *l. 1. ff. de religios.* Sumptus funeris videtur æs alienum defuncti potius quam heredis ; quia pertinet ad corpus defuncti & honorem sepulturæ : quod lex finxit propter beneficium separationis, ut in concursu creditorum defuncti, & creditorum heredis, huic creditori detur beneficium separationis, ut creditoribus heredis præferatur ; *l. 1. & tot. tit. ff. de separat.*

Si quis absentis negotia gesserit sine mandato, utilitatis causa utrique datur actio negotiorum gestorum ex quasi contractu, id est quasi ex mandato ; *d.* † *l. si quis absentis*, in prin. Is, cujus negotia gesta sunt mandasse fingitur, ut eo nomine mutua detur actio, ne absentes maneant indefensi.

CA-

Source : BIU Cujas

CAPUT VIII.

Societas involuntaria cum coherede & collegatario: quasi societas cum colono partiario. De tacita reconductione. Maritus uxoris procurator ex tacito mandato. De tacita emancipatione. Favore reipub. inchoatio operis habet vim promissionis.

CUM coherede vel collegatario non est proprie societas: societas voluntate contrahitur, cum coherede vel collegatario non contrahimus, sed incidimus in eum; coheredes & collegatarios conjunxit ad societatem, non consensus, sed res: verum societas re contrahitur, quasi tacito consensu; *l. heredes, §. non tantum, ff. famil. ercisc. §. item si inter, inst. de oblig. quæ quasi ex contract.* Coheres adeundo hereditatem videtur optare & adjungere sibi coheredem; quia si sint duo vel plures heredes solidum habent ab initio, sed concursu partes faciunt; *l. conjunctim, de legat. 3.*

Cum colono partiario non est proprie societas, sed quasi societas. Hinc colonus partiarius quasi societatis jure damnum & lucrum cum domino fundi partitur; *l. si merces, §. vis major, ff. locat.* Et cum agrum politori damus in commune quærendis fructibus, velut a socio in re communi culpa præstanda est; *l. cum duobus, §. utrum, pro soc.*

Finito tempore locationis tacita reconductio contrahitur, si conductor in eadem conductione permaneat; *l. item quæritur, §. qui impleto, & seqq. ff. locat. l. legem, C. eod.*

Maritus sine mandato in rebus uxoris intercedere, id est in jure judicioque agere potest; *l. maritus, C. de procurat.* quia maritus videtur procurator uxoris ex tacito mandato. Tacite convenire, & tacite mandare possumus; *l. 2. ff. de pact. l. 6. §. † si passus, ff. mandat.* Idem in aliis conjunctis personis; *l. sed & hæ*, in pr. *ff. de procur. l. exigendi, C. eod.*

Emancipatio est actus solemnis, qui fieri debet servatis solemnibus; *l. 3. C. de emancip.* & apud judicem competentem; *l. 1. & ult. C. eod.* Tamen tacita emancipatio recte fit sine magistratu & solemnibus, si pater longo tempore, id est per decennium, patiatur filiumfamilias ut patremfamilias agere, res suas gerere, & sibi habere; *l. post mortem, ff. de adopt. l. si filiusf. ff. ad Maced. l. 1. C. de patr. potest. l. si putas, C. de petit. hered.* Patria potestas remittitur tacito consensu patris. Eadem est vis consensus taciti, ac expressi; consentire videtur qui sciens & valens dissentire non reclamat; *d. l. si filiusf.*

Si quis opus cœperit reip. seu civitatis, quasi ex pollicitatione tenetur perficere; *l. 3. ff. de pollicit.* Favore reip. inchoatio operis habet vim promissionis: alias cœptum opus non tenetur quis perficere; ut, qui solvit partem alieni debiti, non tenetur residuum solvere; *l. 4. C. ne uxor. pro marit.*

Source : BIU Cujas

CAPUT IX.

Quædam habent vim taciti pacti : puta redditio chirographi, non etiam redditio pignoris quoad sortem : ratio differentiæ inter utrumque. Servitutis instrumentis servo datis aut corruptis, libertas data intelligitur. Crematis indictionum tabulis, reliqua vectigalium remissa. Qui per triennium minores usuras accepit, majores remisisse creditur. Qui nullas per longum tempus accepit, eas etiam omnino remisisse videtur.

PACTUM aliud est expressum, aliud tacitum : expressum est quod fit speciali partium consensu : tacitum est, quod a lege inducitur ex tacito & præsumpto partium consensu ; *l.* 2. *ff. de pact.*

Ut, reddito chirographo, tacite debitum remissum videtur : redditio chirographi habet vim taciti pacti de non petendo ; *l.* 2. *&* 3. *ff. de pact.* quia creditores sortem accipiendo solent reddere chirographum & cautionem : reddito chirographo debitum remittitur, quia redditum censetur animo remittendi debiti ; quod id moris esset & consuetudinis, chirographum reddi soluta sorte vel remissa, Ambros. 1. offic. cap. 32. *Est etiam illa benevolentiæ liberalitas, ut si quod habes debitoris chirographum, scindens restituas ; nihil a debitore consecutus debiti.* Et August. de temp. serm. 120. *Nam dum tantum reum benigne relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conscripsit securitatem.* Coripp. de laud. Justin. lib. 2.

Debita persolvit, genitoris cauta recepit.

Æque legato chirographo, debitum, quod in eo continetur, legatum videtur ; *l. servum filii*, §. *eum qui*, *de legat.* 1. *l. qui chirographum*, *de legat.* 3. alioquin inane esset legatum : & instrumento emptionis pignori obligato, fundus obligatus videtur ; *l.* 2. *C. quæ res pignor.* reddito pignore, pignus remissum censetur ; *l. creditricem*, C. *de remiss. pignor. cap.* 4. *ut lit. pend.* Sed obligatio sortis non solvitur ; *d. l.* 3. *de pact.* quia non valet argumentum ab accessorio ad principale. Pignus est accessio principalis obligationis, sublato accessorio, id est pignore, obligatio principalis manet, licet principali obligatione sublata accessoria tollatur ; *l.* † *eos*, *qui*, C. *de usur.* sic & tabulis indictionum cremari jussis, reliqua vectigalium remissa videntur ; *l.* 6. *C. de jur. fisc.* quia optimi Principes solebant descriptiones vectigalium publice igni comburere, ubi remittebant reliqua vectigalium ; Auson. in panegyr. Gratian. *Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere jussisti, videre in suis quæque foris omnes civitates conflagrationem salubris incendii.* Greg. Tur. lib. 5. c. 34. *Tunc Rex Chilpericus compunctus corde tradidit omnes libros descriptionis igni, conflagratisque illis misit qui futuras prohiberent descriptiones.*

Dominus, qui instrumenta servitutis servo dedit, vel corrupit, eum manumisisse videtur ; modo id fiat testibus præsentibus, ne furandi occasio servo forsitan detur ; *l. un.* §. *ille autem*, C. *de latin. libert. toll.* Redditio tabularum servitutis, argumentum fuit manumissionis ; Augustin. epist. 50. de Donatistis : *Pessimorum servorum ut liberi abscederent tabulæ frangebantur, extorta debitoribus chirographa reddebantur.*

Si quis pactus sit, nulla facta mentione heredis, pactum prodest non modo paciscenti, sed etiam heredi ; quia sibi & heredi caviisse videtur, quod plerumque tam heredibus, quam nobismetipsis caveamus ; *l. si pactum*, *ff. de probat.*

Qui in futurum usuras a debitore accepit, tacite pactus videtur ne intra id tempus sortem petat ; *l. qui in futurum*, *ff. de pact.* & si interim sortem petat,

Source : BIU Cujas

petat, ſubmovetur exceptione pacti, ſc. taciti, & doli ; *l.* 2. §. *non male*, *de dol. & met. except.* ait in futurum; uſuræ enim prorogari, id eſt in futurum ſolvi ſolebant.

Qui ſtipulatus eſt majores uſuras, & per certos annos, puta per triennium, minores accepit, tacite pactus videtur ne majores petat, & ſi majores petat, repellitur exceptione pacti, ſc. taciti ; *l.* 5. *C. de uſur.*

Qui uſuras longo tempore non petiit, poſtea eas petere non poteſt, ex reſcripto D. Pii; quia eas tacite remiſiſſe videtur debitori, ut gratior apud eum eſſet ; *l. cum quidam*, §. *Divus Pius*, *ff. de uſur. l. vir uſuras*, *de donat. inter vir. & uxor.*

CAPUT X.

De tacita hypotheca : quibus ea competat.

ALIA eſt hypotheca conventionalis, alia tacita, ſeu legalis : conventionalis eſt quæ conventione contrahitur; *l.* 1. *ff. de pigner. act. l.* 4. *de pignor. l. non ſolum*, §. *qui pignori*, *& ſeq. de uſucap.* tacita eſt quæ tacite a lege contrahitur, etiamſi de ea nominatim non convenerit.

Ut, tacita hypotheca datur mulieri in bonis mariti pro dote repetenda ; *l. un.* §. 1. *C. de rei uxor. act. l. aſſiduis*, *C. qui potior. in pign.* quod favore dotis ſtatutum, ut mulieri dos incolumis ſit : reip. intereſt mulieribus dotes ſalvas eſſe ; *l.* 2. *ff. de jur. dot.* Privilegio tamen tacitæ hypothecæ caret mulier, quæ ſibi cavit ſpeciali hypotheca : ubi eſt conventionalis hypotheca ceſſat legitima ; *l. ult. C. de pact. convent.* Idem eſt ubi mulier remiſit hypothecam marito; quia remiſſio hypothecæ vel pignoris, nec eſt interceſſio, nec donatio ; *l. quamvis*, in pr. *ff. ad Vellejan. l. etiam*, *C. eod.*

Tacita hypotheca datur & legatariis in bonis defuncti aſſequendi legati cauſa, quaſi ex tacita voluntate teſtatoris ; *l.* 1. *&* 2. *C. comm. de legat.* §. *ſed olim*, *inſtit. de legat.* Conſtitutione Juſtiniani legatorum cauſa tres dantur actiones, quæ pugnantes videntur inter ſe ; actio in rem, quæ datur legatario quaſi domino ; actio in perſonam ex teſtamento, qua intendimus legatarium non eſſe dominum, ſed rem legatam ei deberi ex teſtamento; quaſi æs alienum defuncti potius, quam heredis. Actio ex teſtamento legati nomine, hereditariæ actionis loco habetur, quamvis cœperit ab herede, non a defuncto ; *l. hereditariarum*, *ff. de oblig. & act.* quia origo ejus & cauſa pendet ex teſtamento, & voluntate defuncti. Hereditarium, ſeu defuncti æs alienum intelligitur etiam id, de quo cum defuncto agi non potuit, veluti quod collatum eſt in tempus mortis; *l. hereditarium*, *de reb. auct. judic. poſſ.* quia origo ejus cœpit a defuncto ; & actio hypothecaria præſupponit rem alienam : hypotheca enim eſt jus in re aliena. Hac conſtitutione ſublata eſt differentia legati per vindicationem, quo transferebatur dominium, & legati per damnationem, ex quo naſcebatur actio ex teſtamento, quæ eſt perſonalis. Verum ſublata hac differentia legatorum, ſalvæ fuere actiones quæ ex his conſtitutæ erant : immo vero omnes conjunctæ ſunt & adunatæ, ut facilius pateret via ad conſequenda legata pluribus datis actionibus ; & pugnantes inter ſe actiones conciliavit Juſtinianus, ut legatariis faveret ; *d. l.* 1. *&* 2.

Tacitam hypothecam habet pupillus vel adultus in bonis tutoris vel curatoris ; *d. l. un.* §. 1. *C. de rei uxor. act. l. ult. C. de legit. tutel. l. pro officio*, *C. de adm. tut.* Et ſi mater geſſerit tutelam liberorum, & tranſierit ad ſecundas nuptias, non petito eis tutore, nec redditis rationibus, mariti quoque, id eſt vitri-

Source : BIU Cujas

ei bona, ex causa tutelæ, tacite pignori obligata sunt pupillo; *l.* 2. *C. quandi mul. tutel. offic. fung. nov. Just.* 22. *cap.* 40. Et tacita hypotheca, quæ in bonis tutoris pupillo competit, non ab eo die incipit quo rationes redditæ, & reliqua explicata sunt; nec rursus a tempore quo quæque res gesta est, sed ab ipso die susceptæ tutelæ; *d. l. pro officio*, quia, ut dixi suo loco, tutela est quasi contractus. Filius quoque habet tacitam hypothecam in bonis patris, pro rebus maternis & adventitiis, & lucris nuptialibus; *l. cum oportet*, §. *non autem*, *C. de bon. quæ liber. l. si quis prioris*, §. *pen. & ult. C. de secund. nupt.*

Fiscus quoque habet tacitam hypothecam in bonis debitorum, ex causa tributorum, vel contractuum; *l.* 1. *&* 2. *C. in quib. cauſ. pign. vel hypoth.* & ad eas causas pertinet quod ait *l. aufertur*, §. *fiscus*, *ff. de jur. fisc.* fiscum semper habere jus pignoris; quidam enim sunt casus, in quibus fiscus tacitam hypothecam non habet; *l. rescriptum*, *ff. de pact.* Effectus tacitæ hypothecæ fisci est, quod causam pignoris fiscus præveniſſe intelligitur; *l. si qui mihi*, *ff. de jur. fisc. l. quod quis*, *de reb. auct. judic. poſſ. l.* 1. §. *ex illa*, *ad l. Cornel. de falſ.*

Invecta illata in prædia urbana, tacite pignori sunt locatori pro pensionibus, etiam si de eo nihil convenerit: invecta illata in prædia rustica, pro mercede non sunt pignori, nisi expresse convenerit; *l.* 4. *ff. de pact. l. eo jure*, *in quib. cauſ. pign. vel hypothec. l.* 5. *C. eod.* sed fructus, qui ibi nascuntur, tacite intelliguntur pignori esse, etiamsi id non convenerit; *l. in prædiis*, *ff. eod. l. certi*, *C. locat.* Invecta illata sunt tacite pignori in prædiis urbanis, fructus tantum in prædiis rusticis; quia dominus fingitur esse contentus pignore fructuum: quod pignus cum in ædibus spectari non possit, merito placuit dominum ædium tacite pactum videri de pignore rerum inquilini quæ inveherentur. Hanc enim ob causam solebant inquilini res suas pignerare; coloni autem non res suas, sed fructus fundi ob mercedem pignori obligare solebant; *l. si servus*, §. *locavi*, *ff. de furt.* Quæ autem sunt consuetudinis inesse videntur; *l. quod si nolit*, §. *quia assidua*, *ff. de ædil. edict.* Fructus prædii rustici sunt tacite pignori pro mercede locationis; quia non tam seminis, quam dominii & soli jure percipiuntur; *l. qui scit*, §. 1. *ff. de usur.* & jus soli in causa pignoris sequuntur. Invecta illata in prædia urbana non modo tacite obligantur pro pensionibus, sed & pro deteriorationibus culpa inquilini factis; *l.* 2. *ff. in quib. cauſ. pign. vel hypoth.*

Tacitam hypothecam habet qui pecuniam credidit ad domum extruendam, vel reficiendam; quia pecunia ejus salvam fecit, vel præbuit pignoris causam; *l.* 1. *ff. eod. l. si ventri*, §. 1. *de reb. auct. judic. poſſid.*

Aliena pecunia redemptus ab hostibus, tacite pignori tenetur ei qui redemit, & fit ejus quasi servus donec restituat pretium; *l. senatus*, §. † *ult. ff. de legat.* 1. *l. in bello*, §. *si quis servum*, *l. si patre*, *l. si quis ingenuam*, in pr. *ff. de captiv. & poſtlim. reverſ. l.* 2. *C. eod.*

CAPUT XI.

De dote: quaſnam fictiones ea recipiat.

DOs profectitia mortua filia in matrimonio redit ad patrem, licet nulla stipulatio dotis repetendæ accesserit; quia pater tacite stipulatus videtur dotem sibi reddi mortua in matrimonio filia, ne & pater filiæ amissæ, & pecuniæ damnum sentiat; *l. jure ſuccurſum*, *ff. de jur. dot. l. dos a patre*, *C. ſolut. matrim.* Dos adventitia mortua in matrimonio muliere, ipso jure apud virum remanet, nisi is qui dotem dedit stipulatus sit sibi dotem reddi; *l.* * *ob res*, §. 1. *l. cum maritus*, §. *Titius*, *ff. de pact. dotalib.* Constit. Justiniani dos adventitia

Source : BIU Cujas

titia mortua in matrimonio muliere non cedit lucro mariti, sed mulieris heredibus reddenda est ex tacita stipulatione ; *l. un. §. illo procul dubio, C. de rei uxor. act.*

Morte viri, vel divortio soluto matrimonio, mulieri datur actio ex stipulatu dotis recuperandæ causa, licet nulla stipulatio intervenerit; quia contractui dotis inest tacita stipulatio de dote reddenda : & si stipulatio inutilis interposita sit, pro utili habetur ; *d. l. un. §. 1. & §. accedit*, quia dos in hoc datur ipso jure, ut soluto matrimonio reddatur mulieri ; *l. res in dotem, ff. de jur. dot.*

Dotis stipulatio, vel datio tacitam habet conditionem, si nuptiæ sequantur ; *l. stipulationem, ff. de jur. dot.* quia non alia contrahendi causa fuit ; *l. in rebus, eod.* nec dos est sine nuptiis; *l. incestæ, l. dote, ff. de rit. nupt. l. manifestum, C. de nupt.* & nuptiis non secutis ipso jure evanescit stipulatio dotis ; *l. promittendo, ff. de jur. dot. l. 4. §. † 2. de pact.* ac rebus æstimatis in dotem datis si nuptiæ non sequantur, res ipsa repeti debet, non æstimatio ; *d. l. in rebus*, quia dos non fuit : & quod datum est non repetitur actione de dote, sed condictione ob causam dati, causa non secuta ; quæ exemplo dotis, id est actionis de dote, est privilegiaria inter personales actiones, id est chirographarios creditores personalem actionem habentes ; *l. si sponsa, † eod. de jur. dot. l. eum qui duas, C. ad l. Jul. de adult.* Si mulier viro centum dederit, non adjecta dotis causa, dotis causa dedisse intelligitur ; *l. quia autem, de jur. dot.* quia non alia fuit causa dandi.

Dos data ab avo paterno, post mortem avi mortua filia in matrimonio patri reddenda est ; quia ab eo profecta intelligitur, cum propter filium ab avo nepti data sit : quod ab avo nepti datur, perinde est ac si a filio datum esset; quippe officium avi circa neptem pendet ex officio patris erga filium ; *l. dotem, ff. de collat. bonor. l. 3. §. ult. de donat. inter vir. & uxor.*

Marito vergente ad inopiam, mulieri datur repetitio dotis ; *l. si constante, ff. solut. matrim.* & quidem olim, si maritus fieret non solvendo, fingebatur divortium, & mulieri dabatur actio de dote, quasi divortio soluto matrimonio : sed hodie etiam constante matrimonio, si maritus labatur facultatibus, mulieri datur repetitio dotis, explosa ficti divortii simulatione ; *l. in rebus*, in fin. *C. de jur. dot.* Justiniano displicuit commentum ficti divortii, tanquam publicæ honestati contrarium ; & ut fieret inutile, dedit actionem de dote repetenda etiam constante matrimonio, si mariti res ita diruæ essent, ut doti consulendum esset. Ejusdem argumenti est, quod si quis dotem dando pro muliere, stipulatus sit sibi dotem reddi in casum mortis, & circumscribendi stipulatoris gratia paulo post fictum divortium secutum fuerit, conditio stipulationis extitisse videtur, quasi morte, non divortio solutum esset matrimonium; quia dolus prodesse non debet, & imaginarii nuntii, id est ficta divortia, quæ fiunt per nuntium, nullius sunt momenti ; *l. 3. C. de repud.*

Post divortium redintegrato matrimonio, dos tacite redintegratur ; *l. dotem, l. divus Severus, ff. de jur. dot. l. si mulier, solut. matrim.* etiamsi posterius matrimonium medium intervenerit ; *l. pen. §. uxor, eod.* nisi extraneus, qui dotem dedit, stipulatus sit sibi dotem reddi, morte vel divortio soluto matrimonio ; *l. in insulam, §. ult. eod. l. cum maritus, §. pen. de pact. dotalib.*

Si mulier nupserit nulla dote data, vel promissa, tacite fingitur omnia bona in dotem dedisse ; *gloss. in l. mulier bona, ff. de jur. dot.* quia non creditur mulier indotata esse velle ; *d. l. dotem*, ubi matrimonium fiebat per coemptionem, id est per imaginariam venditionem, seu in manum conventionem, omnia bona mulieris ipso jure in dote erant, quasi ex tacita conventione ; M. Tull. in topicis : *Cum mulier viro in manum convenit, omnia, quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine.* Per coemptionem facto matrimonio, vir & uxor sibi invicem succedebant, quasi se & sua invicem venditassent ; Serv. in illum

Source : BIU Cujas

locum 1. georg. *Teque ſibi generum Thetys emat omnibus undis. Coemptione vero, atque in manum conventione uxor in filiæ locum, maritus in patris veniebat; ut ſi quis prior fuiſſet defunctus, locum hereditatis juſtum alteri faceret.* Et idem in illud 7. Æneid. *Externuſque in regnum quæritur heres. Per coemptionem facto matrimonio, maritus & uxor ſibi invicem ſuccedebant*: cujus juris veſtigia elucent in *d. l. mulier*, & *l.* 1. §. 1. *pro dot.*

CAPUT XII.

De tacita ſtipulatione duplæ, vel doli. De evictione.

IN venditione, legis commento tacita ſtipulatio duplæ, vel doli ineſſe intelligitur, licet nulla intervenerit.

Puta, ſi ſervus, aut res aliqua pretioſa venierit, etiam ſi ſtipulatio duplæ interpoſita non ſit, re evicta venditor tenetur actione ex ſtipulatu de dupla: quia aſſidua, id eſt perpetua & ſolemnis eſt duplæ ſtipulatio, & ea quæ ſunt moris, & conſuetudinis tacite veniunt in bonæ fidei judiciis; *l. quod ſi nolit*, §. *quia aſſidua*, *ff. de ædil. edict. l.* 2. *l. emptori*, *ff. de evict. l. ult. C. de fidejuſſ.*

Venditor in re vendita dolum præſtat, etiam ſi dictum non ſit; quia venditioni, quæ eſt bonæ fidei contractus, ineſt tacita ſtipulatio dolum malum abeſſe, abfuturumque; *l. ſi cum fundum*, §. *fere*, *ff. de contrah. empt. l. ex empto*, §. *ſententiam*, *de act. empt.* immo & ſi venditor ſciens fundum obligatum, aut alienum vendiderit; & adjectum ſit, ne eo nomine quid præſtaret: nihilominus tenetur de dolo, quem ſemper abeſſe oportet in actione empti, quæ eſt bonæ fidei; *l. tenetur*, §. *ult. l. Julianus*, §. *idem Julianus*, *eod.*

Venditor etiam tenetur de evictione actione ex empto in id quod intereſt, etſi nihil dictum ſit; quia actio de evictione eſt ex natura contractus; *l. in vendendo*, *ff. de contrah. empt. l. ſi in venditione*, *de evict.*

In contrahendo, quod tacite agitur pro cauto habetur, ac ſi expreſſum eſſet: v. g. ſi triticum mutuum datum ſit, etſi minime cautum ſit ut æque bonum, ſeu ejuſdem bonitatis redderetur, non licet debitori deterius reddere; quia hoc tacite inter contrahentes actum videtur, licet non ſit expreſſum; *l.* 3. *ff. de reb. credit. l. triticum*, *de V. O.*

Et ſi quis ſtipuletur ſibi aut Titio dari, tacite ineſſe hæc conventio ſtipulationi videtur, ſi in eodem ſtatu maneat; *l. cum quis*, *ff. de ſolut.* Pactum in ſe habet tacitam conditionem, ſi res in eodem ſtatu maneat; *l. ult. ff. qui ſatiſd. cog. l. ult. ad municipal.*

CAPUT XIII.

Poſſeſſio fictionem aliquando recipit. Quidam fictione legis pro poſſeſſoribus habentur.

REGULARITER poſſeſſio, quia eſt facti non juris, non admittit fictionem. Qua de cauſa poſſeſſio captivitate interrupta, poſtliminii fictione non reſtituitur, ut quis uſucepiſſe videatur, niſi de novo apprehendatur; *l. denique*, *ff. ex quib. cauſ. maj. l. ſi is qui pro emptore*, *de uſucap. l. in bello*, §. 2. *de capt. & poſtlim. reverſ.* Tamen utilitatis cauſa obtinuit fictionis naturam inflecti, ita ut fictiones recipiat, quaſi magis juris ſit quam facti: ut cum poſſeſſio acquiritur

situr per actus civiles, & fictitios, veluti per retentionem usufructus ; *l. quisquis*, *C. de donat.* & per alios traditionis modos, de quibus satis diligenter a nobis actum est alio loco. Vel cum possessio defuncti prodest heredi, possessio venditoris prodest emptori ad implendam usucapionem ; *l. id tempus*, *l. possessio*, *ff. de usucap. l. pen. de div. & temp. præscript.* quia possessio defuncti, vel venditoris quasi juncta descendit ad heredem, vel emptorem ; *l. cum miles*, *ex quib. caus. major.* Mala autem fides venditoris non nocet, nec prodest bonæ fidei emptori in usucapione ; *l. quam rem*, *ff. de usucap. l. qui fundum*, §. *procurator*, *pro empt.* quia non ab auctore, sed a lege usucapio proficiscitur ; M. Tull. pro Cæcinn. *Usucapio non a patre relinquitur, sed a legibus*, & vitium possessionis testatoris, vel venditoris non maculat possessionem heredis vel emptoris ; quia nulla est societas maleficiorum ; *l.* 1. §. *plane*, *de tutel. & rat. distrah.*

Vindicatio, seu actio in rem universalis, vel particularis non datur adversus alium, quam possessorem, vel eum qui fictione legis pro possessore habetur: veluti, qui dolo desiit possidere, vel se liti obtulit tanquam possessor, cum non possideret ; *l. is qui se obtulit*, *l. sin autem*, §. *sed & is qui*, *l. qui petitorio*, *l. qui restituere*, *ff. de rei vindic. l. regulariter*, *l. nec ullam*, *l. sed etsi lege*, §. *item si rem*, *l. qui se liti*, *de petit. hered.* qui dolo desiit possidere pro possessore habetur ; *l. qui dolo*, *l. parem*, *l. ad ea*, *de R. J. l. si fundus*, §. *in vindicatione*, *de pignor.* dolus pro possessione est.

Licet actio in rem non detur nisi domino ; *l. in rem*, *ff. de rei vindic. l. doce ancillam*, *C. eod.* tamen Publiciana, quæ est utilis actio in rem, datur ei qui usucapere cœpit, nondum usucepit, quasi usuceperit ; §. *namque*, *inst. de act. l.* 1. *& tot. tit. ff. de Publician.*

Qui rem alienam a non domino mortis causa, donatam & traditam usucepit, non ab eo usucepisse videtur, cujus res fuit, sed ab eo qui occasionem usucapieudi præstitit ; *l. qui alienam*, *ff. de mort. caus. donat.* res non videtur usucapi a domino rei, sed ab eo, qui tradidit ; quia usucapiendi occasionem præbuit : ut, qui occasionem damni præstat, damnum fecisse videtur ; *l. qui occidit*, §. *pen. ff. ad leg. Aquil.* occidisse dicitur vulgo, qui mortis causam quolibet modo præbuit ; *l. ita vulneratus*, in pr. *ff. eod.*

CAPUT XIV.

Intestati hereditas, non tam a lege, quam a testatore, tacite relinquitur. Substitutio directa in codicilis facta, fictione legis trahitur ad fideicomissum. Legata ab herede relicta, debentur a substituto, quasi tacite repetita. Idem in fideicommissis a coherede relictis. Fictione legis hereditas a fisco adita habetur, ut statim restitutio fiat.

Fideicommissum relinqui potest a succedentibus ab intestato, quoniam videtur paterfam. intestatus sponte sua his relinquere hereditatem, qui ab intestato successuri sunt ; *l. si quis*, in pr. *l. conficiuntur*, §. 1. *ff. de iur. codicill. l.* 1. §. *sciendum*, *de leg.* 3. Qui potuit testari, & noluit, tacite testari fingitur in gratiam proximorum ab intestato. Hereditas, quæ defertur ab intestato, non tam a lege, quam a patre tacite relinquitur ; a patre datum videtur quod non adimitur ; *d. l.* 1. §. *sciendum*, quia patris voto dari creditur, quippe votum naturale patris est, ut suos heredes habeat ; *l.* * 3. *& 4. ff. de inoffic. testam.* Unde & mater abstinens a secundis nuptiis, nisi specialiter concedat alicui portionem virilem, quam proprietatis jure consequitur ex priori

Source : BIU Cujas

matrimonio, pro præmio viduitatis & continentiæ, tacite videtur eam relinquere liberis prioris matrimonii; *auth. nunc autem, C. de secund. nupt.*

Substitutio directa codicillis facta, legis intellectu obliquatur, & trahitur ad fideicommissum; *l. Scævola, ff. ad Trebell.* Et hoc fictione juris, quia heres ab intestato, tacite rogatus intelligitur restituere hereditatem heredi scripto: idem est si testamento minus solemni adjecta sit clausa codicillaris, cujus effectus est, ut quisquis ab intestato successurus est, rogatus videatur hereditatem restituere heredi scripto; *l. ab intestato, ff. de iur. codicill. l. Titia, de inoffic. testam. l. † ex ea scriptura, §. 1. ff. qui testam. fac. l. Lucius, §. ult. de legat. 2. l. generaliter, §. ex testamento, de fideicommiss. libertat. l. ex testamento, C. de fideicommiss.*

Ex constitut. Severi & Antonini, legata relicta ab herede debentur a substituto, quasi tacite repetita; *l. si cui 52. §. 1. l. licet Imperator, l. si fundum, §. si paterf. l. servo alieno, §. † sed si pater, ff. de legat. 1. l. si Titio 61. §. Julianus, de legat. 2.* quia substitutus est secundus heres, *l. 1. ff. de vulgar. & pupillar.* Fideicommissarius est quasi heres, vel heredis loco; *§. restituta, inst. de fideicommiss. hered.*

Fideicommissum ab herede ex parte scripto relictum, censetur tacite repetitum a coherede, cui pars repudiantis adcrescit; *l. 4. C. ad Trebell.*

Mutato testamento ex falsa causa, puta ob falsum rumorem de morte ejus, qui heres scriptus erat priori testamento, primus hereditatem consequitur ex voluntate defuncti; sed præstat legata relicta posteriore testamento, perinde ac si posterioribus tabulis scriptus esset; *l. ult. ff. de hered. inst.* Testamentum prius non mutatur posteriore; quia obstat voluntas defuncti, qui mutavit testamentum, falso nuntio vel rumore deceptus: sed legata relicta posteriore testamento, debentur per heredem scriptum primo testamento: quia lex finxit eum scriptum esse posterioribus tabulis, ita ut præstet legata quasi a se relicta.

Si heres rogatus restituere hereditatem morte præventus non restituerit, actiones ipso jure transferuntur in fideicommissarium sine prævia restitutione; quia tunc hereditas a lege restituitur, vel pro restituta habetur; *l. sancimus, §. ult. C. ad Trebell.* quod & Pontifices probant; *cap. in præsentia, de probat.*

Fiscus non est cogendus agnoscere, seu adire vacantem hereditatem sibi delatam, & fideicommissario restituere, sed quasi vindicaverit eam restituit; *l. recusare, §. si fisco, ff. ad Trebell.* ut solutio æris alieni inducit aditionem hereditatis; quia solvens æs alienum hereditarium, intelligitur solvere quasi heres; *l. 2. C. de iur. delib. l. parentibus, C. de inoffic. testam. l. pro herede, ff. de adqu. hæred.* Fictione legis hereditas a fisco adita habetur, ut restitutio fiat statim.

CAPUT XV.

Fictione legis acceptilatio vim solutionis habet, sicut & confusio, novatio, præscriptio, remissio.

NATURALITER obligatio tollitur solutione, id est pecuniæ numeratione; civiliter acceptilatione, cum quis acceptum fert debitori quasi acceperit, quod re non accepit, quia acceptilatio fictione legis habet vim solutionis; *l. pen. ff. de solut. l. si accepto latum, de acceptilat.* Hoc interest inter acceptilationem & apocham, quod per acceptilationem omnimodo debitor liberatur, licet pecunia soluta non sit; apocha non aliter quam si pecunia soluta sit; *d. l. si accepto latum, §. ult.* adeoque licet acceptilatio inutilis sit, liberat debitorem; quia

Source : BIU Cujas

quia acceptilatio inutilis habet vim taciti pacti de non petendo; *l. si unus*, §. *pen. ff. de pact.*

Obligatio etiam solvitur confusione, velut fictitia solutione; puta si creditor debitori, vel contra debitor creditori heres extiterit; *d. l. pen. & l. Stichum*, §. *aditio*, *eod. tit.* Confusio pro solutione est, videtur enim heres adeundo hereditatem sibi solvere, vel solutum accipere.

Novatione quoque tollitur prior obligatio; *l.* 2. *C. de novat.* quia novatio habet vim solutionis.

Item obligatio extinguitur præscriptione, quasi solutione: qui præscribit, solventi similis est; qui tempore liberatus est, similis est ei, qui satisfecit; *l. si pupillus*, §. 1. *ff. de admin. tut.* Hinc heres institutus, & rogatus restituere hereditatem, in restitutione deducit omne æs alienum, quod ab eo solutum est, vel præscriptum; & pignus liberatur, non modo si solutum sit debitum, sed etsi tempore finitum sit; *l.* 6. *ff. quib. mod. pign. solv.*

Remissione etiam solvitur obligatio; *l.* † *etiam*, *C. ad Vell.* quia remissio habet vim solutionis: unde & heres rogatus, in restitutione fideicommissi deducit æs alienum, & legata quæ ultro remissa sunt a creditoribus vel legatariis; quia qui debitum remisit habet beneficii debitorem; *l. si pignore*, §. 1. *ff. de furt.* Restituta hereditate heres rogatus liberatur, & actiones transferuntur in † fideicommissarium; quia restitutio hereditatis quasi solutio spectatur; *l. non enim*, *ff. ad Trebell.*

Usucapio etiam pro alienatione habetur, alienare videtur qui patitur usucapi; *l. alienationis*, *ff. de V. S. l. si fundum*, *de fund. dotal.*

CAPUT XVI.

De coacta voluntate. Præsentia Principis supplet testes.

COACTUS maluisse videtur; coacta voluntas, voluntas est non libera, sed elicita: ut si quis patre cogente uxorem duxerit, quam ducturus non esset, si sui arbitrii esset; recte contrahitur matrimonium, quia maluisse videtur; *l. si patre cogente*, *ff. de rit. nupt.*

Pari figmento, si quis coactus adierit hereditatem, heres efficitur; quia quamvis si liberum esset nollet adire hereditatem, tamen coactus voluit, aut voluisse videtur: sed a prætore restituitur, ut abstineat; *l. si mulier*, §. *ult. ff. quod met. caus.* Sic & si abbas electus, electioni de se factæ coactus renunciet, renunciatio valet; *cap. cum inter R. de elect.* & qui non invitus, sed coactus baptizatur, baptismi sacramentum suscipit; *cap. majores*, §. *item quæritur*, *de baptismo*, quia coactus non vi & metu, sed auctoritate & suasione, inclinasse & assensisse videtur.

Testamentum factum coram Principe sine testibus valet; quia testamentum conditum medio, id est præsente Principe, toto jure teste factum intelligitur; *l. omnium C. de testam.* Præsentia Principis supplet defectum testium, quia sacrilegii instar est dubitare de fide Principis; *l. ult. C. de crim. sacril.* & confirmatio Principis supplet defectum solemnitatum propter auctoritatem principalem; *cap.* 1. *de transact.*

Source : BIU Cujas

CAPUT XVII.

Fictiones admittuntur etiam in judiciis.

NON modo in contractibus vel quasi contractibus, sed etiam in judiciis fictiones non displicent. Quod enim paribus sententiis reus absolvitur; *l. inter pares, ff. de re iudic.* liberatio contingit ex veteri superstitione hominum, qua creditum inter pares sententias suffragium Minervæ pro reo accedere: atque ita divisis sententiis, Orestem de matris cæde calculo Minervæ absolutum; M. Tull. pro Milone: *Itaque hoc, judices, non sine causa fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum humana, sed etiam Deæ sapientissimæ sententia liberatum.* Inter honores decretos Cæsari illud in primis fuit, ut omnibus in judiciis suffragium quasi Minervæ ferret; Dio lib. 51. καὶ ψῆφον παρὰ αὐτῷ, ἐν πᾶσι τοῖς δικαστηρίοις ὥσπερ Ἀθήνας φέρεσθαι.

Damnatorum imagines in crucem tolli commentitium fuit genus supplicii; Trebell. Pollio in xxx. Tyrann. *Novo injuriæ genere imago in crucem sublata, persultante vulgo, quasi patibulo ipse Celsus videretur affixus.*

Aliquando quis tenetur ex facto vel delicto alieno, quasi ipse fecerit; puta si plures servum percusserint, nec appareat cujus ictu perierit, omnes tenentur quasi occiderint; *l. item mela, §. sed si plures, ff. ad leg. Aquil.* quia plura facta intelliguntur; *l. si familia, ff. de juriſd.* id est, in dubio si non constet a quo servus letaliter vulneratus sit, a singulis occisus fingitur, & singuli tenentur quasi de occiso; ne crimen impunitum maneat, ac forte reus cædis impunis elabatur.

CAPUT XVIII.

De substitutione pupillari, & de iure accrescendi. Qui semel est heres, nunquam desinit esse heres.

FICTIONE juris substitutio pupillaris modo intelligitur esse testamentum patris, modo testamentum filii impuberis. Hinc, ubi pater substituit filio impuberi, mater non videtur queri de inofficioso testamento filii; quia non est testamentum filii, sed patris: filius ipse sibi testamentum non fecit, sed pater ei hoc fecit; *l. Papinianus, §. sed nec impuberis, ff. de inoffic. testam.* Nec frater queri potest de inofficioso testamento fratris, nisi patris inofficiosum dixerit; quia non est testamentum patris, sed filii, id est fratris; *d. l. Papinianus, §. sed nec impuberis.* Modo testamentum patris & filii impuberis unum est testamentum, licet duæ sint hereditates; *l. 2. §. prius autem, ff. de vulgar. & pupill.* id est, fictione legis testamentum patris & filii pro uno habetur; & si uno contextu fiat, quasi in uno & eodem septem testes sufficiunt; *l. patris & filii, ff. eod.*

Si duo vel plures sint coheredes instituti, portio deficientis, vel repudiantis tacite adcrescit coheredi etiam invito; *l. heredi, l. qui ex duabus, §. 1. ff. de adq. hered. l. un. §. his ita, C. de caduc. tollend.* nimirum tamquam substituto; quia jus adcrescendi inter coheredes est tacita quædam substitutio; *l. si Titio & Mævio, §. Julianus, de legat. 2.*

Licet

Source : BIU Cujas

Licet jus adcrescendi non habeat locum in portionibus agnitis, si suus heres post immixtionem se abstineat, portio quæ deficit per abstentionem adcrescit coheredi; *l. cum hereditate, l. si minor, ff. de adquir. hered. l. si pupillus, ad Trebell.* quia abstentionis effectus hic est, ut portio agnita pro non agnita habeatur; & qui abstinuit eo loco habetur, ac si heres numquam fuisset.

Qui semel heres extitit, licet postea repudiet hereditatem, vel abstineat se, non desinit heres esse; id est semper fingitur heres esse, & jure civili tenetur creditoribus hereditariis: sed a prætore desinit pro herede haberi, si abstineat se, vel minor adversus aditionem hereditatis restituatur: vel cum hereditas ex Trebelliano in fideicommissarium transfertur; ita ut non magis in eum detur actio, quam si heres non esset; *l. ait prætor, §. sed quod Papinianus, ff. de minorib. l. ei, qui solvendo, de hered. instit. l. cum quasi, §. sed & si suus, de fideic. libertat. l. necessariis, de adqu. hered. l. si filius, de interr. in jur. l. licet, §. is cui, de procur. §. restituta, instit. de fideic. hered.*

Source : BIU Cujas

DE FICTIONIBUS JURIS

TRACTATUS QUARTUS.

CAPUT I.

Fictione legis aliquando tempus posterius retro trahitur ad antecedens, ut in donatione patris, matris, & uxoris: & in ratihabitione.



Ictio a lege admittitur & in tempore, cum tempus posterius legis figmento ad antecedens retro trahitur.

Exempli gratia, donatio, quam pater confert in filium in potestate positum, vel uxor in maritum, aut maritus in uxorem, quæ ab initio nulla est, morte & silentio donatoris confirmatur, & retro trahitur ad tempus donationis, & retro fingitur valuisse ab initio; *l. donationes* 25. *C. de donat. inter vir. & uxor. l. donationes* 31. §. *pater qui filiæ, ff. de donat. l. si mortis* 40. *de mort. caus. donat.* Et tunc donatio retro trahitur quoad fructus, & quoad dominium; *l. de fructibus, l. si uxor filio, ff. de donat. inter vir. & uxor. gloss. in l.* 2. *C. de inoff. donat. in verb. familiæ erciscundæ.*

Et si filiusfam. mutuam pecuniam acceperit sine jussu & mandato patris, & postea mutuum ratum habuerit; pater tenetur quod jussu, quia ratihabitio retro trahitur, & mandato comparatur; *l. si filiusf.* 7. *C. ad Maced. & d. l. donationes.*

Ratihabitio retro trahitur non modo in contractibus, sed etiam in distractibus, & in judiciis, & maleficiis. In distractibus, puta, si falso procuratori solutum sit, & dominus ratum habeat quod solutum est, debitor liberatur; quia

Source : BIU Cujas

quia ratihabitio retro trahitur, & mandato comparatur; *l. vero procuratori*, §. *ult. ff. de solut.* In judiciis, ut si quis cum procurator non esset, quasi procurator absentis litem contestatus sit, ac deinde dominus contestationem litis ratam habuerit; videtur res in judicium retro recte deducta; *l. licet, ff. de judic.* In maleficiis, si quod alius vi dejecit, quis ratum habeat dejecisse videtur: quia in maleficiis ratihabitio retro trahitur, & mandato comparatur; *l.* 1. §. *sed & si quod alius, ff. de vi & vi armat. l. hoc iure*, §. *in maleficio, de R. J.* Et restituta hereditate ante diem, vel conditionis eventum, non transferuntur actiones in fideicommissarium: sed si postquam dies vel conditio extiterit, qui restituit ratam habeat restitutionem hereditatis; tunc restitutio retro trahitur, & translatæ videntur actiones ab eo tempore, quo hereditas restituta est; *l. sed & si ante, ff. ad Trebell.*

CAPUT II.

Aditio hereditatis retro trahitur ad tempus mortis: agnitio & repudiatio legati: jus accrescendi.

HÆRES quandocumque adierit hereditatem, videtur heres extitisse a tempore mortis defuncti, & aditio hereditatis retro trahitur ad tempus mortis; *l. heres* 54. *ff. de adqu. hered. l. omnis hereditas, l. omnia, de R. J.* Hujus regulæ varii effectus. Primus, quod servus hereditarius ante aditam hereditatem recte stipulatur heredi futuro; quia qui postea heres extiterit, videtur fuisse heres a tempore mortis defuncti, quandocunque adeat hereditatem; & consequenter fuisse dominus stipulationis tempore; *l. si ex re*, §. *ult. ff. de stipulat. serv.* Secundus est, quod heredis familia a mortis tempore funesta facta intelligitur, licet post tempus heres extiterit; *d. l. si ex re.* Tertius effectus est, quod filio exheredato occiso, & post mortem destituto testamento, id est repudiata hereditate ab herede scripto; de familia quæstio habetur, quasi domino occiso; *l. si exheredatus, ff. ad SC. Silan.* Quartus, quod usucapio cœpta a defuncto potest ante aditam hereditatem impleri; & medium tempus, quod intercessit ante aditam hereditatem, prodest heredi ad implendam usucapionem; *l. numquam*, §. *pen. l.* † *cœptam, l. justo*, §. *nondum, ff. de usucap.* quia aditio hereditatis retro trahitur, & conjungitur morti defuncti.

Eodem schemate, agnitio legati retro trahitur ad tempus aditæ hereditatis quandocumque secuta fuerit; quia ubi legatarius non repudiavit legatum, retro, ipsius fuisse videtur, ex quo hereditas adita est; *l. servum filii*, §. 1. *de legat.* 1. *l. legatum* 80. *de legat.* 2. *l. Titio, & seq. ad leg. Aquil.*

Sicut agnitio, ita & repudiatio legati retro trahitur ad tempus aditæ hereditatis: puta, cum legatarius repudiavit legatum, videtur res legata retro fuisse heredis; *d. l. servum filii*, §. 1. Et si legatam pecuniam heres crediderit, & deinde legatarius repudiavit legatum, mutui datio valet; quia pecunia videtur fuisse heredis a tempore aditæ hereditatis; *l. proinde, ff. de reb. credit.* & si heres servum legatum manumiserit, mox repudiet legatarius, retro competit libertas; quia retro servus videtur fuisse heredis; *l.* 3. *de manumiss. vindict.*

Jus adcrescendi etiam retro trahitur: puta, si Titio & Seio Stichus conjunctim legatus sit, & cum Titius agnovisset legatum, Stichus occisus sit, ac deinde Seius repudiarit legatum; perinde soli Titio datur actio legis Aquiliæ, ac si soli legatus esset, quia retro adcrevisse dominium ei videtur; *l. si dominus*, §. 1. *l. Titio, & l. seq. ff. ad leg. Aquil.* Ubi enim conjunctim duobus res legatur, conjuncti solidum habent ab initio, concursu partes faciunt; *l. conjunctim, de legat.* 3.

Source : BIU Cujas

Alienatio vel pigneratio rei hereditariæ facta per fideicommissarium ante restitutam hereditatem, restituta postea hereditate convalescit; *l. filiam, ff. ad Trebell.* quia restitutio hereditatis retro trahitur, & retro fingitur facta ante obligationem, vel alienationem rei.

CAPUT III.

Conditio casualis existens retro trahitur ad tempus contractus, distractus, & testamenti.

CONDITIO casualis quandocunque existens, retro trahitur ad tempus stipulationis, vel contractus.

Puta, si primus creditor sub conditione pecuniam crediderit obligatis pignoribus, & pendente conditione secundus eidem pecuniam pure crediderit sub iisdem pignoribus: postea existente conditione prioris stipulationis, prior creditor in pignore præfertur secundo; quia perinde est ac si stipulatio ab initio pure facta fuisset; *l. potior, §. 1. ff. qui potior in pign.*

Si sub conditione res venierit, & pendente conditione emptor vel venditor decesserit, & extiterit conditio: heredes utriusque obligantur, quasi jam contracta emptione in præteritum; *l. necessario*, in pr. *ff. de peric. & commod. rei vendit.* Et cum fructus vel partus futuri emuntur; partu edito, vel fructibus natis, tunc venditio facta intelligitur, cum contractum esset negotium; *l. nec emptio, de contrah. empt.*

Si filiusfam. stipulatus sit sub conditione sibi dari, & conditio extiterit post emancipationem; ex stipulatu actio patri competit: quia stipulatio conditionalis existente conditione retro trahitur ad tempus contractus; *l. si filiusf. de V. O.*

Eadem fictio retroactionis locum habet non modo in contractibus, sed etiam in distractibus: puta, sub conditione debitori si accepto feratur, postea existente conditione intelligitur jam olim liberatus; *l. sub conditione, ff. de solut.*

Conditio existens retro trahitur etiam in testamentis: puta, si miles decesserit intra annum post missionem, valet ejus testamentum jure militari, etiam si post annum conditio institutionis extiterit; *l. quod dicitur, ff. de test. milit.* Et si prædium legatum sit sub conditione, existente conditione perinde debetur, ac si ab initio pure relictum fuisset; *l. si fundum, ff. de condit. & demonstrat.*

Secus, potestativa conditio non retro trahitur; quia stipulatio facta sub hujusmodi conditione pro pura habetur, cum in potestate fuerit eam implere; *l. qui balneum, §. 1. ff. qui potior in pign. l. jure civili, de condit. & demonstr. l. Mævia, de ann. legat.*

CAPUT IV.

Tempus retro trahitur etiam in sententiis judicum, in operis novi nunciatione, in cautione damni infecti, in actione legis Aquiliæ.

FICTIO retroactionis valet etiam in sententiis judicum, a quibus appellatum est, destituta appellatione: ex. gr. damnatus furti, vel aliis famosis judiciis, si provocet; pendente judicio appellationis non notatur infamia, nisi post appellationem lapsa sint tempora provocationis, id est deserta sit appellatio; quo casu retro infamis est, id est retro infamis fingitur; *l. furti, §. 1. ff. de his,*

Source : BIU Cujas

bis, qui not. infam. Sententia, a qua appellatum, lapsis temporibus prosequendæ appellationis in suo robore durat, & ad effectum perducitur, tamquam si ab initio non fuisset provocatum; *l. ult. §. illud, C. de temp. & repar. appellat.* Quod si damnatus furti, vel aliis famosis judiciis provocaverit, & injusta appellatio visa sit, hodie, non retro notatur; *d. l. furti*, quia in criminalibus appellatio extinguit judicatum; *l. 1. §. ult. ff. ad Turpill.* Unde si reus damnatus pendente judicio appellationis decedat, crimen morte extinguitur, id est quæstio criminis; *l. 3. C. si pend. appell. l. ult. C. si reus vel accus. l. in ratione 11. §. cum quidam, ff. ad l. Falcid.* & sententia appellationis non retro trahitur ad tempus prioris sententiæ: condemnatio, vel absolutio ex præsenti tempore vires accipit, id est a confirmante, non a confirmata.

In civilibus longe secus: si judex appellationis confirmet sententiam prioris judicis, sententia appellationis retro trahitur ad priorem sententiam; quia in his appellatio non extinguit, sed suspendit judicatum; *l. si causa cognita, C. de transact. cap. ut debitus, de appellat.* & executio judicati non spectat ad judicem appellationis, id est ad judicem sententiæ confirmantis, sed ad judicem confirmatæ; *gloss. in l. eos, C. de appellat.* Si ab excommunicationis sententia appellatum sit, appellatio non suspendit executionem sententiæ: quia excommunicatio secum trahit executionem; *cap. pastoralis, §. verum, de appellat.*

Aliquando etiam nuntiatio novi operis retro trahitur, si impeditus nuntiare novum opus, interim testetur se non posse nuntiare. Effectus hujusmodi testationis est, quod si nuntiavit postea, quod retro ædificatum erit destruendum erit, quasi repetito die nuntiatione facta; *l. 5. §. si quis ipsi, ff. de nov. oper. nunc.*

Eadem fictio recepta est in cautione damni infecti: cautio de damno infecto postquam adversarius missus est in possessionem, ob non præstitam cautionem redigitur, seu retro trahitur ad tempus, quo damni infecti primum caveri oportuit, quasi repetita die; *l. si finita, §. item videamus, ff. de damn. infect.*

In actione legis Aquiliæ retro occisus fingitur, qui hodie moritur: puta, si servus letali vulnere percussus, postea ex vulnere perierit, quasi de occiso datur actio legis Aquiliæ; quia verum est eum a te occisum tunc cum vulneratus est; *l. huic scripturæ, §. si servus, ff. ad l. Aquil.*

CAPUT V.

Conditio pro impleta habetur, si per eum, cujus interest non impleri, stet quominus impleatur, aut per eum, in cujus persona implenda est: sicut & ea, quæ omnino extitura est.

CONDITIO pro impleta habetur, tam in contractibus, quam in ultimis voluntatibus, si per eum, cujus interest non impleri stet quominus impleatur; *l. in jure civili, de R. J. l. jure civili, l. Julius Paulus*, in fin. *ff. de condit. & demonstr. l. cum quidam, C. de condit. insert.* Si quis promiserit centum dari sub conditione, si per debitorem stet quominus conditio impleatur, tenetur perinde ac si impleta esset; *d. l. jure civili*, & aliis, *l. in executione, §. ult. de V. O.* Si Titio decem annua legata sint quoad viveret, sub conditione si negotia nepotis testatoris gereret, & per eum non stet quominus negotia illius gerat, legatum debetur, quia conditio pro impleta habetur; *l. Mævia*, in pr. *de ann. legat. l. Gaio, §. Imperator, de alim. legat.* Similiter, si Seiæ centum legata sint sub conditione, si Titio nupserit; legatum debetur, si per eam non stet quominus illi nubat; *l. in testamento, ff. de condit. & demonstr.*

Source : BIU Cujas

l. 1. C. *de inſtit. & ſubſtit. cap. ſicut ex literis, de ſponſalib.* ut, & ſi annua legentur uxori ſub conditione, ſi cum filio habitet, legatum debetur, ſi per eam non ſtet; *l. ſi quis ita, de condit. & demonſtr.*

Conditio quoque pro impleta habetur, ſi per eum ſtet quominus impleatur, in cujus perſona implenda eſt. Puta, ſi heres inſtitutus ſub conditione, ſi decem dederit, paratus ſit numerare, & is cui debetur nolit accipere; *l.* 3. *ff. de condit. inſtit. l. Titius, l. Julianus, de condit. & demonſtr.*

Conditio, quæ omnino exitura eſt, pro impleta habetur: hinc, quod debetur ſub conditione, quæ omnino extitura eſt, ſolutum non poteſt condici quaſi indebitum; *l. quod ſi ea conditione, ff. de condict. indeb.* & qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omnino extitura eſt, pure videtur ſtipulari; *l. ſi pupillus,* §. 1. *ff. de novat.*

CAPUT VI.

De fictione legis Corneliæ.

LEGE Cornelia, is qui moritur apud hoſtes, fingitur deceſſiſſe primo captivitatis momento. Hinc, fictione legis Corneliæ teſtamenta eorum, qui in hoſtium poteſtate deceſſerunt, & quæ ante captivitatem facta erant, confirmantur ac ſi in civitate cecidiſſent, nec in hoſtium poteſtate unquam fuiſſent; *l. lege Cornelia, ff. qui teſt. fac. l. ſi filiusf.* 39. *de teſtam. milit.* Idque hoc colore, ſeu potius fictione, quod qui apud hoſtes moriuntur, finguntur deceſſiſſe primo captivitatis momento; *l. in omnibus, de captiv. & poſtlim. reverſ.* Lex Cornelia confirmat non tantum principale teſtamentum eorum, qui apud hoſtes moriuntur; ſed etiam teſtamentum pupillare, ſi filiis impuberibus fecerint ſubſtitutionem pupillarem; *l. lex Cornelia, ff. de vulgar. & pupill. l. pater, l. quod ſi filius, de captiv. & poſtlim. reverſ.* Et lex Falcidia locum habet in teſtamentis eorum, qui apud hoſtes decedunt; fictione ſc. legis Corneliæ, quæ eorum, qui apud hoſtes moriuntur, teſtamenta ante captivitatem facta confirmat ac ſi in civitate deceſſiſſent; *l.* 1. §. 1. *l. filiusf.* in pr. *ff. ad l. Falcid.* Poteſt fictio legis Corneliæ plenius accipi; *l. ſi is, qui pro emptore, ff. de uſucap.* ubi ſi ſervus ejus, qui in hoſtium poteſtate eſſet, rem alienam emerit a non domino, & is apud hoſtes deceſſerit, uſucapio a defuncto per ſervum cœpta prodeſt heredibus; quia poſſeſſio & uſucapio per ſervum videtur quæſita hereditati, quæ vice perſonæ defuncti fungitur.

CAPUT VII.

De tempore, quod tacite ineſt obligationibus.

OBLIGATIONI puræ tacite ineſt tempus ex adjectione loci, quo pecuniam ſolvi oportet: puta, ſi ſine die ſtipuler Epheſi centum dari, ex ſtipulatu agi non poteſt ante diem, quo Epheſum perveniri poſſit; quia dies tacite huic ſtipulationi ineſt; *l.* 2. §. *qui ita ſtipulatur, ff. de eo, quod certo loc. l. ſi peculium,* §. *ſi ita quis, de ſtatulib.*

Ubi dies non eſt adjectus obligationi, præſenti die pecunia debetur; *l. in omnibus* 14. *de R. J. l. eum, qui kalendis,* §. *quotiens, de V. O.* M. Tull. 1. Tuſculan. *Natura dedit uſuram vitæ tamquam pecuniæ, nulla præſtituta die: quid*

Source : BIU Cujas

quid est igitur quod querare, si repetit cum vult, ea enim conditione acceperas. Et Senec. 3. controv. 5. *Quotiens tempus non adjicitur, præsens intelligitur.* Ubi, inquam, dies non est adjectus, præsenti die pecunia debetur, nisi locus adjectus spatium temporis imponat; *d. l. eum, qui kalendis.* Stipulatio pura diem tacite accipit ex re, tempore, loco; *l. interdum, l. continuus, §. cum ita, eod. tit.* Si stipuler decem hodie dari, eo ipso die agi potest; quia dies non morandæ actionis causa adjectus videtur, sed quo præsens ostendatur; *l. liber homo, eod.* Et quod dicimus heredem fidejussori testatoris, quod ab eo ante aditam hereditatem solutum est debere statim solvere: cum aliquo temperamento, scilicet temporis intelligendum est, ne cogatur hereditatem adire cum sacco, id est cum pecunia expedita ad manum; *l. quod dicimus, de solut.* Et quod incontinenti solvi dicitur, accipiendum est civiliter cum aliquo spatio temporis; *l. 1. §. item si, ad l. Falcid.* Eodem jure, si quis sine die constituat se soluturum; datur modicum tempus non minus decem dierum, ut exactio celebretur; *l. promissor, de constit. pecun.* & præstationi operarum inest tacite tempus; quia operæ per singulos dies præstantur; *d. l. si peculium, §. quædam.*

Non habetur ratio modici temporis, in jure modicum tempus pro nullo fere habetur; ideoque divortio facto, si brevi revertatur mulier, nec divertisse videtur; *l. quidquid, de R. J.* & brevi reconciliato matrimonio, dos ejusdem matrimonii manet; & hoc non divortium, sed jurgium vel fribusculum vocatur; *l. quod si non, de jur. dot. l. cum hic status, §. quod si divortium, de donat. inter vir. & uxor.* & donatio interim facta non valet, sed morte confirmatur, ut donatio inter virum & uxorem; *d. l. cum hic status.* Inde & mora facile purgatur intra modicum tempus; quia non intelligitur damnum esse in mora modici temporis; *l. si ita quis, §. Seia, de V. O. cap. ult. de locat.* Hinc qui sexagesimo primo die venerit, intra duos menses adfuisse intelligitur; *l. ubi lex, de R. J.*

CAPUT VIII.

Obligatio fidejussoris retro trahitur ad principalem obligationem. Non absque fictione est, ut fiscus & mulier prioribus creditoribus præferantur. Inter collegatariis non est prælationi locus.

FIDEJUSSOR accedere potest, tam futuræ, quam præcedenti, id est jam contractæ obligationi; *l. 4. & 6. §. ult. ff. de fidejuss. l. non quemadmodum, de judic. l. eo tempore*, in pr. *vers. sed fidejussorem, de pecul. l. 5. §. † item fidejussori, de instit. act.* Ubi obligatio fidejussoria accedit futuræ obligationi, interim est in pendenti; & ubi principalis obligatio contracta fidejussoria legis potestate rejicitur ad tempus principalis obligationis; *d. l. non quemadmodum*: e contra, ubi obligatio fidejussoris accedit jam contractæ obligationi, retro trahitur ad tempus principalis obligationis.

Obligatio fidejussoris rejicitur, vel retro trahitur ad obligationem principalem; quia est sequela & accessio principalis obligationis, sicut pignus & hypotheca; *l. 3. ff. de fidejuss. l. in omnibus, l. si duo, §. † sed & si reus, de solut. l. si servum, §. nunc videamus*, vers. *accessiones, de V. O.*

Fiscus & mulier præferuntur prioribus creditoribus; fiscus scilicet præfertur prioribus creditoribus generalem hypothecam habentibus; *l. si pignus, l. ult. ff. qui potior. in pign. l. 4. C. eod.* Mulier præfertur prioribus creditoribus etiam specialem hypothecam habentibus; *l. assiduis, C. eod.* & hoc non absque fictione; dos enim & fiscus, licet tempore posteriores, legis intellectu sunt priores.

Source : BIU Cujas

Hypotheca dotis pari commento afficit tam bona donata, quam retenta, licet dos & donatio iisdem tabulis contineatur; quia dos legis intellectu est prior donatione: in conjunctis non spectatur ordo scripturæ, sed voluntatis; *l. quidam, de pecul. legat. l. nec enim, de solut.*

Inter collegatarios non est locus prælationi, etiam si uni testamento, alteri codicillis relictum sit; quia non ordo scripturæ, sed voluntatis spectatur; *l. cum pater, §. † fidei tuæ, de legat.* 2. In testamento voluntas totum facit; *l. si mihi* 12. in fin. *de legat.* 1. Inter legatarios nullum ordinem observamus, sed simul omnes æqualiter tuemur; *l.* 5. §. *qui prior, ff. ut in possess. legat.*

CAPUT IX.

Missio unius creditoris in possessionem bonorum debitoris, prodest ceteris creditoribus, quasi omnes missi fuerint. Sicut dominus in eo, quod ei debetur a servo, præfertur omnibus servi creditoribus, quasi eos omnes prævenerit: ita & fiscus ceteris creditoribus præfertur, quasi pignoris causam prævenerit.

SI unus ex creditoribus, alio quoquam nondum misso in possessionem bonorum debitoris rei servandæ causa, creditum suum exegerit; non tenetur edicto fraudatorio, quia sibi vigilavit: quod si uno e creditoribus misso in possessionem bonorum debitoris, debitum suum exegerit, tenetur hoc edicto, ut in portionem & tributum veniat cum ceteris creditoribus: quia uno e creditoribus semel misso in possessionem, jam par conditio omnium creditorum facta est; *l.* † 6. §. *sciendum, ff. quæ in fraud. cred.* Si unus ex creditoribus missus sit in possessionem bonorum debitoris, omnium nomine missus intelligitur, & missio in possessionem unius prodest ceteris creditoribus; *l. cum unus, de rebus auct. judic. poss.* Nam is, qui possidet, non sibi, sed omnibus possidet, id est possidere fingitur; *l.* 5. §. *si plures, ut in poss. legat.*

Inter chirographarios creditores non spectatur privilegium temporis, sed causæ debendi; *l. privilegia, ff. de privil. cred. l.* 7. §. *ult. depositi.* Sed & privilegium præventionis, id est quis prior egerit, sibique vigilarit. Sed in concursu creditorum peculiarium, dominus in eo quod sibi debetur a servo præfertur ceteris creditoribus, quia præveniisse intelligitur; *l. sed si* 9. §. *peculium, ff. de pecul.* Fiscus pariter præfertur ceteris creditoribus; prævenit enim causam pignoris fiscus, id est prævenisse fingitur; *l.* † *si qui mihi, de jure fisc.*

CAPUT X.

Jus suitatis est mere fictitium. Hereditas non adita non transmittitur ad heredem. Agnitio fideicommissi conditionalis cum ipsa conditione retrotrahitur.

REGULA juris est, hereditas non adita non transmittitur ad heredem; *l. quoniam sororem, C. de jur. delib. l. un.* §. *in novissimo, C. de caduc. toll.* præterquam ad descendentes; *l. un. C. de his, qui ante apertas tab.* quia jure suitatis, quod mere fictitium est, sui heredes ipso jure heredes existunt sine ulla aditione, & vivo patre domini esse finguntur; *l. in suis, de liber. & posth. l. in suis, de suis & legitim. l. apud hostes, C. eod.* hereditas jure suitatis retro fingitur agnita, & quasi agnita transmittitur ad heredem: ideoque filius pro herede usucapere non potest rem donatam a patre; quia naturalis possessio

penes

Source : BIU Cujas

penes eum fuit vivo patre; *l.* 2. §. *filium*, *ff. pro herede*, id est retro fuisse fingitur.

Æque de jure fideicommissum conditionale ante diem fideicommissi cedentem non transmittitur ad heredem; *d. l. un.* §. *sin autem*, *de caduc. toll. l. intercidit*, *ff. de condit. & demonstr. l. Statius Florus*, §. *Cornelio Felici*, *de jure fisc.* etiam si sit ex descendentibus; *l. heredes mei*, §. *cum ita*, *ad Trebell.* quia substitutio nondum delata in bonis non est; *l. substitutio*, *ff. de adquir. rer. dom.* tamen ex conjectura voluntatis testatoris fideicommissum conditionale transmittitur ad descendentes; *gloss. in d. l. un. de his*, *qui ante apert. tab. & in l. is cui*, *ff. de oblig. & act.* quia fictione legis conditio retro trahitur, & consequenter agnitio fideicommissi.

CAPUT XI.

Pacta in continenti bonæ fidei contractibus adjecta, tacite insunt contractui, ut illius partem faciant. Partus nondum editus, habetur quasi portio viscerum matris. In interdicto utrobi quænam sit major pars anni: quænam sit major pars diei. Actiones perpetuæ dicuntur, quæ 30. *annorum spatio præscribuntur.*

IN bonæ fidei contractibus pacta, quæ in continenti fiunt, id est nullo alieno actu interjecto, tacite insunt contractui, ita ut pariant actionem quasi ex ipso contractu: quæ vero ex intervallo fiunt, non insunt ut pariant actionem, sed exceptionem tantum; *l. juris gentium*, §. *quinimo*, *ff. de pact. l. in bonæ fidei*, *C. eod. l. pacta conventa*, *ff. de contrah. empt.* Pacta scilicet, quæ in continenti fiunt, finguntur pars ipsius contractus; sicut partus, qui nondum exiliit utero, est portio viscerum matris; *l.* 1. §. *ex hoc*, *ff. de ventr. inspic.*

Majore parte anni possedisse intelligitur, qui possedit duobus mensibus anni; *l. majore*, *ff. de V. S.* Et hoc pertinet ad interdictum utrubi, quod datur ad tuendam possessionem rerum mobilium; *l. un. ff. utrub.* §. *retinendæ*, *instit. de interdict.*

Cujusque diei major pars est, aut potius esse fingitur horarum primarum, non supremarum; *l.* 2. *ff. de V. S. l.* 3. *de oper. libert.* quia tempus matutinum est aptius ad operas & negotia. Inde Serv. in illum locum 9. Æneid. *Melior quoniam pars acta diei: id est major, & prima.*

Tempus actionis præscribitur a die scientiæ, ex quo scivit, & agere potuit; quia qui nescit videtur experiundi potestatem non habere; *l. annus*, *ff. de calumniat. l. cum scimus*, §. *ult. C. de agricol. & censit.*

Ætas legitima intelligitur illa tantum, quæ viginti quinque annis impletur, non quæ beneficio Principis suppletur; maxime in substitutionibus, vel restitutionibus, seu fideicommissis: puta, si quis rogatus sit hereditatem restituere cum legitimæ ætatis erit; *l. ult. C. de his*, *qui ven. ætat.* quia fictio non per omnia adæquatur veritati.

Actiones tam in rem, quam in personam, quæ durant triginta annis, jure civili perpetuæ finguntur; ut distinguantur ab actionibus temporalibus, quæ minori tempore finiuntur; *inst. de perpet. & temp. act.* in pr. *l. miles*, §. *ult. ff. de re judic.* Actiones, quæ non præscribuntur nisi xxx. annis, perpetuæ videntur comparatione actionum temporalium, quæ angustiori tempore circumscribuntur. Alias perpetuum dicitur quod datur ad tempus incertum; *l. sufficit*, *ff. de condict. indeb. l. jurisperitos*, *de excus. tut.* perpetuum est seu fingitur quod durat ad vitam; *l.* 1. *ff. pro soc.* quia tempus mortis incertum est.

Source : BIU Cujas

DE FICTIONIBUS JURIS

TRACTATUS QUINTUS.

CAPUT I.

De fictione poſtliminii.

FICTIONE poſtliminii captus ab hoſtibus pro eo habetur, ac ſi nunquam hoſtium potitus fuiſſet; id eſt fingitur ſemper in civitate fuiſſe reverſus ab hoſtibus; *l. in bello*, §. *cetera*, *l. retro creditur*, *ff. de captiv. & poſtl. reverſ. l. captum*, *C. eod.* † *de poſtlim. reverſ.* §. † *ſi ab hoſtibus*, *inſt. quibus mod. jus patr. poteſt. ſolv.* Adeoque natus apud hoſtes ex duobus captivis, parentibus reverſis, vel uno ex his, cum his poſtliminio rediiſſe intelligitur, ac liber natus fingitur; *l.* 1. *C. eod.* † *de poſtlim. reverſ.*

Hinc qui apud hoſtes eſt, recte heres inſtituitur; quia jure poſtliminii omnia jura civitatis in perſona ejus in ſuſpenſo retinentur, non abrumpuntur: itaque ſi reverſus fuerit ab hoſtibus, adire hereditatem poterit; *l. illa inſtitutio*, §. † *is qui apud hoſtes*, *ff. de hered. inſtit.*

Et abeſſe non videtur, qui ab hoſtibus captus eſt, propter ſpem poſtliminii; *l. abſentem*, §. 1. *de V. S.*

Fictio poſtliminii locum habet non modo in liberis perſonis, ſed & in ſervis, & aliis rebus: puta, ſervus, vel alia res, quæ apud hoſtes eſt, legari poteſt; & ſi ab hoſtibus recepta ſit, legatum valet jure poſtliminii; quia fingitur ſemper in civitate fuiſſe; *l. id quod*, *l. ſervus*, *de legat.* 1.

Eadem fictione, captus ab hoſtibus, ſi poſt mortem patris redierit ab hoſtibus,

Source : BIU Cujas

ſtibus, poſſeſſionem bonorum petere poteſt ; & confert ea quæ morte patris haberet, ſi in hoſtium poteſtate non fuiſſet ; *l.* 1. §. *qui ab hoſtibus, ff. de collat. bonorum*.

Capti ab hoſtibus per ſe uſucapere non poſſunt, quia ſunt ſervi hoſtium ; ſed bene per perſonas, quæ in eorum poteſtate ſunt : puta, per filium vel ſervum ex cauſa peculiari ; *l. penult. ff. de capt. & poſtl. reverſ. l. ait prætor*, §. *hi plane, ex quib. cauſ. major.* quia fictione poſtliminii finguntur ſemper in civitate fuiſſe.

In judicio familiæ erciſcundæ veniunt res quæ ſunt apud hoſtes, & præſtationes perſonales, id eſt impendia ab uno ex coheredibus facta in eam rem ; *l. item Labeo*, §. *ult. ff. fam. erciſc.*

Eodem jure, fictio legis Corneliæ captum ab hoſtibus, mortuo patre medio tempore, ſi in poteſtate patris fuiſſet tempore captivitatis, reverſum ab hoſtibus ſuum facit heredem ; *d. l. captum*.

Fictio poſtliminii locum habet in his, quæ ſunt juris, qualia ſunt dominium, civitas, libertas ; non in his, quæ ſunt facti, ut eſt poſſeſſio, quæ captivitate interrupta poſtliminio non reſtituitur, ſine nova prehenſione ; *l. denique, ff. ex quibus cauſ. major. l. ſi is, qui pro emptore, de uſucap. l. in bello*, §. *facti, de captiv. & poſtl. reverſ.*

CAPUT II.

Fictio poſtliminii locum habet non modo in perſonis & ſervis, ſed etiam in ceteris rebus animatis & inanimatis.

FICTIO poſtliminii locum habet non modo in liberis perſonis, ſed etiam in ſervis, ceteriſque rebus animatis vel inanimatis ; puta, equis, mulis, navibus, agris, vel locis captis ab hoſtibus ; *l. poſtliminium, l. ſi quid bello, l. ult.* & paſſim *ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.* M. Tull. in topic. *Poſtliminio redeunt hæc, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frœna recipere ſolet*. Proinde ſi ager occupatus ab hoſtibus, poſtea ab his receptus fuerit, fictione poſtliminii redit ad priorem dominum ; *l. ſi captivus*, §. 1. *ff. eod.* & ſi ager fructuarius ab hoſtibus occupatus, ſervuſve captus fuerit, deinde liberatus, fictione poſtliminii uſusfructus reſtituitur ; *l. ſi ager* 26. *ff. quib. mod. uſusfruct.* & locus ſacer vel religioſus captus ab hoſtibus deſinit eſſe ſacer vel religioſus : ſed ſi ab hac calamitate liberetur, fictione poſtliminii priſtino ſtatui reſtituitur ; *l. cum loca, ff. de religioſ.* quia poſtliminii fictio & poteſtas retinet omnia jura in ſuſpenſo ; quam ob cauſam id dicitur ſuſpenſi juris conſtitutio ; *l. pen. de ſuis & legit.* Et hujus juris effectus eſt, ut pendente captivitate civium Romanorum jura non tam abrumpantur, quam in ſuſpenſo retineantur ; *l. illa inſtitutio*, §. *is qui apud hoſtes, de hered. inſtit.* Et res captæ ab hoſtibus, cum ab iiſdem redeunt, ad idem limen poſtliminio videntur rediiſſe ; quæ eſt notatio nominis, quæ Scævolæ placuit ex ipſo Tullii loco laudato.

Source : BIU Cujas

CAPUT III.

Cum in pluribus locis sepultum est corpus, solus ille locus fit religiosus, in quo reconditum est caput.

CUM in diversis locis corpus sepultum est, uterque locus religiosus non fit; quia una sepultura plura sepulcra efficere non potest: sed ille solus locus fit religiosus, ubi principale conditum est, id est caput, cujus imago sit inde cognoscimur; *l. cum in diversis, ff. de religios.* Pars principalis pro toto habetur fictione legis, ut caput pro universo corpore; unde Principum capita colimus ac ipsos Principes; Ambrosius 6. hexamer. cap. 9. *Sola ære fusa Principum capita, & ducti vultus de ære vel marmore ab hominibus adorantur.*

CAPUT IV.

In præscriptione longi temporis quis intelligitur præsens, aut absens.

UBI præscriptio longi temporis currit decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, præsens esse videtur, qui est in eadem provincia, absens, qui est extra provinciam; *l. ult. C. de long. temp. præscript.*

Præsens fingitur qui est in eadem provincia, propter facilitatem conventionis: qua ratione & si necessaria satisdatio fuerit, idoneus fidejussor intelligitur, qui est in alia ejusdem provinciæ civitate; *l. si fidejussor*, §. 1. *ff. qui satisd. cogant.*

Præsens & esse videtur in fundo, qui per patrem vel fratrem fundum jure colonario colit, cum pars quodammodo ejus corporis per patrem, vel fratres in fundo remaneat; itaque si coloni filius XXX. vel XL. annos agro abfuerit, & in libertate moratus, patre vel fratribus interim agrum colentibus, & census annuos domino præstitantibus; mortuo patre, vel ob senium facto minus idoneo agro colendo, potest revocari, nec diutina absentia ei profuit ad præscribendam libertatem; cum pars quodammodo corporis per patrem, fratres, vel cognatos, in fundo remanserit, non videtur abfuisse, neque in libertate moratus; *l. cum scimus*, §. *ult. C. de agricol. & censit.*

Non dissimili figmento præsens habetur & qui in hortis est, vel in urbe & continentibus ædificiis; *l. 5. & 6. ff. de procurat.* quod ad hortos ratio est, quia horti plerumque sunt continentes ædibus, & quasi pars ædium: unde si sponsa in hortos deducta sit, domum sponsi deducta videtur; *l. pen.* §. 1. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* de continentibus ædificiis similis est ratio, quia urbis Romæ appellatione veniunt & continentia ædificia; *l.* † 2. *l. collegarum*, §. 1. *l. absentem, ff. de V. S.*

Abesse videtur & qui in jure non est; *l.* 4. §. † *prætor ait, vers. abesse, ff. de damn. infect.* quia eo loci non est ubi convenitur; *d. l. absentem.* Abesse etiam videtur qui præsens ignorat quid agatur: ut, cum tutoris auctoritas requiritur statim in ipso negotio inter præsentes, parum interest utrum tutor abfuerit cum negotium contraheretur, an præsens ignoraverit quidnam ageretur; *l. non multum, ff. de auctor. tut.* Absentis loco habetur & furiosus, qui corpore præsens mente abest; unde codicillos vel quid aliud facere non potest; *l. ubi non, de R. J. l.* † 2. §. *furiosus, de jure codicill.* & patre furioso quasi absen-

Source : BIU Cujas

absente, filiusfam. injuriarum agere potest; *l. sed si unius, §. filiof. de injur.* & furiosus non videtur latitare, ut locus sit edicto, ex quo creditores mittuntur in possessionem bonorum rei servandæ causa; quia non se occultat qui suus non est; *l. Fulcinius, §. adeo autem, ff. ex quib. caus. in poss.* Abesse non videtur qui ab hostibus captus est; *l. absentem, §. 1. de V. S.* propter spem postliminii, cujus fictione reversus ab hostibus fingitur semper in civitate fuisse: ita tamen si ea mente redierit, ut ad hostes non revertatur; nec enim satis est corpore domum quem rediisse, si mente alienus est; *l. nihil interest, de captiv. & postlim. revers.* Jure pontificio pro præsente habetur qui abest studiorum causa, vel est in obsequio Episcopi; *cap. tuæ fraternitatis, cap. ad audientiam, de cleric. non resident.* Et congruenter jure civili fundo legato cum his, quæ ibi erunt, si Stichus ex eo fundo ante mortem testatoris studiorum causa alio missus sit, legato continetur; quia non videtur abesse e fundo; *l. Seiæ, §. Pamphilæ, ff. de instr. † vel instrum. legat.*

CAPUT V.

Legato fundo, quæ ibi casu occurrunt, legata non intelliguntur.

LEGATO fundo cum his, quæ ibi erunt, quæ ad tempus ibi sunt non videntur legata: puta, pecuniæ, quæ ibi fœnerandi causa sunt depositæ; *l. si fundus, de legat. 3.* Et saltu æstivo legato cum his, quæ ibi erunt, non videtur legatum pecus, quod hyeme in hybernis, æstate in æstivis esse solet, sed quod perpetuo ibi est; *l. qui saltum, eod.* & legatis rebus, quæ in fundo sunt, legata non videntur quæ casu ibi fuerunt; *l. quæsitum, §. ult. eod.*

CAPUT VI.

Fictiones in verbis, & in locutione.

FICTIONES passim in jure occurrunt, non modo in personis, rebus, actu, tempore & loco, sed etiam in verbis & locutione: ex. gr. res per aversionem empta vel locata dicitur; *l. qui officii, §. ult. ff. de contrah. empt. l. 4. §. 1. & 2. de peric. & commod. rei vend. l. opus quod, ff. locat. l. 1. §. exercitorem, de exercit. act.* cum res universa uno pretio venditur vel locatur, non in singulas partes; contractu inito quasi facie aversa, id est supine & negligenter, dum emptor vel conductor fingit se contrahere non data opera, & quasi aliud agendo; seque obliquis oculis despicere, quæ rectis & curiosis oculis intuetur: sic & conniventibus oculis servus suis nummis redimi dicitur; *l. 4. §. 1. ff. de manumiss.* qui nummis peculiaribus vel adventitiis redemptus est, quasi sciente & connivente domino.

Eodem schemate ignis innocens dicitur, pro innoxio & custodito *in l. si quis domum, §. si colonis, ff. locat.* ubi conductor non præstat casum fortuiti incendii, etiam si lege locationis denuntiatum sit, ut ignem innocentem haberet: culpæ & reatus tribuitur igni si male custodiatur, ita ut evagetur, ædesque incendat: innocentia, si foco recte conseptus, ita ut innoxius præstetur.

Quod stellionatus crimen dicitur, quod per dolum & impostaram contrahitur, quod proprio nomine caret, veluti si quis rem alii obligatam vel distractam dissimulans alii vendiderit; *l. 3. ff. de stellionat.* nomen fictitium est du-

Source : BIU Cujas

ctum a ſtellione, quod eſt lacerti genus verſipelle, & variis ſtellulis diſtinctum; hominique valde infenſum; Plin. lib. 30. cap. 10. *Quoniam nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt, inde ſtellionum nomen ajunt in maledictum translatum.*

Quod etiam focarias & meretriculas clericorum, ſorores vel ſororias appellitari invenies in *l. eum, qui probabilem, C. de Epiſc. & Cleric.* merum figmentum eſt clericorum, dum honeſto nomine res turpis & erubeſcenda velatur, ne deſit color eas domi habendi. Et hæc de fictionibus exploraſſe ſufficiet: quæ deſunt ſtudioſus lector ſua diligentia & otio (quod opto) ſupplebit.

DE

DE FICTIONIBUS JURIS

PARS SECUNDA

COMPLECTENS

VI. ET VII. TRACTATUM.

AUCTORE

ANT. DADINO ALTESERRA.

Source : BIU Cujas

DE

FICTIONIBUS

IURIS

PARS SECUNDA

COMPLECTENS

VI. ET VII. TRACTATUM.

AUCTORE

ANT. DADINO ALTESERRA

Source : BIU Cujas

ILLUSTRISSIMO VIRO

DOMINO

D. GUILLELMO DE LAMOIGNON

PRINCIPI SENATUS PARISIENSIS.

PRINCEPS SENATUS ILLUSTRISSIME

Mitto ſextum & ſeptimum tractatum de Fictionibus juris: Nimirum vota non divido, & quod opus ſemel in tui gratiam conceptum eſt, ex aſſe tuum eſſe placet. Diutina lectione & meditatione, ſub manu quaſi alluvione adcrevit opus. Totum corpus juris, maxime digeſtorum, fictionibus, ut cælum ſtellulis, micat: & ut in cælo recentiores Aſtrologi nova ſidera ſe obſervaſſe gloriantur, quæ antiquos effugerint; mihi forte in aliqua laude erit, quamplurimas fictiones, quæ in legum viſceribus latebant, adnotaſſe, vel jam notas collegiſſe, & in ordinem redegiſſe: ut quæ per immenſum juris corpus ſparſæ erant, ſtudioſis, in unum compoſitæ, in promptu ſint. Non leve, imo ſummum & jucundiſſimum laboris præmium erit, ſi eadem comitate hos tractatus, qua priores quinque, excipias. Multa alia ſunt in manibus, quorum indicem mitto, in varias partes digeſtorum nondum ſua luce donatas, quæ jam in ſcholis di-

Source : BIU Cujas

Acta, & explanata, meliorem lucem desiderant. Pacem litterarum altricem a Deo supplex deprecor, quo litterarum, ac maxime jurisprudentiæ studii vigor & genius pene extinctus suscitetur; & eodem beneficio plebi & litteris consulatur.

AMPLITUDINI VESTRÆ

Die 24. Maii 1676.

Devotissimus & addictissimus
ANTONIUS DADINUS ALTESERRA
U.J.Prof. & Decanus Universitatis Tolosanæ.

Source : BIU Cujas



DE FICTIONIBUS JURIS

TRACTATUS SEXTUS.

CAPUT I.

Jus repræsentationis introductum fictione juris.

FICTIONE juris jus repræsentationis locum habet in successionibus ab intestato inter descendentes, id est liberi repræsentant personam patris, & præmortuo patre subeunt ejus locum, Philo de Legat. ad Caium : *υἱωνοι γαρ πατέρων ἀποθανόντων, ἐν υἱῶν τάξει παρὰ πάππους καθαριθμοῦνται. Nepotes enim, mortuis parentibus, filiorum loco apud avos censentur.* Hinc nepotes ex filio præmortuo succedunt avo simul cum patruo : sed quia succedunt jure repræsentationis, potius quam ex suo capite, succedunt in stirpes, non in capita ; ita ut si plures sint nepotes ex filio, non aliam ferant portionem, quam eam, quam pater obtineret, si superstes esset ; §. *cum filius, inst. de hered. quæ ab intest. l.* 2. C. *de suis & legit. nov. Justin.* 118. *cap.* 1. Non incongrue in hujusmodi successionibus filius repræsentat personam patris, quia sicut quamdiu partus est in utero est portio matris ejusque viscerum ; *l.* 1. §. *ex hoc rescripto, de inspic. ventr.* Quam in sententiam Dido ad Æneam apud Ovid. in epist.

Forsitan & gravidam Dido, scelerate, relinquas,
Parsque tui lateat corpore clausa meo.

& Niobe de numerosa prole gloriabunda, apud eundem 6. metamorph.

Uteri pars est hæc septima nostri.

Source : BIU Cujas

& Nero de Poppæa, apud Senec. in Octavia :

Cum portet utero pignus & partem mei,
Quin deſtinamus proximam thalamis diem.

Idem poſtquam in lucem editus eſt, non deſinit eſſe portio parentum, tum propter naturam, id eſt ſeminis, in quo omnes corporis partes coeunt, proventum ; ſeu propter naturalem affectum, quo pater conjungitur liberis, & velut unum cum his corpus efficitur ; *l. ult. C. de impub. & aliis ſubſtit. l. cum ſcimus, C. de agric. & cenſit.* cum propter vinculum patriæ poteſtatis, quod eſt familiæ vinculum ; *l.* † *eum bonis, ff. de adqu. hered.* quo liberi, qui ſunt in poteſtate, in ſinu patris verſantur, ejuſdem fortunæ & dignitatis conſortes, ſimul tam arcto vinculo juncti, ut non arctius membra membris cohæreant.

Jure veteri incognitum fuit jus repræſentationis in ſucceſſione collateralium : ſed ut quiſque proximus erat, ei deferebatur hereditas, ſubmoto remotiori ; *l. 3. C. de legit. hered.* Conſtitut. Juſtiniani jus repræſentationis admiſſum eſt in collateralibus, ſi de ſucceſſione patrui quæratur, nimirum duobus caſibus. Primus eſt, cum fratrum vel ſororum filii concurrunt cum patruis, hoc caſu fratris vel ſororis filii ſuccedunt cum patruis in ſtirpes ; *nov. 118. cap. 3.* Secundus eſt, cum iidem concurrunt cum parentibus defuncti ; *nov. 127. cap. 1.* unde deſumpta eſt auth. *ceſſante, C. de legit. hered.* Jus repræſentationis locum habet inter deſcendentes in infinitum ; *d. nov. 118. cap. 1.* In collateralibus jus repræſentationis deſinit in fratrum filiis, nec ulterius porrigitur ; *d. nov. 118. cap. 3.* unde hauſta eſt auth. *poſt fratres, Cod. de legit. hered.*

Inter aſcendentes in ſucceſſione liberorum repræſentationi locus non eſt. Hujus rei argumentum eſt, quod inter aſcendentes, proximiores excludunt remotiores, ut pater & mater excludunt avum ; *nov. 118. cap. 2.* auth. *defuncto, C. ad Tertyll.* In aſcendentibus ceſſat repræſentatio, quia ſucceſſio parentum in bonis liberorum eſt minus favorabilis : parentes ſcilicet ſuccedunt liberis ratione commiſerationis, ſolatii gratia, contra naturæ votum & ordinem ; *l. nam etſi*, in pr. *ff. de inoff. teſt. l. ſcripto* in fin. *unde liberi.*

Jus repræſentationis vero locum non habet in ſucceſſionibus ex teſtamento, ut in ſubſtitutionibus & fideicommiſſis. Hinc ſubſtitutio nondum delata, non tranſit ad heredem ; *l. ſi ex pluribus, ff. de ſuis & legit. l. toties, de adqu. hered. l. qui plures heredes, l. Lucius*, §. *ult. de vulg. & pupill.* Hinc etiam, ſi fideicommiſſum familiæ relictum ſit, proximiores admittuntur ; nec filius fratris admittitur cum patruo, jure repræſentationis ; *l.* † *omnia*, §. *in fideicommiſſo, de legat. 2.* Ratio eſt, quod cum jus repræſentationis ſpecialiter introductum ſit in ſucceſſionibus ab inteſtato, non eſt extendendum ad ſucceſſiones ex teſtamento, ne duo ſingularia concurrant ; *l. 1. C. de dot. promiſſ.* maxime ad ſubſtitutiones & fideicommiſſa, quæ cum nitantur voluntati teſtatoris, quæ eſt facti, non juris, fictionem non recipiunt ; *l. fideicommiſſum, de condit. & dem. l. Statius Florus*, §. *Cornelio Felici, de jure fiſc.* Jus repræſentationis quoque ceſſat in muneribus publicis : ideo tutela quæ eſt munus publicum, non tranſit ad heredem ; *l. 3.* §. † *ſed ſi aliquis, de legit. tutor.* quia eſt munus perſonale, in quo electa eſt induſtria ; *l. inter artifices, de ſolut.*

Hoc diſtat repræſentatio a tranſmiſſione, quæ fit etiam fictione legis, quod ſuccedentes per tranſmiſſionem ſuccedunt jure ſuo, vi & poteſtate legis : tranſmiſſio fit a lege, non ab homine. Qui vero ſuccedunt jure repræſentationis, ſuccedunt in locum gradumque parentum ex perſona patris, ut maluit Bald. in *l. ſi avus, C. de liber. præterit.*

Qui plura hac de re, conſulat Benedict. in *cap. Raynut.* in *verb.* & uxorem, *num. 41. & ſeqq.* Covarruv. *practic. quæſt. cap. 30.* Ranchin. *de ſucceſſ. ab inteſt.* §. *3. num. 8.* Ant. Fab. *in C. tit. de fideic. def. 8.* Cujac. *conſ. 15.* Forſter. *de ſucceſſ. lib. 4. cap. 19. 20. & ſeqq.*

CA-

Source : BIU Cujas

CAPUT II.

Furioſus pro abſente habetur. In furioſo manent quaſi voluntatis reliquiæ. Abſens per contumaciam pro præſenre babetur. Mortuus pro abſente habetur. Qui Romæ militant, habentur pro abſentibus reip. cauſa.

FURIOSUS pro abſente habetur fictione juris, quia abeſſe videtur qui non intelligit ea quæ fiunt coram eo: puta filiofam. injuriam paſſo, ſi pater præſens ſit, agere tamen non poſſit propter furorem vel dementiam, ipſi filio competit actio injuriarum, quaſi patre abſente: nam pater furioſus abſentis loco eſt; *l.* † *ſed ſi unius*, §. *filiofam. ff. de injur.* Furioſus etſi præſens ſit corpore, pro abſente habetur, quia intellectu caret. Hac ratione furioſus nec codicillos, nec aliud quidquam facere intelligitur, quia per omnia & in omnibus abſentis loco habetur; *l.* † 2. §. *pen. de jure codicill.* quod confirmat *l. ubi non, de R. J.* Qui mutum aut furioſum exhibet, non videtur exhibere, quia non ſatis apte præſens appellari poteſt; *l. ult. de V. S.* Si quis juſſus ſit aliquid facere coram Titio, puta adire hereditatem, vel ſententiam dicere; ſi Titius furioſus ſit, non videtur præſente eo feciſſe, quia furioſus pro abſente habetur; *l. coram, de V. S. l. diem*, §. *coram*, † *de recept. & qui arbitr. recep.* Tamen licet procurator abſens dari poſſit, furioſus non habetur abſentis loco: ad hoc ut procurator dari poſſit, cum dationem ratam facere non poſſit; *l.* 2. *de procur.*

Furioſus non poteſt conſentire, ob id, ſi dominus, qui rem precario dedit, interim, id eſt priuſquam precarium revocet, furere cœperit, precarium non redintegratur, id eſt non prorogatur, quaſi tacito conſenſu; *l. certe, de precar.* Sunt tamen quidam caſus, in quibus furioſus videtur conſentire, quia evidenter non poteſt contradicere, ut pater filiæ furioſæ poteſt dotem repetere, vel nuntium divortii cauſa mittere pro filia furioſa; *l.* † *ſi cum dotem*, §. *item pater, ſolut. matrim.* quia filia conſentire videtur in his, quæ pertinent ad ejus commodum. Et ſi is, qui poſſeſſionem fundi animo retinebat, furere cœperit, interim poſſeſſionem non amittit, quia furioſus non poteſt deſinere animo poſſidere; *l. ſi is, qui animo, de adqu. poſſeſſ.* Si quis ante furorem poſſeſſionem vi aut clam, aut precario nactus, poſtea furere cœperit, eadem cauſa & poſſeſſio durat, & poteſt conveniri interdicto unde vi aut clam aut precario; & ei datur interdictum uti poſſidetis; *l. numquam*, §. *ſi vi aut clam, de uſucap.* Furioſus, ſi ante furorem poſſidere cœperit, animo retinet poſſeſſionem: ſi ante furorem uxorem duxerit, retinet matrimonium, & poteſtatem in liberos, quaſi voluntatis reliquiis in furioſis manentibus; *l. patre furioſo, de his, qui ſunt ſui vel alieni jur.*

Quandoque abſens pro præſente habetur, ut abſens per contumaciam, quaſi præſens & convictus damnatur; *l. contumacia, de re judic.* Qui per contumaciam judicium deſerit, in nullo minor præſente exiſtimatur; *nov. 69. cap. 3.* Abſens tamen per contumaciam, non per omnia pro præſente & convicto habetur: is enim poteſt quidem damnari pœna pecuniaria vel corporali, uſque ad relegationem: verum gravior pœna, puta damnatio in metallum, vel pœna capitis, non poteſt abſenti irrogari; *l. abſentem, de pœn. l.* 1. *de requir.* † *vel abſent. damn. l. abſentem, C. de accuſ.* Polyb. *lib. 6.*

Imo & mortuus abſentis loco habetur, ut ſi ab herede ſcripto fideicommiſſaria libertas ſervis relicta ſit, & herede abſente prætor pronuntiaverit libertatem deberi, is autem, contra quem judicatum eſt, eſſet mortuus tempore latæ ſententiæ, judicium transfertur in hæredem: id eſt ex eo judicio heres

Source : BIU Cujas

cogendus est manumittere, quia prætoris decretum inscienter latum contra mortuum valet, quasi latum esset contra absentem favore libertatis; *l. cum quasi, de fideic. libert.*

Qui Romæ militant, licet præsentes sint, pro absentibus reipub. causa habentur; *l. milites*, † §. 4. *ex quib. caus. major.* Puta qui militant in cohortibus vigilum, vel in castris urbanis, id est in castris prætorianorum militum, licet præsentes sint, vice absentium reip. causa habentur, ad hoc ut restituantur. Tamen adulterii accusari possunt, quia facile se repræsentare possunt; *l. si maritus*, §. † *quod si quis, ff. ad L. J. de adult.* Castra prætorianarum cohortium erant in urbe; Tacit. 4. annal. *Dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo.* Inde prætoriani milites dicti urbaniciani; *l. qui mittuntur*, §. 4. *ex quib. caus. major.*

† *Milites* 8. & dele §. 4. quia lex ista unica oratione concluditur. Et adde *l. qui mittuntur*, §. 4. *ff. eod.*

CAPUT III.

Servi pro mortuis habentur. Servus manumissus novus homo videtur. Manumissus pro mortuo habetur. Servus in metallum damnatus & restitutus, novus homo videtur esse.

INTERDUM qui adhuc in vivis sunt, pro mortuis habentur. Jure civili servi pro nullis & mortuis habentur; *l. 1. de jur. delib. l. quod attinet, l. servitutem, de R. J.* Quia sunt expertes omnium, quæ sunt juris civilis, nullam juris civilis communionem habent, non possunt adhiberi testes in testamentis; *l. qui testamento, §. servus, qui test. fac. poss.* Reipub. causa abesse non possunt; *l. si quis servum, si quis caut. judic. sist. l. ult. de R. J.* Non habent statum seu personam ex se, eam assumunt a domino; *l. 3. §. ult. & l. seq. de capit. minut.* Ob eam rem manumissione, servi dicuntur constitui duæ personæ, una domini, altera liberti, id est servi manumissi; *l. si Pamphilo, de opt. legat.* Theoph. in §. *an servus, inst. de legat.* Et si servus manumissus rursus redigatur in servitutem, novus homo videtur esse; *l. servus, de adim. legat.* id est rursus amittit statum & caput, cum ex libero fiat servus.

Servus manumissus non tenetur ex gestis in servitute; *l. pen. de his, qui not. inf. l.* † *eum actum, de negot. gest. l. 1. §.* † *si cum servo, si quid in fraud. patron. l. ult. C. an servus pro suo fact. l. 4. C. de testam. manumiss.* Quia manumissione alius videtur, manumissio mutat statum, quasi regenerat hominem: manumissione constituitur nova persona ejus, qui ex servo fit liber. Si servus institor dominicæ mercis, vel præpositus debitis exigendis, liber factus in eodem statu perseveret, quamvis tempore servitutis obligari non potuerit, præteriti temporis nomine non inutiliter convenietur actione negotiorum gestorum, earum sc. rerum nomine, quæ connexam habeant rationem cum his, quæ postea gesta sunt; *l. tutorem qui*, §. 1. *de adm. tutor. l.* *) *ult. de liberal. caus.*

Manumissus tamen pro mortuo habetur, quoad quædam: manumissio similis est morti; *l. si mihi alienum, de solut.* quia sicut mors omnia solvit: puta qui mihi alienum servum promisit, si Stichus a domino manumissus sit, ante moram promissor liberatur manumissione, velut naturali interitu servi; *l. si ex legati causa, de V. O.* Manumissio comparatur morti quoad hoc, ut dominus servum amittat; *l. inter omnes, de furt. l. quæcumque 56., de oblig. & act.* Mortuo, vel manumisso homine, id est servo, quem quis furto abstulit, furti actio adversus furem non extinguitur: nec enim dissimilis est morti manumissio;

Source : BIU Cujas

sio, quoad subtrahendum domino servum : supereſt actio furti, non quia nunc adeſt servus, qui extinctus eſt. vel pro mortuo habetur, ùt manumiſſus ; ſed quia numquam beneficio furis abfuit ; *d. l. inter omnes.* Abeſſe non videtur res furtiva, licet extincta ſit, quaſi beneficio furis, quia in pœnam furum videtur ſupereſſe res furtiva, cujus nomine ſupereſt actio furti ad eam recuperandam ; *l. rem in bonis, de adquir. rer. dom.* Quaſi beneficium furis videtur injuria furis, quod ejus delictum præſtat actionem furti, etiam re extincta. Ex delicto naſcitur actio quaſi beneficio furis, id eſt ex cauſa furti.

Servus in metallum damnatus, poſtea beneficio Principis reſtitutus, non redit ad priorem dominum ; *l. aut damnum,* † §. 12. in fin. *de pœn.* quia reſtitutione novus homo videtur eſſe ; *l. ſervus legatus, de adim. legat.* ut arbor, quæ coaluit in alieno ſolo, licet radicitus eruta, ad priorem dominum non redit, quia alio terræ alimento alia facta videtur ; *l. ſed ſi meis,* §. *arbor, de adquir. rer. dom.*

CAPUT IV.

Pater & filius pro una & eadem perſona habentur. Magiſtratus municipales, licet ſint duo, pro uno habentur. Duo vel plures correi pro uno habentur. Hereditas jacens perſonam defuncti ſuſtinet. Heres ſcriptus, dum deliberat de adeunda hereditate, pro herede habetur. Heres ſcriptus, qui omittit hereditatem ex teſtamento, ut ſuccedat ab inteſtato, habetur pro herede ex teſtamento.

FICTIONE juris, qui eſt in poteſtate patris habetur una & eadem perſona cum patre, ut ſupra probatum eſt *ex l. ult. C. de impub. & aliis ſubſtit.* Et hoc propter vinculum patriæ poteſtatis, quo patri cohæret, quo filius requieſcit in gremio patris. Hinc lis nulla poteſt eſſe inter patrem & filium, qui eſt in poteſtate, quia natura rei, id eſt naturali ratione, non magis cum his, quos in poteſtate habemus, quam nobiſcum, ipſi agere poſſumus ; *l. lis nulla, de judic. l. ne cum filiof. de furt. l. qui in poteſtate, C. de in jus voc.*

Sunt & alii caſus, in quibus duo vel plures unius loco habentur, ut magiſtratus municipales, licet ſint duo, unde dicuntur duumviri, unius hominis vicem ſuſtinent, & pro uno habentur, quia unum magiſtratum gerunt ; *l. magiſtratus, ad municipalem,* vel quia gerunt perſonam civitatis ſive reipublicæ. Una eſt reſpublica, una civitas, una curia, unus ordo decurionum, e quo deſumebantur ; *l. ſi quis aliquid,* §. *judices, de pœn. l. honores,* §. *is qui, de decur.* Unus magiſtratus, quia magiſtratuum individuum eſt officium & commune periculum adminiſtrationis ; *l. Imperator, ad municipal. l. 2. & 3. C. quo quiſq. ordin. conven. libr.* 11.

Æque ſi plures ſint correi ſtipulandi vel debendi, unius loco habentur, quia unum eſt debitum, una obligatio & actio ; *l. ſi plures, de pact. l.* † *qui hominem,* §. *ſi duo, de ſolut.* Ideoque ſinguli in ſolidum obligantur, & ſingulis, & ſolutione uni ex correis facta, vel acceptilatione unius, tota ſolvitur obligatio ; *l. 2. de duob. reis, l. ſi rem,* §. 1. *de novat. l. ſi per imprudentiam,* §. *ult. de evict. l. ſi in re communi,* in pr. *de nox. act. l. nihil intereſt,* §. *ult. de inoff. teſtam.*

Hereditas perſonæ vice fungitur, id eſt perſonam defuncti repræſentat juris intellectu. Hinc mortuo reo promittendi & ante aditam hereditatem fidejuſſor accipi poteſt, quia hereditas perſonæ vice fungitur, ſicut municipium ſeu civitas, decuria, ſocietas ; *l. mortuo, de fidejuſſ.* Et ſervus hereditarius ante aditam hereditatem heres inſtitui poteſt, quia adquirit hereditatem hereditati

Source : BIU Cujas

jacenti. Hereditas jacens est domina, & defuncti locum obtinet; *l. non minus, §. ult. de hered. instit.* Et si servus, cui directa libertas testamento relicta est, ante aditam hereditatem, rei hereditariæ furtum fecerit, non tenetur actione furti, quia hereditati furtum fecit, hoc est dominæ. Dominus autem cum servo non habet furti actionem: sed ne impunitum sit delictum, tenetur in duplum; *l. 1. §. † 1. si is, qui test. liber esse juss. erit.* Et si quid vi aut clam factum sit in fundo hereditario ante aditam hereditatem, interdictum quod vi aut clam adquiritur hereditati, quia hereditas jacens dominæ locum obtinet, & per eam heredi futuro; *l. denique, §. † 5. quod vi aut clam.* Et usucapio cœpta a defuncto potest impleri antequam heres adeat hereditatem, quia hereditas jacens in implenda usucapione vicem personæ defuncti sustinet; *l. si is, qui pro emptore*, in pr. *l. heres & hereditas, de usucap.* Si heres ante aditam hereditatem interrogatus in jure, servum hereditarium suum esse respondeat, tenetur, quia hereditas domini loco habetur; *l. si ante, de interrog. act.* Si damnum injuria datum sit in rebus hereditariis ante aditam hereditatem, adita hereditate heredi datur actio legis Aquiliæ, vel actio noxalis, quia hereditas pro domina habetur; *l. liber homo, §. si servus 2. l. ob id, ad leg. Aquil. l. si servus 40. de noxal. act.* Si servus hereditarius ante aditam hereditatem rem hereditariam deposuerit, heredi, adita hereditate, datur actio depositi quæsita per servum hereditarium, quia hereditas personam domini sustinet; *l. cum hereditas, C. deposit.* Et quod servus hereditarius ex stipulatione vel traditione adquirit ante aditam hereditatem, adquirit hereditati: nam hereditas, non heredis, sed defuncti personam sustinet; *l. hereditas, cum §. ult. l. præc. † de acquir. rer. dom.* Et quod servus legatus ante aditam hereditatem adquirit, id adquirit hereditati quasi dominæ; *l. quod servus, de legat. 2.* Ideo fictitia illa hereditatis persona jus appellatur, & a vera persona heredis distinguitur *in l. postquam, † ut legat. seu fideic. servand. cauf. caveat.* ex qua si heres a quo legatum sub conditione relictum est, ante aditam hereditatem caverit de servando & præstando legato, cum conditio extiterit, & interim captus sit ab hostibus, fidejussores interim non tenentur, quia neque jus, neque persona esset, ad quam stipulationis, id est cautionis fidejussoriæ, quæ interposita stipulatione præstita erat, dirigi possit.

Heres scriptus dum deliberat de adeunda hereditate, pro herede habetur quoad quædam, puta ut alimenta capiat ex hereditate, si sit suus heres; *l. ait prætor, l. filius, de jure deliber.* Tempus deliberandi imaginem successionis, id est aditæ hereditatis, præstat; *l. pen. §. ult. de castrens. pecul.*

Qui omisit hereditatem ex testamento, successurus ab intestato, tenetur creditoribus & legatariis, perinde ac si ex testamento adiisset hereditatem; *l. si duo, si quis omiss. cauf. test.* Qui omisit hereditatem ex testamento, ut ab intestato succederet, tenetur exequi voluntatem defuncti, quasi heres ex testamento, ne decipiatur testator, qui melius de herede scripto cogitavit; *l. unum ex familia, §. ult. de legat. 2.*

CA-

Source : BIU Cujas

CAPUT V.

Usufructus videtur quotidie constitui & legari. Manumissione contrahitur quasi societas inter patronum & libertum. In judicio de pœna quasi transigitur. Absens per contumaciam suo calculo damnatus videtur. Minor 25. annis restitutus pro confesso habetur. In beneficialibus & nuptialibus causis minor pro majore habetur.

OBLIGAMUR ex contractu, vel quasi contractu. Usufructus constituitur pacto, vel stipulatione, vel testamento, vel tacito pacto, tacita stipulatione, vel tacito judicio defuncti. Usufructus pacto, vel stipulatione semel constituitur: sed constitutus, & postea amissus, puta capitis deminutione, restituitur, tacito pacto vel stipulatione, vel tacito judicio defuncti. Et hoc argumento usufructus fingitur quotidie constitui & legari; *l.* 1. §. *interdum*, *de usufr. adcresc.* ex qua, si proprietas vel usufructus fundi duobus legetur, hoc commune est, quod pars deficientis adcrescit alteri, quia solidum habent ab initio, sed concursu partes faciunt. Hoc interest, quod usufructus semel constitutus, & postea amissus, jus adcrescendi admittit, id est pars usufructus semel adquisita & agnita, & postea amissa, forte capitis deminutione, adcrescit alteri. Ratio elegans est, quia usufructus quotidie constituitur & legatur, quotidie extinguitur & restituitur: quot sunt dies, tot sunt constitutiones & legata usufructus, quasi repetita tacito pacto, vel stipulatione, vel tacito judicio defuncti. Usufructus restitutus, alius usufructus videtur, & pars usufructus rursus deficiens, quasi de novo constituta & legata adcrescit alteri.

Manumissione inducitur quasi societas, seu imago societatis, inter patronum & libertum. Ex edicto Rutilii prætoris patrono dabatur actio pro socio in libertum, ut quasi socius omnium bonorum auferret partem bonorum in præmium tam grandis beneficii. Sed ex edicto posteriorum prætorum loco actionis pro socio patrono præterito data est bonorum possessio contra tabulas liberti in dimidiam bonorum; *l.* 1. *de bonis libert.* Data patrono bonorum possessione contra tabulas liberti in dimidiam bonorum, exposa est illa societas bonorum & actio pro socio: ob id si patronus onerandæ libertatis causa, cum liberto societatem coierit, & patronus cum liberto actione pro socio agat, libertus tuetur se exceptione ex edicto quod libertatis onerandæ causa gestum est; *l.* 1. §. *quæ onerandæ*, §. *si libertatis*, *quar. rer. act. non* † *dat.*

Interdum in judicio de pœna transactum videtur, puta relegatus, vel ordine, id est senatu municipali motus ad tempus ob levius delictum, non notatur infamia, quia duriore sententia, id est graviore pœna, quæ excedebat modum delicti, quasi transegisse videtur de existimatione. Duriore pœna, quasi transacto negotio, infamia ei remittitur; *l. quid ergo*, §. *pœna gravior*, *de his qui not. infam. l.* 4. *C. eod.* † *ex quib. caus. infam. irrogat. l. ordine*, *ad municipal. l. ad tempus*, *de decur. l.* 4. §. *ad tempus*, *de re milit. l. in servorum*, §. *ult. de pœn.* Si quis judicio sisti promiserit, adjecta pœna, & postea negotium transactum sit, pœna remittitur, quasi & de pœna transactum sit; *l.* 2. in pr. *si quis caut. judic. sist.*

Aliquando etiam absens per contumaciam, vel qui est in mora, quasi sua sententia damnatus videtur, veluti tutor ut suspectus removetur, si diu lateat, ne alimenta pupillo decernantur, quia sua sententia suspectus factus est, *l.* 7. §. *præterea*, *de suspect. tutor.* Et qui metu accusationis fugerint, pro damnatis habentur; *l. si in libertinum*, in fin. *de bon. libert. nov. Just.* 53.

Source : BIU Cujas

Nonnumquam etiam minor 25. annis reſtitutus, pro confeſſo vel tranſigente habetur, ut in *l. ſi ex cauſa*, §. *nuuc videndum*, *de minorib.* Minor in delictis, puta in furto, vel damno injuria dato, non reſtituitur, niſi ad hoc ut pro confeſſo habeatur, ne actio legis Aquiliæ in eum detur in duplum quaſi inficiantem, ſed in ſimplum quaſi adverſus confitentem; vel ne actione furti teneatur in duplum, vel quadruplum, quaſi de furto deciderit, id eſt tranſegerit.

In beneficialibus & aliis cauſis ſpiritualibus, minor viginti quinque annis pro majore † habetur, ad hoc ut judicio agat, vel ſe defendat ſine curatore; & filiusfam. in iiſdem cauſis pro patrefam. habetur, ad hoc ut agat, vel ſe defendat ſine patre; *cap. ex parte*, *de reſtit. ſpoliat. cap. ult. de judic. in 6.* quia hoc ipſo quod eſt capax beneficii, eſt capax eorum omnium, quæ pertinent ad beneficia. Et hoc jure utimur; Boer. *qu.* 350. In matrimonialibus etiam cauſis minor 25. annis pro majore habetur, puta ſi uxorem ducat, obligatur ex cauſa dotis, vel donationis propter nuptias, quia non videtur circumſcriptus eſſe minor, qui jure communi uſus eſt; *l. ult. C. de in integr. reſtit. minor.*

CAPUT VI.

Servi habent peculium conniventibus oculis domini. Si ancilla contra legem venditionis proſtituta libertatem adepta ſit, emptor videtur manumiſiſſe. Alienis nummis redemptus fit liber, quaſi ſuis nummis redemptus. Capite minutus alius homo incipit eſſe.

QUAMPLURIMÆ fictiones juris favore ſervorum, ac eorum libertatis, excogitatæ ſunt, quas hoc loco colligere non otioſum erit. Servi habent peculium, non ſine fictione juris, quia id habent voluntate domini, vel domino ſciente, & non contradicente vel diſſimulante. Dicuntur id habere conniventibus oculis domini; *l.* 4. *de manumiſſ.* Lex ait, *conniventibus oculis*, id eſt quaſi clauſis oculis. Hinc conniventibus oculis opponuntur patentes oculi; Plin. lib. 2. cap. 34. *Vigilans ictus fulmine, conniventibus oculis, dormiens patentibus reperitur.* Sic conniventibus oculis dicuntur ſervi capere legata, quæ a domino relicta ſunt ſine libertate; *l. ult. C. de neceſſar. ſerv. hered. inſt.* Et ſervi quaſi teſtamenta faciunt cum venia domini; Plin. lib. 8. epiſt. 16. *Permitto ſervis quoque quaſi teſtamenta facere, eaque ut legitima cuſtodio, dumtaxat intra domum: nam ſervis reſpublica quædam & quaſi civitas domus eſt.* Quod ait & Seneca ep. 47. *Domum ſervis puſillam rempublicam eſſe.* Conſentire videtur, qui non contradicit; *l.* 2. §. *voluntatem*, *ſolut. matrim.*

Si ancilla venierit ea lege, ne proſtituatur, & ſi proſtituta eſſet, ut libera eſſet, ſi contra legem venditionis proſtituta libertatem adepta ſit, venditor non videtur manumiſiſſe, emptor videtur quaſi ultro manumiſiſſe: ideoque nullum adverſus venditorem habet regreſſum; *l. ſi mancipium*, *de evict.* nec habet jus patronatus, ſed emptor, quaſi ipſe manumiſerit; *l. Divus* 7. *de jur. patron.*

Suis nummis emptus, id eſt redemptus, in ea conditione eſt, ut libertatem adipiſcatur; *l.* 4. *de manumiſſ.* Si quis ab alio nummos acceperit, ut ſervum ſuum manumitteret, compellitur eum manumittere: ſimilis eſt enim ei, qui ſuis nummis redemptus eſt; *l. ſi quis ab alio*, *eod. tit.* Si ſervus domini necem detexerit, liber fit quaſi a lege, quaſi ex ſenatuſconſulto Silaniano nullius libertus eſt; *l.* 4. *de bon. libert.*

Capitis minutio mutat ſtatum, *l.* † 1. *de cap. minut.* & capite minutus alius homo incipit eſſe, ut in *l.* † *cum quis*, *de ſolut.* Si quis ſtipulatus ſit ſibi aut Titio ſolvi, Titio recte ſolvi poteſt, ſi in eodem ſtatu maneat. Ceterum

ſi ſta-

Source : BIU Cujas

si statum mutaverit, puta si sit adoptatus, vel relegatus, vel deportatus, vel aqua & igni ei interdictum, vel servus factus sit, non recte ei solvitur, quia tacite inest hæc pactio stipulationi, si in eadem causa maneat. Capite minutus novus homo esse videtur.

CAPUT VII.

Libertus donatus jure annulorum aureorum, vivit quasi ingenuus, moritur quasi libertus. Servi adscripti glebæ sunt quasi pars prædii. Fructus pendentes pars fundi videntur. Major pars habetur pro toto. Liberi adoptivi non habent jus naturalium.

PATRONO præterito testamento liberti, datur bonorum possessio contra tabulas, etsi jus annulorum aureorum consecutus sit a Principe, quia libertus donatus jure annulorum, vivit quasi ingenuus, moritur quasi libertus; *l. 3. de bon. libert. l. 3. C. eod.*

Servi adscriptitii, seu adscripti glebæ, id est servi rustici addicti agro colendo, sunt quasi pars prædiorum: ideo non possunt vendi vel legari sine prædiis, quibus adhærent; *l. si quis inquilinos, de legat. 1. l. quemadmodum, C. de agric. & censit. Julian. nov. Just. 7.* Hinc si servus cum fundo venditus evincatur emptori, datur actio ex empto, quanti minoris esset empturus; *l. sed & si quid, §. ult. de evict.*

Pari figmento fructus pendentes pars fundi videntur; *l. fructus pendentes, de rei vindic.* quia fundo cohærent; *l. si servus 61. §. locavi, de furt.* & fructus non jure seminis, id est seminis causa & beneficio, sed jure soli percipiuntur; *l. qui scit, de usur. l. in fideicommissaria,* verb. *fructus autem, ad Trebell.*

Eodem jure majores arbores pars fundi videntur, ideoque non possunt cædi a fructuario; *l. sed si grandes, cum l. præced. de usufruct.* Et arbor ejus est, in cujus fundo ipsius origo fuerit, etiam si radices vicini fundi succo & ubere alantur; *l. si plures, §. ult. arbor. furt. cæsar.* Et aqua viva videtur portio agri; *l. is qui in puteum, quod vi aut clam,* quia ager sine aqua est infelix & sterilis; Varro de re rust. lib. 1. cap. 1. *Sine aqua omnis arida ac misera agricultura, sine successu ac bono eventu; frustratio est, non cultura.* Hinc psalm. 142. *Sicut terra sine aqua.*

Fictione juris major pars pro toto habetur, veluti datis tribus judicibus, quod duo e tribus judicaverint, tertio dissentiente, ratum est, quia quod major pars judicavit, omnes judicasse palam est; *l. sicuti tribus,* † *de recept. & qui arbitr. l. duo ex tribus,* † *de re judic.* M. Tull. 8. epist. 8. *Legisque unum & centesimum caput legit, in quo ita erat: Quod eorum judicum major pars judicarit, id jus ratum esto.* Quod major pars curiæ vel civitatis statuit, perinde est ac si ab omnibus actum esset; *l. quod major, ad municipal. l. nominationum, C. de decur.* Universitas vel civitas esse videtur præcipua pars universitatis vel civitatis; Aristotel. ethic. lib. 9. cap. 8. ὥσπερ δὲ ἡ πόλις, τὸ κυριώτατον μάλιστ' εἶναι δόκει, καὶ πολῦ ἄλλο σύστημα, ἕτω ἡ ἄνθρωπος. *Quemadmodum autem pars præcipua atque optima civitatis etiam videtur esse civitas, idemque de quovis alio conventu sentiendum: sic & hominis pars ea quæ dominari debet homo est.* Major autem pars curiæ fecisse videtur, quod ex omnibus duæ partes fecerint; *d. l. nominationum, l. 3. & 4. quod cujusq. univers.* Quod facit major pars creditorum, omnes feciffe videntur, *l. juris gentium, §. ult. & l. seq. de pact. l. ult. C. qui bon. ced. poss. l. aliud est, de R. J.* Pari fictione caput pro toto habetur. Cum in diversis locis corpus sepultum est, non fiunt religiosa plu-

Source : BIU Cujas

ra loca ; sed ille solus locus sit religiosus , ubi caput conditum est ; *l. cum in diversis* , in pr. *de relig. & sumpt. funer.*

Filius exheredatus , quem frater heres institutus adoptavit , non admittitur ad bonorum possessionem liberti patris naturalis , quia pœna quæ irrogatur adoptionis remedio , non obliteratur ; *l. filius qui* , in pr. *de bon. libert. l. filio quem , de liber. & posthum.* & conditio fideicommissi , si sine liberis , non deficit propter liberos adoptivos ; *l.* † *si ita quis* , §. *ult. de legat.* 2. *l. fideicom. missum , de condit. & demonstrat.*

CAPUT VIII.

Adoptio naturam imitatur . Emancipatus † *a patre senatore est quasi senatoris filius . Liberi suscepti ex injustis nuptiis , quasi vulgo nati . Ante pubertatem potens coitus , pro pubere habetur . Statuliber quoad quædam pro libero habetur .*

ADoptio est commentum legis , quod naturam imitatur . Ob id nec apud peregrinos , fratrem sibi quisquam per adoptionem facere potest . Et velut adoptatus frater ex parte heres institutus a patre , tenetur restituere partem hereditatis ; *l. nec apud* , C. *de hered. inst.* quia natura frater fratrem non suscipit . Tamen extraneus sub fratris nomine heres recte instituitur , propter affectum quasi fraternum ; *l. nemo* , §. 1. *ff. eod. tit.*

Emancipatus a patre senatore , quasi senatoris filius habetur ; *l. emancipatum , de senat.* lex ait , *quasi* , quia emancipatus pro extraneo habetur ; *l. quin etiam , de rit. nupt. l. nihil interest* , §. 1. *rer. amotar. l.* † *eum qui* 2. §. *qui sibi. de V. O.* Tamen frater emancipatus vocatur ad legitimam tutelam fratrum & sororum , quasi patria potestate per emancipationem minimè solutus esset , quia in legitima successione omnes agnatos & cognatos antecedit ; *l. frater emancipatus* , C. *de legit. tutel.*

Liberi suscepti ex injustis nuptiis , pro vulgo conceptis habentur ; *l. vulgo , de stat. hom.* id est volgivaga venere ; Lucret. libr. 4.

Volgivagaque vagus venere , ante recentia cures . Varii dicti , quasi vario semine nati ; Lamprid. in Heliogabal. *Varii etiam nomen idcirco eidem inditum a condiscipulis , quod vario semine , de meretrice utpote conceptus videretur .* Quasi incerto patre nati videntur , quia pater est , quem nuptiæ demonstrant ; *l. filium , de his qui sunt sui , vel alien. jur.* Spurii quasi sine patre nati videntur ; *l. Divi , de captiv. & postlim. reversi.* Curtius Rufus gladiatoris filius , beneficio Tiberii præturam assecutus , his verbis detersa labe natalium : *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus ;* Tacit. 11. annal. Hinc spurii terræ filii dicti , quasi e terra nati ; M. Tull. 1. ad Attic. epist. 10. *Huic terræ filio nescio cui committere epistolam tantis de rebus non audeo .* Idem libr. 7. epist. famil. *Summo genere natus terræ filius .* Tertul. apolog. cap. 10. *Terræ filios vulgus vocat , quorum genus incertum est .*

Si quis ante pubertatem coitus potens sit , pro pubere habetur , & nuptias contrahere potest ; *l. pen. quand. dies. leg. ced.* quasi felici diplomate usus ; *l. continuus* , §. *cum ita , de V. O.* quia malitia supplet ætatem ; *nov. Just.* 22. *cap. 6. cap. de illis* 2. , *de desponsat. impub. cap.* 1. † *de conjunct. serv.*

† *de conjugio servor.* v. tamen si facit .

Statuliber , id est , servus manumissus in diem , vel sub conditione , interim est servus heredis ; *l. statuliberum , de legat.* 2. *l. & post litem* in fin. *famil. ercisc.* propter implicitum , id est dubium & incertum statum libertatis ; *l. ult. si ex noxal. caus. agat.* tamen interim pro libero habetur , & in posses-

sione

sione liberratis esse videtur, propter spem libertatis; *l.* 2. *de statulib. l. cum vero, de fideic. libert.* ut si deliquerit, non ut servus, sed quasi liber punitur; *l. edictum*, §. *ult.* † *l. statuliber, de quæst. l. moris*, §. *ult. de pœn.* In computanda ratione falcidiæ, statuliber pro libero habetur: heredis non auget familiam, non computatur in bonis hereditatis; *l. statuliber, ad leg. facild.* speciale est, quod si ante aditam hereditatem furtum fecerit in bonis domini, ut servus coercetur, id est pœnis servilibus; *l.* 1. §. *quid tamen, si is qui test. liber esse juss.* † *erit*. Propter furtum domesticum, quod est pessimum genus furti.

CAPUT IX.

Pignus novari non videtur, nec matrimonium solvi, quod statim redintegratur. Donare videtur qui rem pro derelicto habet. Publiciana datur ei qui usucapere cœpit, quasi usuceperit. Qui vectigal solvit fisco, succedit in locum fisci quasi cessis actionibus. Pœna committitur in solidum, si factum sit individuum. Si mulier intercedendi causa pignus dederit, pignus distractum pro non distracto habetur.

PRIMUS creditor pecuniam credidit acceptis pignoribus, quæ postea accepit & secundus creditor: postea primus creditor novata priori obligatione alia pignora prioribus adjecit, in his præfertur secundo creditori, quia in suum locum successit, in priorem ordinem successisse, id est rediisse intelligitur; *l. creditor* 3., in pr. *l. creditor* 12., §. *Papinianus, qui potior. in pign.* Novatio facta non intelligitur in obligatione, quæ mox redintegratur: obligatio non novatur, sed potius pignori cumulatur. Sic si divortio facto, brevi reversa sit uxor, non videtur divertisse; *l.* 3. *de divort.* Non divortium, sed frigusculum, seu jurgium fuit: idem matrimonium videtur, eadem dos; *l.* † *quod si non, de jur. dot. l. cum hic status*, §. *quod si divortium, de don. int. vir. & uxor. l. quidquid, de R. J.* Non videtur renuntiasse beneficio, qui statim iterum est assumptus; *cap. officii*, §. *ult. de elect. cap.*) ex transmissa, cap. ad extirpandas, de filiis presbyter.*

Donare videtur, qui rem pro derelicto habet. Quod servus stipulatus est, quem dominus pro derelicto habet, nullius est momenti, id est non adquiritur domino, quia qui pro derelicto rem habet, a se omnino eam rejecit, nec potest ejus opera uti, non potest per eum adquirere. Quod si ab alio apprehensus sit, stipulatione ei adquirere poterit: nam hæc genere quodam donatio est. Genus quoddam donationis est rem pro derelicto habere; *l. quod servus, de stipulat. serv. l. ult. de evict.*

Publiciana est utilis actio in rem, quæ datur ei qui rem alienam bona fide accepit a non domino, & usucapere cœpit, nondum usucepit, hoc colore quasi usucapta sit; *l.* 1. *de public. in rem act. l. si ab eo, de pignor.*

Si unus ex possessoribus prædiorum cujusdam vici vel territorii tributorum nomine a fisco conventus in solidum, & damnatus solidum solverit, adversus ceteros possessores agere potest, quasi cessis actionibus, quia fiscus accipiendo pretium nominum venditorum, id est cessarum actionum pretium accepisse videtur; *l. cum possessor, de censib.* idem in tutore dicendum est; *l. cum pupillus, de tutel. & rat. distrah. l. Modestinus, de solut.*

Pœna certæ pecuniæ promissa, si aliter factum sit post mortem promissoris, si unus ex heredibus, contra quam cautum sit, fecerit, ab omnibus pœna committitur, si factum de quo cautum est sit individuum, veluti si cautum sit iter fieri, quia quod in partes dividi non potest, ab omnibus quodammodo

Source : BIU Cujas

factum videtur ; *l.* 4. §. *Cato*, *de V. O. l. heredes*, §. *an ea stipulatio*, *famil. erciſc.*

Si mulier intercedendi cauſa pro alio pignus dederit, & a creditore pignus diſtractum ſit, & traditum emptori, nihilominus mulieri competit vindicatio pignoris, quia nullum pignus creditor vendidiſſe videtur ; *l. redemptores*, *& ſeq. de rei vindic.* Nimirum quia pignoris datio ſolvitur propter exceptionem Velleiani.

CAPUT X.

Filiſ. militis duæ ſunt hereditates : una caſtrenſium, altera paganorum. Si filiusf. miles inteſtatus deceſſerit, ejus peculium non obveniſſe patri, ſed non abſceſſiſſe creditur. Res quæ ſunt apud hoſtes, veniunt in judicium familiæ erciſcundæ propter ſpem poſtliminii. Evicta hereditate per querelam inofficioſi hereditas non adita videtur. Res uſucapta videtur ab eo qui occaſionem uſucapionis præbuit.

SI miles alium caſtrenſinm heredem inſtituerit, alium paganorum, non eſt locus familiæ erciſcundæ judicio, nec juri adcreſcendi inter eos, quia non ſunt coheredes. Duo ſunt heredes, duæ hereditates, quaſi duorum hominum, æs alienum ſingularum hereditatum ; *l. heredes*, §. 1. *famil. erciſc. l. ſi certarum*, §. 1. *de teſt. milit. l. filius qui*, §. † *Papinianus*, *de bon. libert.* Unius patrisf. unum eſt patrimonium ; *l. juriſperitos*, §. 1. *de excuſ. tut.* Una hereditas. Sed fictione juris in filiof. milite finguntur duæ hereditates, una caſtrenſium, altera paganorum ; utraque tamen ex eventu in unum recidit : puta ſi altera pars æri alieno non ſufficiat, & propter hoc is, qui ex ea parte inſtitutus eſt, non adeat hereditatem, alter qui adiit compellitur, aut defendere totam hereditatem, aut totam creditoribus ſolvere, id eſt dimittere ; *d. l. ſi certarum*.

Si filiusf. miles, qui habebat caſtrenſe peculium, inteſtatus deceſſerit, pater ejus bona non quaſi hereditarem, ſed quaſi peculium occupat ; *l.* 1. & 2. *de caſtrenſ. pecul.* Et caſtrenſe peculium non nunc obveniſſe patri, ſed ab eo non abſceſſiſſe creditur ; *l. proponebatur*, *l. pen.* §. *pater*, *eod. tit. l.* 1. §. *ſi is qui bona*, *de collat. bonor. l. ult. ad Tertyll. l.* 3. *C. de bon. proſcript.* Et hoc diſtat peculium ab hereditate, quod pater non tenetur ultra vires peculii.

Res, quæ eſt apud hoſtes, venit in judicium familiæ erciſcundæ, quaſi non eſſet apud hoſtes propter ſpem poſtliminii ; *l. propter ſpem*, *famil. erciſc.* Ex 12. tab. res captæ ab hoſtibus nullo tempore uſucapi poſſunt ; M. Tull. 1. officior. *Adverſus hoſtem æterna auctoritas eſto*.

Evicta hereditate per querelam inofficioſi ab herede ſcripto, perinde habetur, ac ſi non adiiſſet hereditatem : unde ſi quid ei debebatur a defuncto, licet aditione hereditatis obligatio & actio confuſa eſſet ; *l. debitori*, † *C. de pact. l. ſtichum*, §. *aditio*, *de ſolut.* tamen integra debiti petitio heredi victo competit, adverſus eum qui per querelam evicit hereditatem ; *l. eum qui*, §. *ult. de inoffic. teſtam. l. ſi maritus*, *C. eod.*

Qui rem alienam ex donatione mortis cauſa traditam uſucepit, non ab eo videtur cepiſſe, cujus res fuiſſet ; ſed ab eo, qui occaſionem uſucapionis præſtitit ; *l. qui alienam*, *de mort. cauſ. don.* gloſſ. in *l. reſcriptum*, §. † *ſi aliena*, *de diſtract. pignor.*

CA-

Source : BIU Cujas

CAPUT XI.

In castrensi peculio magis spectatur veritas, quam fictio. Captus ab hostibus & redemptus, fit servus redemptoris: sed si post mortem patris pretium redemptori offerat, suus heres patri existit, quia redemptio retroagitur, dominium retro adquiritur. Pignus tacite contrahitur. Partus, qui est in utero, pro nato habetur.

CASTRENSE peculium est, quod à milite in castris, vel occasione militiæ adquisitum est: si uxor, vel cognatus, vel quis alius, non notus ex castris, filiof. militi quidpiam donaverit, vel legaverit, & nominatim caverit, ut in castrensi peculio esset, non habetur in castrensi peculio: veritas enim magis spectatur, quam fictio; id est magis spectatur, an quid donatum vel legatum sit, propter castrensem notitiam, vel affectum, an ob causam fictitiam, ob id quod quis finxerit; *l. si forte, de castrens. pecul.* Veritas prævalet fictioni, *l. multum, C. si quis alteri vel sibi.*

Si miles testamentum fecerit, & post causariam missionem rursus cinctus sit, & decesserit intra annum post missionem, valet testamentum jure militari, quasi conjuncto tempore utriusque militiæ, primæ & secundæ, non habita ratione medii temporis, id est missionis; *l. quod dicitur*, §. † 1. *de test. milit.*

Captus ab hostibus si redemptus sit ab alio, redemptori tenetur pignore naturali, & fit servus redemptoris, quoad pretium redemptionis solvatur; *l. senatus*, §. *ult. de legat.* 1. *l. in bello*, §. *si quis servum*, *l. si patre*, *l. si quis ingenuum*, *de captiv. & postlim. revers.* Quod si patre redempto, & ante luitionem pignoris mortuo, filius post mortem ejus pretium redemptionis offerat, suus heres patri existit, quia retro fingitur ante mortem patris solvisse pretium, ad hoc ut pater habeat suum heredem, quia suus heres est, qui est in potestate patris tempore mortis; *l. Gallus*, *de liber. & posth.* vel potius jus pignoris quasi extinctum intelligitur, & pater sine obligatione debiti, id est pignoris obiisse intelligitur, & postliminio rediisse, ad hoc ut suum habeat heredem; *d. l. si patre*. Pater captus ab hostibus, quia captivitate fit servus hostium, si forte moriatur apud hostes, non habet suum heredem. Hinc negabant Servilium magistratum gerere non potuisse, vivo patre capto ab hostibus; Liv. libr. 27. *Servilium negabant jure aut tribunum plebis fuisse, aut ædilem esse, quod patrem ejus, quem triumvirum agrarium occisum, aliis circa Mutinas esse, opinio per decem annos fuerat vivere, atque in hostium potestate esse satis constabat.*

Interdum fictione juris dominium retro agitur, retro adquiritur, ut si pater testamento suo, servo filiif. qui erat in castrensi peculio, libertatem dederit, & pater filio supervixerit, legatum libertatis valet, quia ab initio servus videtur fuisse patris, inspecto eventu; *l. ult. de castrens. pecul.* Idem est, si pater servum filii, qui erat castrensis peculii, legaverit, patre superstite filio legatum valet, quia retro creditur servus in dominio patris fuisse; *l. servum filii, de legat.* 1. *l. in eo*, *de adquir. rer. domin.*

In multis casibus pignus tacite contrahitur, ut in emptione & venditione. Emptori non datur actio ex empto, ut res tradatur, priusquam pretium rei emptæ solverit, quia venditor potest retinere rem venditam loco pignoris, quoad pretium solvatur; *l. Julianus*, §. *offerri*, *de act. empt. l. quod si nolit*, §. *idem Marcellus*, *de ædil. edict.* Hinc si emptor re nondum tradita, & pretio non soluto, rem subripuerit, tenetur actione furti, perinde ac si pignus subtraxisset; *l. eum*, *qui*, §. 1. *de furt.* Idem in commodato, si commodator rem

Source : BIU Cujas

commodatam ſubripiat, commodatario datur furti actio, ſi impenſas neceſſarias in re commodata fecerit, quia ejus intereſt propter impenſam, quod retentionem habeat rei, quaſi pignoris loco; *l. creditoris*, in fin. *eod. tit.* Idem in locatione & conductione, vel emptione fructuum, ſi conductor clam fructus deportet, non ſoluta mercede conductionis, furti tenetur, quia furtum facere videtur, qui fructus pro mercede conductionis obligatos clam deportat; *l. ſi ſervus* 61. §. *locavi*, *eod. tit.* In quibus cauſis datur retentio rei, ea competit jure taciti pignoris, ut in *l. ſi non ſortem*, §. *ſi centum*, *de condict. indebiti*, ſi is qui debebat centum, fundum ducentis dignum ſolverit, totum fundum repetit, & obligatio centum remanet integra, & retentio fundi datur creditori, donec centum ſolvantur. Eodem jure marito datur retentio dotis, propter impenſas neceſſarias; *l. quod dicitur*, *de impenſ. in res dotal. fact.*

CAPUT XII.

Reverſus ab hoſtibus poſtliminio recipit omnia jura. Servus fugitivus furtum ſui facere videtur. Partus ancillæ, qui eſt in utero, pro jam nato habetur. In actione furti furtum factum intelligitur, cum res pretioſior fuit.

FICTIONE poſtliminii captus ab hoſtibus, ſi poſtliminio redierit, recipit omnia jura & actiones medio tempore natas, ac ſi numquam fuiſſet in poteſtate hoſtium; *l. in bello*, §. *cætera*, *l. retro creditur*, *de captiv. & poſtlim. reverſ.* Hinc ſi cum quis in hoſtium poteſtate eſſet, furtum ei factum ſit, & poſtliminio redierit, habet furti actionem; *l. ſi cum quis*, *de furt.* Captus ab hoſtibus poſtliminio recipit omnia quæ ſunt juris, ſed non reſtituitur in his quæ ſunt facti: puta ſi is, qui rem alienam poſſidebat, & uſucapere cœperat, captus ſit ab hoſtibus, captivitate fit ſervus hoſtium, & deſinit poſſidere, & ita interrumpitur uſucapio: & ſi redeat ab hoſtibus, poſtliminio non reſtituitur poſſeſſioni & uſucapioni cœptæ, ut fictione poſtliminii videatur medio tempore poſſediſſe & uſucepiſſe, quia fictio poſtliminii non habet locum in his quæ ſunt facti; *d. l. in bello*, §. *facti*.

Si quis poſt noxam admiſſam, puta furtum, captus ſit ab hoſtibus, captivitate fit ſervus hoſtium, & ſervitute quaſi morte extinguitur actio furti: ſed ſi poſtliminio redierit, naſcitur ea actio, id eſt fictione poſtliminii reſtituitur, & quaſi renaſcitur; *d. l. ſi cum quis*, §. *ult. l. 2. in fin. ſi ex noxal. cauſ. agat.*

Servus fugitivus furtum ſui facere intelligitur; *l. ancilla de furt. l. 1. C. de ſerv. fugitiv.* ne uſucapi poſſit; Martial. libr. 11. epigr. 55.

A pedibus didicere manus peccare protervæ:
Non miror furem, qui fugitivus erat.

Etſi ſicut ſervus, qui eſt in fuga, aliarum rerum poſſeſſionem intervertere non poteſt, ita ne ſuam quidem poteſt; *l. rem quæ nobis*, † *de acquir. poſſ.* Et ſi quis bona fide ſervum alienum emerit a non domino, & is fugerit ab emptore, videtur poſſidere quoad uſucapionem; *l. ſervi & filii*, §. *ult. de furt. l. ſervi nomine*, *de uſucap.*

Partus ancillæ, qui eſt in utero, pro nato habetur; *l. qui in utero* 26., *de ſtat. hom.* ut ſi ancilla prægnans venierit in fraudem creditorum, partum quoque reſtitui oportet; *l. ult.* §. *Proculus*, † *quæ in fraud. cred.* Et ſi ancilla prægnans ſubrepta ſit, & apud furem edatur partus ancillæ, furtivus eſt, & uſucapi non poteſt; *l. qui vas*, §. *ſi ancilla*, *de furt.* quia pro nato habetur; *d. l. qui in utero.* Sine liberis deceſſiſſe non videtur, qui reliquit uxorem prægnantem; *l. ſi quis præ-*

Source : BIU Cujas

prægnantem, *de R. J.* Si posthumo proximus substitutus sit, qui est in utero, moram facit inferioribus; *l. cum quidam*, §. 1. *de adqu. hered.* & legitima hereditas defertur posthumo. Et hoc est quod dicitur in *d. l. qui in utero*, legitimas hereditates posthumis restitui, quia restitui potius videntur, quam dari posthumo suo.

Actio furti est in duplum vel quadruplum: in actione furti duplum æstimatur quanti umquam res plurimi fuit: puta si res pretiosior facta sit, duplum æstimatur, quanti fuit cum pretiosior facta fuerit, quia hinc furtum factum esse verius est; *l. in furti actione*, *de furt.* Id est furtum esse intelligitur, quo tempore res pretiosior facta est, quia fur semper est in mora; *l. in re furtiva*, *de condict. furtiv.* & furtum quasi repetitum fingitur, cum res pretiosior facta est.

CAPUT XIII.

Tutor in rebus pupilli pro domino habetur. Mutus, surdus, furiosus, infans, pro absentibus habentur. Canonici, qui sunt in obsequio Episcopi, & absentes studiorum causa, pro præsentibus habentur. Peculium est quasi patrimonium servi. Jus regaliæ non admittit possessionem per procuratorem.

NOn sine fictione tutor domini loco habetur in rebus pupillaribus, puta etsi nemo sit idoneus defensor litis alienæ, sine satisdatione judicatum solvi; *l. qui proprio*, † §. 2. *de procur.* tutor non satisdat; *l. ult.* §. *defensionem*, C. *de adm. tutor.* quia tutor quoad providentiam pupillarem, id est quoad curam & administrationem rerum pupillarium, & exercitium actionum, pro domino habetur; *l.* 1. §. *sufficit*, *l. tutor qui*, *de adm. tutor.* Lites pupillorum exercet quasi dominus, non quasi procurator. Hinc tutor potest transigere de furto rei pupillaris, & transactione furti actio extinguitur, quia tutor domini loco habetur; *l. si pignore*, §. *ult. l. interdum*, §. *qui tutelam*, *de furt.* Item tutor vel curator furiosi potest condicere rem furtivam pupilli, vel furiosi; *d. l. interdum*, §. *qui tutelam.* quod est proprium domini: condictio enim furtiva soli domino competit; *l.* 1. *de condict. furtiv.* Tutor domini loco habetur quoad administrationem: si enim subripuerit rem pupilli, & vendiderit, res quasi furtiva usucapi non potest, quoad in potestatem domini redierit, quia tutor domini loco habetur, cum tutelam administrat, non cum pupillum spoliat; *l. qui fundum*, §. † *si tutorem*, *pro empt.*

Fictione juris mutus, surdus, furiosus, infans, pro absentibus & ignorantibus habentur, quia non habent intellectum, non possunt consentire, nec dissentire. Hinc qui mutum, surdum, furiosum, infantem, exhibet, non videtur eorum præsentiam sistere; *l. ult. de V. S. l. ubi non*, *de R. J.* Surdo & muto legatum adquiritur, quia ignorantibus adquiritur; *l. cum pater*, §. *surdo*, *de legat.* 2.

Duo canonici, qui sunt in obsequio seu servitio Episcopi, integros fructus præbendarum percipiunt, quia pro præsentibus habentur; *cap. de cætero*, *cap. ad audientiam*, *de cleric. non resid.* conc. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. Eadem ratione absentes quoque studiorum causa fructus præbendarum, præter distributiones quotidianas, per quinquennium lucrantur, dummodo studeant in studio universali, seu celebri universitate; *cap. tuæ*, *de cleric. non resid. cap. un. eod. tit. in 6. cap. licet*, *de præbend. cap. super specula*, *de magistr. cap.* 2. *de privileg. in 6.* Etiam jure civili, qui abest studiorum causa, pro præsente habetur, ut in *l. quæsitum*, *de legat.* 3. si fundus instructus legetur, Stichus servus, qui ex eo fundo abest studendi causa, legato continetur.

Source : BIU Cujas

Servus, qui habet peculium, est quasi dominus, domini loco habetur. Peculium est quasi patrimonium servi; *l. peculium, de pecul. l. si decem heredi, de statulib.* quia illud habet volente & connivente domino, & quasi conniventibus oculis; *l. 4. de manumiss.* Hinc servus peculii dominus dicitur, & servus ordinarius, qui habet servum in peculio, quem vicarium vocitant, dominus dicitur; *l. si servus meus, de pecul.* quia habet liberam administrationem: tamen re vera peculium servi manet in possessione & dominio domini. Dominus peculium servi civiliter possidet per servum; servus peculium civiliter non possidet, sed naturaliter tantum; *l. quod servus meus, de adquir. poss.*

Jure civili per procuratorem possessio adquiri potest; *l. 1. C. de adqu. possess.* quia est magis facti, quam juris. Moribus nostris civilis possessio beneficii assumpta per procuratorem, quasi fictitia non impedit vacationem ipsius quoad regaliam, nec excludit jus regaliæ, quia regalia non admittit fictionem, & beneficium de facto & de jure repleri oportet, ne detur locus regaliæ; Chopin. *de doman. libr. 2. tit. 9. n. 15.* Charond. *1. resp. 11.*

CAPUT XIV.

Fructus pendentes pars fundi videntur. Bonæ fidei possessor, quoad fructus percipiendos pro domino habetur. Qui litis æstimationem præstitit, pro emptore habetur.

FRUCTUS pendentes pars fundi videntur; *l. fructus pendentes, de rei vindic.* id est legis intellectu, fructus quandiu solo cohærent, pars fundi esse videntur, ut veniant in rei vindicatione fundi nomine, vel in legato usufructus; *l. si pendentes, de usufr.* vel in venditione fundi, si fundus venierit pendentibus fructibus; *l. ult. §. pen. quæ in fraud. cred.* vel ut augeant hereditatis æstimationem, in ponenda ratione legis falcidiæ; *l. in Falcidia 9. ad l. falcid.* Fructus pendentes pars fundi videntur, quia radicibus hærent solo. Nec obstat, quod legato fundo cum omnibus, quæ ibi sunt, legato non continentur, quæ ad tempus, non in perpetuum, ibi sunt; *l. si fundus, l. qui saltum, l. quæsitum, de legat. 3.* unde videbantur fructus pendentes non esse fundi, quia ibi non sunt in perpetuum, sed ad tempus, ut a solo seperentur & demetantur, statim atque maturuerint. Verumtamen in vindicatione & aliis causis fructus pendentes pars fundi videntur, quia jure & potestate soli nascuntur, crescunt, percipiuntur potius, quam jure seminis & culturæ: & hac de causa una cum fundo veniunt in rei vindicatione, in legato usufructus, in venditione, & in ratione falcidiæ, quasi pars fundi. Eadem ratione si colonus, id est conductor prædii, fructus pendentes alii vendiderit, emptor furti actione non tenetur, quamdiu fructus solo cohærent, quia interim fructus pendentes sunt fundi, furtum non fit rei immobilis, sed mobilis tantum; *l. 1. de distract. pign.* Sed si emptor fructus clam deportaverit, in causam furtivam incidunt, id est condicuntur condictione furtiva; *l. si servus 61. §. locavi, de furt.*

Bonæ fidei possessor fructus percipiendo, id est statim atque a solo separati sunt, suos facit, quia quoad fructus percipiendos pro domino habetur; *l. bonæ fidei, de adqu. rer. dom. l. qui scit, de usur.* Fructus ad bonæ fidei possessorem pertinent: in fructibus percipiendis magis possessio quam dominium spectatur. Et bonæ fidei possessor, ut fructus suos faciat, pro domino habetur. Hoc jure cum quæritur, an collatio beneficii, vel præsentatio valeat, magis spectatur possessio quam jus, id est quisnam sit in possessione conferendi vel præsentandi; *cap. querelam, de elect. cap. cum ecclesia Sutrina, cap. cum olim,*

de

Source : BIU Cujas

de cauſ. poſſeſſ. & propriet. cap. conſultationibus, cap. ex litteris, de jur. patron. Quia collatio & præſentatio eſt in fructu, fructus magis percipiuntur jure poſſeſſionis, quam dominii.

Ex lege † Atinia res furtiva nullo tempore uſucapi poteſt, priuſquam in poſſeſſionem domini redierit, quia vitium rei furtivæ non purgatur, priuſquam redierit in poſſeſſionem domini; *l.* 4. §. *quod autem, de uſucap. l. quamvis* 84. *de furt.* Tamen ſi fur eo nomine litis æſtimationem præſtiterit, vel eam emerit a domino, id eſt a bonæ fidei poſſeſſore, incipit jam uſucapere; *d. l. quamvis*, quia vitium rei furtivæ purgatur emptione, vel litis æſtimatione: ex eo incipit poſſidere pro emptore, quia qui litis æſtimationem præſtitit, pro emptore habetur; *l. ejus rei, de* † *rei vindicat. l. Celſus, de uſucap. l. ſi ſervus*, §. *& ideo, de evict. l.* 1. *l. litis æſtimatio, pro empt.*

CAPUT XV.

Damnatus capitali judicio, ſtatim pro mortuo habetur. In criminalibus appellatio extinguit judicatum. Damnatus in metallum fit ſervus pœnæ. Servi pro mortuis fere habentur. Conſtante matrimonio deportatæ mulieri, poſtea ſoluto matrimonio, datur actio de dote, quaſi nata ante deportationem.

DAMNATUS capitali judicio ſtatim pro mortuo habetur; *l.* 1. §. *filium, de bon. poſſ. contr. tab. l.* 5. *de bon. damnat.* quia ſervus pœnæ efficitur; *d. l.* 5 *& l.* 1. *de ſent. paſſ. & reſtit.* unde non poteſt teſtari; *l. ſi quis filio*, §. *ſed & ſi quis, de injuſt. rupt. teſtam.* Servitus pœnæ morti comparatur. Et ſi mulier capitis damnata ſit, ex cauſa quæ non publicat dotem, dos cedit lucro mariti, quaſi mortua ſit, quia priuſquam pœna capitis plectatur, ſerva pœnæ efficitur; *d. l.* 5. *de bon. damnat.*

Pro damnato habetur, qui non provocavit. Si enim reus damnatus provocaverit, interim damnatus non videtur; *l.* 2. §. *ult. de pœn.* In criminalibus appellatio extinguit judicatum; *l.* 1. in fin. *ad Turpill. l. furti*, §. 1. *de his qui not. infam.* In civilibus cauſis appellatio ſuſpendit tantum judicatum; *l. & in majoribus*, C. *de appellat. l. ſi cauſa cognita*, C. *de tranſact.* In criminalibus appellatio extinguit judicatum ſpeciali ratione, favore ſcilicet rei damnati. Ob id ſi damnatus appellaverit, interim poteſt teſtari, quia eſt certi ſtatus, id eſt liber, nec ipſe de ſe interim certus; *l. ſi quis filio*, §. *hi autem, de injuſt. rupt. teſtam.*

Damnatus in metallum ſtatim fit ſervus pœnæ, id eſt ſtatim civitatem & libertatem amittit; *l. in ſervorum* §. 1. *l. quod ad ſtatum, l. qui ultimo, de pœn.* etiam ante executionem ſententiæ, quia ſententia capitalis trahit ſecum executionem, ut ſententia excommunicationis; *cap. paſtoralis* §. 1. *de appellat.* Damnatus in metallum fit quaſi ſervus pœnæ, non Cæſaris ſeu fiſci. Hinc ſi quid damnato in metallum teſtamento relictum ſit, pro non ſcripto habetur; *l. ſunt quidam, de pœn. l.* 3. *de his quæ pro non ſcript. hab. l. in metallum, de jur. fiſc.* Et damnatus in metallum ſtatim deſinit liberos in poteſtate habere; §. *pœnæ, inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv.* Tamen ſi damnatus in metallum beneficio Principis pœna liberetur, fit ſervus fiſci; *l. fruſtra, C. de ſent. paſſ. & reſtit.* Item conceptus ex fœmina metallica fit ſervus fiſci; *l. generaliter*, §. *ſi ſervus, & ſeq. de fideic. libert.* Hodie damnatio in metallum non efficit ſervum pœnæ, non ſolvit matrimonium; *nov.* 22. *de nupt. cap.* 8.

Servi pro mortuis fere habentur; *l. ſervitutem, de R. J.* quia nullam juris civilis communionem habent, puta teſtamentum facere non poſſunt; neque

Source : BIU Cujas

ex testamento capere, neque testes adhiberi in testamento; *l. filiusf. l. qui testamento*, §. *servus*, *qui test. fac.* nec funguntur civilibus officiis, puta non possunt dari judices; *l. cum prætor*, §. † 2. *vers. moribus*, *de judic.* nec arbitri compromissarii; *l. sed si in servum*, *de* † *recept.*, *& qui arbitr. recep.* Item servi appellare non possunt, sed dominus eorum nomine; *l. servi*, *de appellat.* Et servus in capitali judicio, fortunæ judicio a domino commissus, id est si a domino non defendatur, si fuerit absolutus, non fit liber; *l.* † *servus*, *de stat. homin.* quia reus innocentiam suam debet purgare, innocentia reus purgatur; *l.* 5. *de public. judic.*

Damnata muliere ex quinque legibus judiciorum publicornm, majestatis, vis publicæ, parricidii, veneficii, homicidii, dos publicatur; *l.* † 3. *de bon. damnat. l.* † *si constante*, §. *ult. solut. matrimon.* Si mulier damnata sit ex alia lege, dos non publicatur; imo cedit lucro mariti, ex stipulatione scilicet de dote lucranda. Cessante stipulatione, si mulier sit filiaf. patri datur actio de dote: si mulier sit sui juris, interim constante matrimonio, quia deportatione non solvitur matrimonium, nisi inter volentes, dos penes maritum remanet; postea vero soluto matrimonio morte viri vel divortio, mulieri datur actio de dote, quasi humanitatis intuitu hodie nata actione; *l.* † 5. *de bon. damnat.* Constante matrimonio deportatæ mulieri, postea soluto matrimonio datur actio de dote, quasi hodie nata humanitatis intuitu; *d. l.* 5. quia mulier deportata de jure non habet actionem dotis; *d. l. si constante.* sed humanitatis intuitu, ut consulatur mulieri de dote servanda, datur ei, post deportationem soluto matrimonio, actio de dote quasi hodie nata, id est ante deportationem. Et actio de dote fingitur nata eo tempore, a quo incipere potest.

CAPUT XVI.

Dotis causa perpetua fingitur. Patri datur actio injuriarum nomine filii, quia injuria patri facta videtur. Stipulationi de dote reddenda soluto matrimonio, non est locus ficto divortio. Non valet permutatio beneficii cum beneficio de pertica.

DOTIS causa perpetua est; *l.* 1. *de jur. dot.* Dotis causa perpetua esse fingitur, licet morte vel divortio soluto matrimonio dos redeat ad mulierem, tum quia dote transfertur dominium in maritum; *l. in rebus*, *C. de jur. dot. l. doce ancillam*, *C. de rei vindic.* & dominii causa perpetua est; *l. id quod nostrum*, *de R. J.* cum quia dos eo voto datur, ut perpetuum sit matrimonium, & dos semper maneat apud virum; *d. l.* 1. Spectatur votum contrahentium potius quam eventus, sicut cum dicimus liberos vivo patre esse quasi dominos; *l. in suis*, *de liber. & posth.* spectatur votum parentum, cum omnia quæ nostra sunt, liberis ex voto paremus; *l. pen.* §. *sed numquid*, *de bon. libert.* Ut honor delatus perpetuus intelligitur, qui finem certi temporis non habet; *l. jurisperitos*, *de excus.* Perpetuæ actiones dicuntur, quæ ex constitutionibus tolluntur præscriptione xxx. vel xl. annorum; *l. sicut in rem*, *l. cum notissimi*, *C. de præscript.* 30. *ann.* & actio suppositi partus nulla temporis præscriptione extingui fingitur; *l.* † *qui falsam*, §. 1. *ad l. Cornel. de fals.* quia non angustiori tollitur præscriptione, quam † vicenaria; *l. querela*, *C. eod.*

Si mulier offensa calore iracundiæ, discesserit a viro, & brevi redeat, nec divortium videtur; *l. quidquid*, *de R. J.* Brevi redintegrato matrimonio, non divortium, sed frigusculum seu jurgium fuisse videtur: idem matrimonium, eadem dos permanet; *l. quod si non*, *de jur. dot.* quasi spongia deleto medio tempo-

tempore. Donatio inter conjuges divortio quasi pœnitentia revocatur, & instaurato matrimonio restituitur. Quod si non divortium interceſſerit, sed friguſculum, donatio inter conjuges ante facta valet, id est non videtur divortio ſublata, quasi non mutata voluntate, si friguſculum quievit ; *l. cum hic ſtatus*, §. *quid ergo*, *& ſeq. de donat. int. vir. & uxor*. Tamen si mulier dimiſſa mox reducta sit, non potest accusari adulterii in priore matrimonio admiſſi, quasi eodem matrimonio manente: prioris enim matrimonii delicta vir abolevit reducendo eam ; *l. ſi uxor*, §. *pen. ad leg. Jul. de adulter.*

Filio injuriam passo, patri competit actio injuriarum, quia injuria patri facta videtur, propter affectum parentum in liberos ; *l.* 1. §. *uſque adeo*, *de injur.* Si filius pecuniam dederit metu mortis, servitutis, aut stupri, patri datur actio, quod metus causa: nihil interest in se quis vereatur, an in liberis, cum pro affectu parentes magis in liberis terreantur ; *l. iſti quidem*, in fin. *quod met. cauſ.* Pater injuriam vim & metum passus videtur in persona filii, in funere filii pater vulnus accipere videtur: morres liberorum, tot vulnera patri; Cornel. Nepos in Dione: *Accepit graviſſimum parens vulnus morte filii*. Quintil. 6. inst. in procem. *Repetito vulnere orbitatis*. Tacit. in Agricol. *Initio æſtatis Agricola domeſtico vulnere ictus anno ante natum filium amiſit*.

Si quis pro alio dotem dederit, & stipulatus sit dotem reddi morte mulieris soluto matrimonio, & ejus qui dotem dedit circumscribendi causa, ficto divortio matrimonium rescissum sit, conditio stipulationis non deficit, quia nec imaginario divortio solvitur matrimonium : atque ideo postea morte mulieris committitur stipulatio, perinde ac si nullum divortium extitisset ; *l.* 3. *C. de repud.* Ficto divortio non solvitur matrimonium, quia fictio, quæ nunquam dolo caret, non debet nocere alteri.

Non valet permutatio beneficii eccleſiastici cum beneficio ficto & imaginario, quod vocant de pertica. In spiritualibus illusio maxime vitanda est ; *cap. bonæ memoriæ*, 2. *de poſtul. Præl. clem. unic. de renunc.* Oldrad. *conſ.* 324. Gomez *in reg. de infirm. qu.* 19. Rebuff. *in prax. part.* 3. *de permut. num.* 14. *&* 15.

CAPUT XVII.

Filius a ſenatore in adoptionem datus plebejo, quaſi ſenatoris filius habetur. Senatores, licet in urbe domicilium habeant, & ibi unde oriundi ſunt domicilium habere videntur. Conditio tacita ineſt fideicommiſſo, ſi ſine liberis. Proconſul provinciam ingreſſus intelligitur ob neceſſariam moram in itinere. Officium proconſulis durat in adventum ſucceſſoris, quia unus magiſtratus intelligitur. Pater non videtur habere liberos in poteſtate, qui ipſe eſt in poteſtate patris.

Filius a senatore in adoptionem datus plebejo, nec emancipatus, quasi senatoris filius habetur ; *l.* † *ſenatoris*, *l. emancipatum*, *de ſenator.* quia datio in adoptionem, vel emancipatio, licet a patre non fiat invito filio, non debet nocere filio. Per adoptionem dignitas non minuitur, sed augetur ; *l. per adoptionem*, *de adopt.*

Senatores licet in urbe domicilium habere videantur, tamen & ibi unde oriundi sunt domicilium habere intelliguntur, quia dignitas domicilii potius adjectionem dediſſe, quam permutasse videtur ; *l. Senatores*, *de ſenator*. Senator creatus desinit esse municeps, quantum ad onera municipalia, non quantum ad honorem ; *l. municeps*, *ad municipal.* Hinc si senatori modicum legatum sit,

Source : BIU Cujas

puta certum auri vel argenti pondus, legatum Romæ præstandum est, licet major pars hereditatis sit in provincia, quia non est verisimile testatorem, qui honoris causa legavit, modicum honoris causa relictum in provincia præstari voluisse; *l. sed etsi* 52. §. *sed etsi*, *de judic.* Municeps creatus senator, licet domicilium in urbe adquirat, prius domicilium non amittit. In provinciis multi erant senatores, qui Romam non attigerant; Augustin. de civit. libr. 4. cap. 17. *Numquid non multi senatores sunt in aliis terris, qui Romam nec de facie quidem norunt?*

Filius heres institutus, & pure rogatus restituere hereditatem, sub hac conditione tacita intelligitur rogatus, si decesserit sine liberis; *l. cum avus*, *de condit. & dem.* quia nemo præsumitur alienas successiones suis anteponere; *l. cum acutissimi*, *C. de fideicommissis*.

Proconsul non potest mandare jurisdictionem legatis, priusquam provinciam ingressus sit: excipitur unus casus singularis, si necessariam moram in itinere patiatur, hoc casu potest mandare jurisdictionem legato prius perventuro in provinciam; *l.* 4. in fin. *& seq. de offic. proconf.* quia proconsul provinciam ingressus fingitur, qui necessariam moram in itinere patitur.

Officium proconsulis durat in adventum successoris, cum sit unus proconsulatus; *l. meminisse*, *de offic. proconf.* Proconsul finito tempore proconsulatus potest jus dicere, & omnia, quæ agenda sunt, agere in adventum successoris, quia una est provincia, unus magistratus; & proconsul, qui accipit successorem, una & eadem persona intelligitur cum successore; *d. l. meminisse*. Tamen proconsules proxime successorem accepturi, non solebant quid decernere vel judicare; M. Tull. 3. fam. 6. ad Appium: *Malivoli homines conabantur alienare a te voluntatem meam, qui te forum Tarsi agere, statuere multa, decernere, judicare dicerent, cum possis jam suspicari, tibi esse successum, quæve ab iis quidem fieri solerent, qui brevi tempore sibi succedi putarent.* Immo & proconsules vel alii magistratus provinciales non solebant judicare jubere eo die, quo privati futuri essent; *l. eum qui*, *de jurisdict.* Cajum Licinium prætorem eo nomine perstringit Liv. libr. 42. *M. Popilius rogatione Martia bis apud C. Licinium causam dicit. Tertio Popiliæ familiæ precibus victus, idibus martiis adesse reum jussit, quo die novi magistratus inituri erant honorem.*

Lege Julia de adulteriis, patrif. licet occidere adulterum deprehensum cum filia, quæ est in potestate; quod non permittitur patri filiof. in sua enim potestate non videtur habere, qui non est suæ potestatis; *l. patri*, *& seq. ad leg. Jul. de adult.* Qui est in potestate patris, non videtur habere proprium filium in potestate, quia ipse non est suæ potestatis.

CAPUT XVIII.

Emancipatio tacita. Libellus oblatus Principi pro lite contestata habetur. Possessio immobilium pro satisdatione est. Prætor dum cognoscit, an sua sit jurisdictio, non videtur jus dicere in causa sua. Creditor pignus distrahere videtur consensu debitoris. Cum incapaci legatur, ut restituat capaci, submota persona incapacis, statim ab herede legatum videtur capaci. Mutua delicta quasi compensantur.

Olim emancipatio fiebat per trinam imaginariam venditionem; §. *præterea*, *inst. quib. mod. jus patr. solv. l. ult. C. de emancipat. liber.* Hodie emancipatio fit apud acta; *l. emancipatione*, *C. de fid. instrum.* id est in jure apud magistratum actis intervenientibus; *l. pen. C. de emancip.* Alia est emancipatio

tio expreſſa & ſolemnis, quæ fit apud magiſtratum : alia tacita ; quæ fit ſine magiſtratu. Si pater diu paſſus ſit, ſaltem per decennium, filium ut patremf. quaſi emancipatum agere, id eſt vivere ſeorſim a patre, is pro emancipato habetur ; *l. poſt, de adopt. l. 6. C. de petit. hered. l. 1. C. de patr. poteſt.* Patria poteſtas remittitur patientia, & tacita voluntate patris. Plus eſt facto quam verbis voluntatem ſignificare.

Præſcriptio triginta annorum lite conteſtata interrumpitur ; *l. 3. l. cum notiſſimi, §. immo & illud, C. de præſcript. 30. ann.* Libellus oblatus Principi pro litis conteſtatione habetur ; *l. † 1. C. quand. libell. Princip. datus.* Libello oblato Principi, lis quodammodo fingitur conteſtata, non ut quælibet præſcriptio interrumpatur, ſed tantum præſcriptio annalium actionum ; *d. l. 3. & l. 2. C. quand. libell. Principi † datus.* Libello dato Principi actiones annales perpetuantur, quia facilius interrumpitur præſcriptio annalium actionum, quam perpetuarum, quæ durant triginta annis, ut præſcriptio, quæ eſt durior, coerceatur. Alias oblatio libelli Principi non habet vim in jus vocationis ; *l. libertus, de in jus voc. l. quæſitum, ad Turpill.*

In jus vocatus duci, & ſi non ſequatur, rapi obtorto collo poteſt, niſi idoneum fidejuſſorem judicio ſiſtendi cauſa offerat ; *l. 5. §. 1. qui ſatisd. cog. l. 1. de in jus voc. ut eant.* Fidejuſſor judicio ſiſtendi cauſa idoneus ſeu locuples dandus eſt pro rei qualitate, exceptis neceſſariis perſonis, puta parente vel patrono : ibi enim qualiſcumque fidejuſſor pro locuplete habetur ; *l. 2. & 3. de in jus voc. ut eant.* Extra hos idoneus fidejuſſor non habetur, qui habet privilegium fori, qui conventus poteſt ſe tueri exceptione fori. Si quis in jus vocatus fidejuſſorem dederit judicio ſiſtendi cauſa, non obnoxium jurisdictioni ejus, ad cujus tribunal vocatur, pro non dato fidejuſſore habetur, niſi ſpecialiter renuntiaverit privilegio fori ; *l. 1. ſi quis in jus voc. non ierit.* Poſſeſſores rerum immobilium non tenentur ſatiſdare judicio ſiſtendi cauſa ; *l. ſciendum, qui ſatiſd. cog.* quia poſſeſſio immobilium pro ſatiſdatione eſt. Prædium eſt vice pignoris, vel fidejuſſoris. Idem in tutoribus & curatoribus dandis. Qui poſſidet idonea prædia, non tenetur ſatisdare rem pupilli vel adulti vel furioſi ſalvam fore ; *l. ult. §. ſin autem 6. C. de cur. fur.* Tutor etiam teſtamento datus, non tenetur ſatisdare, quia teſtimonium paternum pro ſatisdatione eſt ; *l. teſtamento 17. de teſt. tutel. §. 1. inſt. eod. † de ſatisdat. tutor*, in princ. *d. l. ult. §. etſi quidem, l. de creationibus, C. de epiſc. aud.*

Ex quacumque cauſa in jus vocatus ad prætorem, vel alios qui jurisdictioni præſunt, venire debet, ut hoc ipſum ſciatur, an jurisdictio ejus ſit ; *l. ex quacumque cauſa, ſi quis in jus voc. non ierit, l. 5. de judic.* id eſt ut alleget privilegium fori : nec ipſe prætor vel alius videtur judex in cauſa ſua, quia ſibi jus non dicit, ſed partibus : munus judicandi eſt publicum & neceſſarium ; *l. ult. §. judicandi, de muner. & honor.*

Creditor pigneratitius ceſſante debitore, poſt trinam denuntiationem debitori factam, diſtrahens pignus ſub haſta, transfert in emptorem dominium quod non habet ; *l. non eſt novum, de adquir. rer. dom.* quia videtur diſtrahere ex tacita voluntate debitoris : vel pignus videtur diſtrahi ab ipſo debitore, vel ejus conſenſu, ex tacito pacto, quod ineſt contractui pignoris ; *l. ſi ceſſante, C. de diſtract. pign.*

Incapaci legari poteſt, ut reſtituat capaci ; *l. cum ei qui, de legat. 2. l. ſi fidei, de legat. 3. l. cogi, §. hi qui ſolidum, ad Trebell.* quia non interpoſita, ſed capientis perſona ſpectatur : id eſt ſubmota perſona incapacis, ſtatim ſine medio ab herede legatum relictum videtur capaci, & incapax fit capax propter capacem ; *l. ſi is qui duos, de liberat. legat. l. cum dotem, ad leg. falcid.*

Mutua delicta non compenſantur, ad hoc ut impunita maneant, quia impunita maleficia eſſe non oportet ; *l. ſi longius, §. 1. de judic. l. ita vulnera-*

Source : BIU Cujas

tus, §. 1. *ad leg. Aquil.* In delictis nulla fit compensatio : nec enim ulla est societas vel communicatio maleficiorum ; *l.* 1. §. *plane*, *de tutel. & rat. distrah.* puta si mulier adulterii accusetur a marito, non potest adulterium vel lenocinium viro objicere compensationis causa, ut liberetur compensatione mutui criminis : non relatione criminis, sed innocentia reus purgatur ; *l.* 5. † *de public. judic.* Sed potest objicere adulterium vel lenocinium, ut vir damnetur ; *l. viro*, *l. cum mulier*, *solut. matrim. l. si uxor*, §. *judex*, *ad l. Jul. de adulter.* Tamen mutua delicta quasi compensantur, & quasi compensatione tolluntur, ut neuter adversus alterum eo nomine actionem habeat : puta mulier, quæ accusatur adulterii a marito, potest ei objicere crimen adulterii vel lenocinii, ad hoc ne liceat accusare uxorem, & quasi compensatio fiat. Et ita accipiendum est quod dicitur in *d. l. viro*, paria delicta mutua pensatione dissolvi. In mutuis delictis ex mente, id est interpretatione legis Juliæ, quasi compensatio admittitur : & † cum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur : cur enim improbet maritus mores, quos ipse aut corrupit, aut probavit ? *d. l. cum mulier*. In aliis delictis etiam quasi compensatio fit. Si quis in jus vocatum, qui vocari non debuit, sine venia prætoris vi exemerit, non tenetur edicto *ne quis eum qui in jus* † *vocabitur*. Non deliquit qui exemit, si deliquit qui in jus vocavit ; *l.* 1. §. *Offilius*, *ne quis eum*, *qui in jus* † *vocabitur*, *vi eximat*. Similiter dolus compensatur cum dolo, ut si actor & reus dolo fecerint, invicem de dolo non agent ; *l. si duo*, *de dol.* Et si actor & reus mutuo stipulati sunt pœnam judicio sistendi causa, & alter alterius dolo mutuo impeditus sit, ne ad judicium veniat, neuter tenetur pœna edicti, ab utraque parte dolo compensando ; *l.* 3. §. *si & stipulator*, *de eo per quem fact. erit*, *quominus*, *quis in judic. sist. l. cum par*, §. 1. *de R. J.*

CAPUT XIX.

Variæ fictiones in nominibus.

TOTUM jus gaudet fictionibus, non modo in rebus, sed etiam in ipsis verbis. Dardanarii sunt, qui annonæ species coemere solent, ut carius vendant : quam ob causam dicuntur annonam adtemptare, vexare, onerare ; *l. annonam*, *de extraord. crim. l. in dardanarios*, *de pœn.* Annona adtemptari, vexari, onerari dicitur, quia annonæ caritate plebecula adtemptatur, id est atteritur, vexatur, oneratur. Simili figmento annonam incendere, excandefacere dicuntur annonæ coemptores, quia annonæ inopia, quasi igne plebs consumitur ; Varro de re rustic. libr. 3. cap. 2. *Aut collegiorum cœnæ*, *quæ tunc innumerabiles excandefaciebant annonam macelli*. Et paulo post : *Quotus quisque enim annus est*, *quo non videas epulum aut triumphum*, *aut collegia non epulari*, *quæ nunc innumerabiles incendunt annonam*. Hinc annonæ incendium pro annonæ caritate ; Quintil. declam. 12. *Etiam si quid residui erat*, *ut carius quidam venderent*, *ad annonæ incendium suppressum est*. Et Manil. libr. 4.

Et gravia annonæ speculantem incendia ventis
Credere opes.

Pari colore annonam flagellare dicebantur, qui universam annonam coemebant, ut suo pretio eam venderent, quia annonæ angustiis quasi flagello plebs percuti videbantur ; Plin. libr. 33. cap. 13. *Pretia rerum omnibus annis mutari*, *prout navigationes constiterint*, *aut aliquis prævalens manceps annonam flagellet*. Simili schemate Martial. libr. 2. epigr. 30. *Arca flagellat opes*, id est premit, supprimit ; Turneb. 22. *adv. cap. ult.* Cujac. 10. *obs.* 19. & † 11. *obs.* 10.

A no-

Source : BIU Cujas

A noſtris peſtilens fundus dicitur non ſine arte fingendi, fundus cælo inſalubris, vel qui noxias herbas parit: & redhibitioni locus eſt, ſi peſtilens fundus venierit; *l. etiam in fundo, de ædil. edict. l. pen. §. idem, C. eod.* † *de ædilit. action.* Varro de re ruſtic. libr. 1. cap. 4. *Utiliſſimus autem is ager, qui ſalubrior eſt, quam alii, quod fructus ibi certus, contra quod in peſtilenti calamitas.* M. Tull. 2. in Rullum: *In Salpinorum peſtilentiæ finibus.* Idem 3. offic. *Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipſe novit, ceteri ignorent, peſtilentes ſint, & babeantur ſalubres.* Plin. libr. 18. cap. 2. *Salubritas loci non ſemper incolarum colore detegitur, quoniam aſſueti etiam in peſtilentibus durant.* Eodem genio fingendi fœnei defectique agri dicuntur in *l. 3. C. Th. de indulg. debit.* ſteriles & ſquallidi agri, fœnea poſſeſſio, quæ nullos fructus fert; *nov. Juſt. 7. cap. 12.*

In locatione vectigalium calor licitantium pro concertatione pluris licentium notatur: locatio vectigalium fit pluris licenti; & ſi fiat ultra modum conſuetum calore & ſtudio licitantis, non eſt admittenda, niſi qui licitatione vicerit, fidejuſſores & cautionem, id eſt pignora offerre paratus ſit; *l. locatio, de publican.* Eadem analogia animoſe liceri dictum in *l. ſi pignori, famil. erciſc.* Animoſior licitatio damnatur, quanto magis in venditione quæ fit ſub haſta, ne falſi licitatores apponantur vetitum eſt; M. Tull. 3. offic. *Tollendum eſt igitur ex rebus contrahendis omne mendacium, non licitatorem venditor, nec qui contra ſe liceatur emptor apponet.* Simili genere fictionis inconſultus calor accuſatoris excuſatur, quia inconſultus calor calumniæ vitio caret; *l. 1. §. quæri, ad Turpil.* Et in *l. nec in ea lege, §. ult. ad l. Jul. de adulter.* mariti calor, id eſt impetus doloris facile decernentis in uxorem deprehenſam in adulterio, coercetur.

Breve divortium inter conjuges, non divortium, ſed friguſculum dicitur; *l. cum hic ſtatus, §.* † *quod ſi divortium, de don. int. vir. & uxor.* Frigus eſt levis offenſa inter amicos; Senec. epiſt. 122. de Montano: *Amicitia Tiberii notus & frigore.* Horat. libr. 2. Satyr. 1.

majorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Unde friguſculum dicitur, breve divortium inter virum & uxorem. Aliis noxia; Auſon. edyll. 5.

Sæpe in conjugiis fit noxia, ſi minima eſt dos.

unde vernaculum *noiſe*.

Non diſſimili figmento ſurdæ dicuntur & res inanimes, ac ſenſu carentes; Plin. libr. 18. cap. 3. *At tunc eadem, illa vincti pedes, damnatæ manus, inſcripti vultus exercent, non tamen ſurda tellure, quæ parens appellatur. Non ſurda tellus dicitur, quæ facile audit colonum, & ferens ſe coli a vinctis, fructus non denegat.* Idem libr. 24. cap. 1. *Surdis etiam rerum, ſua cuique ſunt venena.* Idem libr. 27. cap. 13. *Enimvero rerum omnium parens, nullum animal ad hoc tantum ut paſceretur, aut alia ſatiaret, naſci voluit, arteſque ſalutares inſeruit & viſceribus, quippe cum ſurdis etiam rebus inſeruit.*

Hereditas legitima ad liberos redire dicitur in *l. quo tutela, de R. J. & l. 3. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt.* quia a lege ſemper redit ad familiam, a patre ad liberos, & altius repetito jure, per patrem a majoribus defertur; *l. 3. de interd. & releg.* Terent. in Andria: *Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.* Idem in Hecyra: *Ea ad hos redibat lege hereditas.* Idem de legitima tutela; *d. l. quo tutela, & l. juriſconſultus, de grad. & affin.* Eodem ſenſu legitimæ hereditates dicuntur reſtitui; *l. qui in utero 26. de ſtat. homin.*

Conductor ædium, ædibus incenſis ipſius culpa, tenetnr actione ex conducto, quia ignem innocentem habere debet, id eſt innoxium; *l. videamus, §. ſi hoc, locat.* Ignem innocentem habere dicitur, qui ignem habet eo loco,

Source : BIU Cujas

quominus nocere possit, & ita ignem munit, ne evagetur; *l. si servus, §. si fornacarius, ad leg. Aquil.*

Qui furanti opem & auxilium tulit, furanti sinum præbuisse dicitur; *l. 6. §. ult. ad leg. Jul. pecul.* Sinus est pars inferior vestis, a genitalibus usque ad pedes; Hieronym. in Oseam cap. 28. *Quidam enim æstimant sinum dupliciter accipi, & inferiorem partem vestimenti, a genitalibus usque ad pedes, & colpum maris, id est sinum.* Inde intelligendus Tranquil. in Julio cap. 82. *Toga caput obvolvit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet.* Sinum præbere dicitur, qui furanti opem & auxilium quoquo modo fert, quasi sinum vestis, quæ erat pars ima & laxior vestis, præbeat ad suscipiendum & occultandum furtum. Et ita accipiendum est quod dicitur in *l. Divus, de bon. damnat.* si damnatus quod chirographum magnæ pecuniæ in sinu habuerit, in † pannicularia ratione non retineri. Veteres pecuniam in sinu vestis deponebant.

CAPUT XX.

Jurisconsulti usi fictitiis Caii, Seii, L. Titii, Sempronii, nominibus.

Juri civili placuit fictionum schema, maxime in nominibus. Hoc ingenio veteres jurisconsulti commentitiis nominibus Caii, Seii, L. Titii, Sempronii, usi sunt, uti Philosophi Dionis & Theonis; Plut. in Rom. quæst. 29. Διὰ τί τὴν νύμφιον εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, ὅπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα ... τοῖς δὲ ὀνόμασι τούτοις ἄλλοις κέχρηνται † κοινοῖς οὖσιν ὥσπερ οἱ νομικοὶ Γάϊον, Σήϊον, καὶ Λούκιον, Τίτιον, καὶ οἱ φιλόσοφοι Δίωνα, καὶ Θέωνα παραλαμβάνουσιν. *Quid causæ est, quod sponsum introducentes, jubent dicere, ubi tu Caius ego Caia ... His autem verbis aliisve utuntur communibus, quemadmodum Jurisprudentes C. Seium & L. Titium usurpare solent, Philosophi Dionem & Theonem.* Etiam ipsis patribus non displicuit idem figmentum nominum, ut e severioris disciplinæ elementis haustum; Tertull. apologetic. cap. 3. *Bonus vir C. Seius, sed malus tantum, quod Christianus, ego Lucium sapientem virum, repente factum Christianum, defero.* Et Optat. Milevit. libr. 3. adv. Donatist. *Jam illud quale est quod hominibus Christianis etiam clericis dicitis, estote Christiani. Et cum admiraculo quodam unicuique dicere, Cai Seii, aut Caia Seia, adhuc paganus es, aut pagana.* Idem libr. 6. *His enim verbis loqui non erubescunt, Cai Seii, Caia Seia, quamdiu te tenes.* Augustin. Homil. 29. *Dicturus es a Caio, a Lucio, a nescio quo quem pateris.* Salvian. de gubernat. Dei libr. 7. *Sed hoc tam rarum est, ac novum, quam rarum videri potest, quemlibet Gavium non esse Gavium, aut quemlibet Seium non esse Seium.* Poetis falsi artificibus ac professoribus hocce commentum nominum in deliciis fuisse, nihil est quod miremur; Tibull. libr. 1. eleg. 4.

Hæc mihi quæ canerem Titio Deus edidit ore,
Sed Titium conjux hæc meminisse vetat.

In nuptiis, quæ fiebant per coemptionem, solemni ritu novi conjuges dicti Caius & Caia; & sponsa sponsum his verbis salutabat: *Si tu es Caius, ego Caia.* ut, præter Plut. loco modo laudato, indicat Quintil. inst. libr. 1. cap. 5. *Nam & Caius, C. litera notatur, quæ inversa mulierem declarat, quia tam Caias esse vocitatas, quam Caios, etiam ex nuptialibus sacris satis apparet.* Et M. Tull. pro Muren. *Ut Caia, quia in alicujus libris exempli causa id nomen invenerant, putarunt omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Caias vocari.* Inde assis Caianus fuit nummus, quo in nuptiis fiebat coemptio; Stat. 4. silvar.

Emptum

Source : BIU Cujas

Emptum plus minus asse Caiano.

De jure consulentibus sub his commentitiis nominibus, de jure respondere forte solebant jurisconsulti, ut consultorum verecundiæ parcerent, qui nomen suum, res suas, negotiaque pandi in publicum vix ferebant, quod est familiare plerisque ingenium. Qua de causa consulturi jurisperitos adibant summo diluculo, ut arcano tempus opportunum captarent; Horat. sermon. libr. 1.

Agricolam laudat juris legumque peritus.
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.



DE FICTIONIBUS JURIS

TRACTATUS SEPTIMUS.

CAPUT I.

Nihil actum videtur, ubi non jure actum est. Servus communis ab uno ex dominis in solidum defendi debet noxali judicio, quasi totus unius esset. Quæ fiunt eodem die, eodem tempore fieri videntur. Obligatione generali res præsentes & futuræ obligari videntur. Servitute cognatio amittitur, quia servitus morti comparatur. Res abesse videtur, cui pretium abest. Non videtur possidere, qui possessionem retinere non potest. Rem in bonis habere videtur, qui habet actionem ad rem assequendam. Ex delicto quasi ex contractu nascitur actio.



Ihil actum videtur, ubi actum non valet: puta quoties vitiose cautum vel satisdatum est judicio sisti, non videtur cautum nec satisdatum *; l. quoties, ff. qui satisd. cog.* Puta si mulier, vel miles, vel minor 25. annis, vel servus, datus sit fidejussor, pro non dato habetur, & de integro cavendum est *; l. de die*, §. 1. §. *si servus, eod. tit.* Nihil actum videtur, ubi non jure actum est. Argentarius, qui dolo rationes edit, in totum non edit *; l. ubi, de edend.* Qui expromissorem dare stipulanti promisit, & per acceptilationem liberatus est, si dederit mulierem, quæ juvatur exceptione Vellejani, in eum datur condictio incerti, ut restituatur prior actio per acceptilationem sublata, quasi expromissorem non dedisset: nihil enim interest utrum non det expromissorem, an talem det, qui exceptione se tueri potest *; l. quamvis*, §. *si convenerit, ad Vellejan.* Qui alienam rem pignori accipit a non domino, nihil

nihil agit, id est nihil agere videtur ; *l.* 2. *de pigner. act.* quoniam verba legis accipienda sunt cum effectu ; *l.* † *pen.* §. 2. *ne quis eum, qui in jus vocabit. vi exim.* At res aliena pignori dari non potest ; *l.* 1. §. *cum prædium, de pignorib.* Qui facit contra legem, nihil agit, id est nihil agere videtur : puta præses provinciæ abdicando se, sine auctoritate scilicet Principis, non amittit imperium, id est non desinit esse præses ; *l. legatus, de offic. præsid.*

Si cum uno ex dominis noxali judicio agatur ex delicto servi communis, etiam pro parte socii satisdare debet judicio sisti ; id est in totum cavere debet, quia quodammodo totum suum hominem defendere debet, cui in solidum defendendi necessitas est ; nec auditur, si pro parte paratus sit defendere ; *l. si cum uno, si ex noxal. caus.* Quia servus pro parte noxæ dedi non potest, in solidum defendi debet.

Quæ fiunt eodem die, nullum inter se temporis discrimen habere videntur, ut in *l.* † *si fundus*, §. *pen. de pignorib.* si pignus eodem die duobus creditoribus pignori obligatum sit, utrique obligatur in solidum, quia eodem tempore obligatum videtur.

Si quis res suas simpliciter pignori obligaverit, non adjecto *tam præsentes quam futuras*, utrasque generaliter obligasse videtur ; *l. ult. C. quæ res pignor.* quia generalis hypotheca vel pignus contrahi solebat, tam præsentium quam futurorum, & cautiones, quæ interponi solebant, si forte omissæ sint, tacite interpositæ intelliguntur ; *l. quod si nolit*, §. *quia assidua, de ædil. edict.* Hac ratione si quis consenserit alienationi pignoris, & postea ex nova causa pignoris dominium ad priorem dominum redierit, pignus non redintegratur, quia pignus tam in præsens quam in futurum tacite remissum intelligitur ; *l. ult. C. de remiss. pignor.*

Servitute cognatio amittitur, & semel amissa non recipitur manumissione ; §. *pen. inst. de capit. deminut. l. is qui, unde cognat.* Servitute cognatio amittitur, quia servitus morti comparatur. Restitutione Principis recipitur cognatio ; *l.* 1. §. *filio, ad Tertyll.* quia restitutio Principis retro trahitur ad tempus libertatis, beneficium Principis latissime interpretandum ; *l. Papinianus, de minorib.* Mater est cognata libertis, servitute filii mater filii esse desinit ; *l.* 2. §. 2. *ad Tertyll.* quia servitute jus cognationis perimitur.

Res abesse videtur ei, cui pretium abest, puta si dominus rem, quæ furto sibi aberat, ignorans emerit, res abesse videtur, quia pretium abest ; *l.* 4. §. *tunc in potestate, de usucap. l.* 14. *de V. S.*

Non videtur possessionem adeptus, qui ita nactus est, ut eam retinere non possit ; *l. non videtur, de adquir. possess.* puta si quis possessorem fundi sui vi dejecerit, non videtur res in potestatem ejus rediisse, quoniam tenetur possessionem restituere interdicto unde vi ; *l.* 4. §. *si dominus, de usucap.*

Rem in bonis habere videtur, qui habet actionem ad rem recuperandam ; *l. rem in bonis, de adquir. rer. domin.* Rem amisisse non videtur, qui in integrum restitui potest ; *l.* 5. *de in integr. restitut.* propter spem restitutionis.

Etiam delicta videntur esse contractus, quia ex delicto nascitur actio, quasi ex contractu, ex malo scilicet & improbo contractu ; *l. si rerum, de re judicat. l.* 1. *C. si adverss. delict.* puta si judex litem suam fecerit, tenetur actione in factum ex delicto, quasi ex contractu ; *l. ult. de extraord. cognit.*

Source : BIU Cujas

CAPUT II.

Usufructus pars dominii habetur. Tutor datus filio, si plures sint filii, omnibus datus videtur. Incapax fit capax per capacem. Cessio servitutis est facti, non retroagitur. Agnitio, vel repudiatio legati retroagitur. Dos vel donatio propter nuptias confertur, quia videtur non abscessisse a bonis patris. Adsessores sunt portio magistratus.

USUSFRUCTUS proprie non est pars, id est species dominii, sed servitutis; *l. recte, de V. S.* Tamen in quibusdam casibus pro parte rei & dominii habetur, quia omne emolumentum & commodum rei continet; *l.* † *Mævius*, §. *pen. de legat.* 2. *l.* 4. *de usufruct.* & fundus dari non intelligitur, si ususfructus detrahatur; *l. qui usumfructum, de V. O.* Proprietas fere est inutilis, sublato usufructu, id est si usufructus semper removeatur a proprietate; *l. si a reo*, §. *si reo, de fidejuss.* Possessio nostra non est dominium, sed usus; Joan. Chrisost. in 1. ad Timoth. homil. 11. οὐκ ἔστι κτῆσις τοῦτο, χρῆσίς ἐστι, οὐκ ἐστὶ κυρία. *Non est hæc vera possessio, usus est, nec ipse quidem satis proprius.*

Si quis tutorem dederit filio, & plures sunt filii, omnibus dedisse videtur; *l. si quis ita, de test. tutel.* quia paterna pietas optimum semper consilium capit pro liberis; *l. nec in ea lege*, §. *ult. ad leg. Jul. de adulter.* Plus dictum, minus scriptum intelligitur, quia pater semper consulit liberis, & plures filii pro uno habentur, propter vinculum patriæ potestatis, quo liberi in sinu patris continentur; *l. frater a fratre, de condict. indebit.*

Lege Julia & Papia orbi & cœlibes solidum capere non poterant ex alienis testamentis, sed semissim tantum, quod sublatum est constitutione Constantini; *l.* 1. *C. de infirm. pœn. cœlib.* Sozom. libr. 1. cap. 9. Si is, qui duos reos promittendi seu debendi habebat, damnaverit heredem, ut utrosque liberaret, si alter ex his capere non possit, id est lege Julia & Papia sit incapax, nec socii sint, id est non sint debitores ex causa societatis, puta ex causa pecuniæ mutuæ acceptæ in rem vel negotium societatis, delegari, id est assignari debebit is, qui nihil capit, qui est incapax, ei cui hoc commodum lege competit, id est qui ex lege capere potest, cujus petitione utrumque accidit, ut hoc commodum, id est commodum liberationis legatæ utrique, ad eum perveniat, & is qui capit liberetur. Liberatione legata duobus, quorum unus est incapax, alter capax capiendi ex testamento, si is qui est capax actione ex testamento, agat ut liberetur, hoc consequitur ut liberetur: sed is qui non capit, liberatur per correum, quasi ex delegatione, id est cessione liberationis pro semisse. Quod si debitores, quibus liberatio legata est, socii sint, id est si nomen contractum sit ex causa liberationis, liberatio quæ prodest reo, qui est capax, prodest & reo incapaci per consequentias. Propter socium, incapax fit capax propter adjunctionem capacis, liberato illo, non quasi ex causa legati, cujus erat incapax, sed quasi solutione per acceptilationem. Neque hoc novum videri debet: nam etsi soli capaci liberatio legata esset, idem eveniret, id est legatarius liberaretur per acceptilationem; *l. si is qui duos, de liberat. legat.* Liberatione legata reo, datur actio ut liberetur per acceptilationem quasi solutione vel pacto de non petendo; *d. l. si is qui duos, l.* 3. §. *nunc de effectu, eod. tit. l. si unus*, §. † 4. *vers. ante omnia, de pact.* Legatum vel fideicommissum relinqui potest incapaci, ut restituat capaci; *l. cum ei, de legat.* 2. *l. si fidei meæ, de legat.* 3. *l. cum dotem, ad leg. falcid. l. cogi*, §. *hi qui solidum, ad Trebellianum*, quia non interposita, sed capientis persona spectatur; *d. l. si*

Source : BIU Cujas

d. l. si is qui duos. Cepisse videtur is cui relictum est, qui erat capax, non cui relictum est, ut restitueret capaci; *l. cepisse de V. S.*

Si plures sint domini ejusdem fundi, servitutem imponere, vel adquirere possunt fundo communi, simul vel separatim, id est diversis temporibus: sed si separatim imponant servitutem, constituitur ex novissimo actu, ex quo novissimus e sociis cedit: cum enim postremus cedit, non retro adquiri servitus videtur; sed perinde habetur, ac si tempore quo postremus cessit, omnes simul cessissent; *l. ult. commun. præd.* Cessio servitutis non retroagitur, quia cessio est facti, non juris. Ea quæ sunt facti, non retroaguntur; *l. qui heredi, de condit. & dem.* sed perinde habetur, ac si omnes cessissent eo tempore, quo postremus cessit, & cessiones priorum manent in pendenti, donec postremus cedat.

Agnitio legati legis intellectu retroagitur ad diem aditæ hereditatis: puta si quis rem sibi legatam ignorans adhuc legaverit, & postea re cognita legatum agnoverit, legatum rei legatæ valet, quia ex quo agnovit legatum, retro ipsius fuisse videtur a morte testatoris, vel ab adita hereditate; si vero repudiaverit, retro videtur res fuisse heredis, id est non discessisse a dominio heredis, perinde ac si legata non fuisset; *l. servum filii*, §. 1. *de legat.* 1. Ubi servus legatur, ipsius servi status, & omnium, quæ pertinent ad ejus personam, in suspenso est, ut si legatarius repudiaverit legatum, numquam ejus fuisse videbitur; si agnoverit, ejus fuisse intelligetur a die aditæ hereditatis; *l. si tibi homo*, §. *cum servus*, *eod.*

Sui vel emancipati dotem vel donationem profectam a patre conferunt, quia videtur non abscessisse a bonis patris; *l. ut liberis*, *l. illam*, *l. pen. C. de collat.* Cujac. 3. *obs.* 30.

Adsistere videtur quædam portio magistratus, cui adsidet; *l.* † *omnis*, *C. Th. de iis quæ administr. vel officium public. gerent. distracta sunt, vel donata.* Vide tract. 1. cap. 21.

CAPUT III.

Capti ab hostibus postliminio reversi fictione postliminii recipiunt omnia jura sua. Ob furtum familiæ unica pœna præstatur, quia unum factum intelligitur. Condictio indebiti datur quasi ex mutuo. Legatum ademptum, nec datum videtur. Respublica pro pupillo habetur. Tutor quoad curam pro domino habetur. Ratihabitio retro trahitur. Donatio inter virum & uxorem, ubi morte confirmatur, retro trahitur. In pœnis sententia non retro trahitur. Jusjurandum pro solutione est.

Capti ab hostibus postliminio reversi, recipiunt omnia jura & actiones, & restituuntur adversus usucapta intra annum, ex quo redierunt, quia nihil est quod eis imputetur, cur captivi apud hostes usucapere siverint, quia cum essent servi hostium, procuratorem habere non poterant, quod est proprium civium Romanorum; *l. ab hostibus, ex quib. caus. major. l. ab hostibus, C. de postlimin. revers.* Absentibus reipublicæ causa intra annum datur rescissoria actio, quia rescinditur usucapio impleta tempore absentiæ: sed etiam si interim nacti sint possessionem rerum usucaptarum, & conveniantur actione in rem, datur eis exceptio exemplo rescissoriæ actionis, id est exceptio rescissoria, quæ comparata est ad exemplum rescissoriæ actionis; *l. necnon*, §. *exemplo*, *ex quib. caus. major. l. non quocumque*, §. 1. *de legat.* 1. Captivi reversi ab hostibus, vel absentes reipublicæ causa, intra annum restituuntur, quia fictione postlimi-

Source : BIU Cujas

nii videntur non amisisse jus suum ; Cujac. 7. *obs.* 31.

Si familia furtum fecerit, pro omnibus præstatur unica pœna furti, quæ est dupli vel quadrupli, quia unicum factum intelligitur : licet plures furtum fecerint, plures pro uno habentur, ne ob delictum familiæ, dominus tota familia careat. Si familia album prætoris corruperit, pro singulis pœnæ edicti de albo corrupto præstantur, quia plura facta intelliguntur : plures rei propter atrocitatem facti, plura facta intelliguntur, quia vindicatur contempta majestas prætoris ; *l. si familia, de jurisdict.* Cujac. 8. *obs.* 20.

Condictio indebiti soluti datur quasi ex contractu mutui : qui per errorem solventis indebitum accepit, tenetur condictione indebiti, quasi ex mutuo ; *l.* 5. §. *is quoque, de oblig. & act.* quia qui per errorem indebitum solvit, videtur ire in creditum, id est mutuum contrahere.

Alienata a defuncto in fraudem creditorum revocantur. Quod si creditores servum defuncti necessarium heredem institutum passi sunt, & ab eo usuras acceperunt, alienata non revocantur, quia creditores videntur iisse in creditum, id est cum eo contraxisse dulcitudine usurarum, vel alia ratione ; *l. ait prætor* 10. §. *si quid in fraudem, quæ in fraud. creditor.* Cujac. 8. *obs.* 34.

Interdum in legatis, quod ademptum est, nec datum videtur, ut in *l. si ita, de legat.* 1. Si ita scriptum sit, cui bis legavero, semel dari volo ; si bis eidem legavero, semel debetur, quia quod ademptum est, nec datum videtur. Et in *l. aliquando, de condit. & dem.* quod datur sub conditione, sub contraria conditione ademptum intelligitur.

Respublica per se nihil scit, nihil videt, nihil intelligit, quia pupillo comparatur ; *l.* 3. *C. de jur. reipubl.* omnia scit per syndicum vel actorem civitatis, vel per magistratus qui præsunt. Municipes scire videntur quod sciunt hi quibus summa reipublicæ commissa est ; *l. municipes, ad municipal.* Cujac. 14. *obs.* 8.

Tutor, qui tutelam gerit, quoad providentiam pupillarem pro domino habetur ; *l. tutor qui, de administr. tutor. l. qui fundum,* §. *si tutor, pro emptor. l. ad ea, de R. J.* Tutoris potestas non est potestas dominica, quia est potestas in capite libero ; sed similis est potestati dominicæ, quoad providentiam, quoad curam pupilli & rerum pupillarium. Pupillus non potest adire hereditatem, petere bonorum possessionem, vel judicium accipere, sine auctoritate tutoris ; *l. pupillus, de adqu. hered. l.* 7. *de bonor. possess.* Cujac. † 14. *observ.* 8.

Ratihabitio retro trahitur, & mandato comparatur ; *l.* 1. §. † *sed etsi, quod alius, de vi & vi armat.* Donationes inter virum & uxorem non valent ab initio, sed morte & silentio donatoris confirmantur ; & quæ morte confirmantur, legis intellectu retro trahuntur ; *l. donationes* 25. *C. de donat. int. vir. & uxor.* Si mortis causa inter virum & uxorem donatio facta sit, morte secuta reducitur ad id tempus quo donatio interposita esset ; *l. si mortis, de mort. caus. donat.*

In criminalibus appellatio extinguit judicatum. Damnatus furti, vel aliis famosis actionibus, pendente appellatione pro famoso non habetur ; si autem omnia tempora dirimendæ appellationis lapsa sint, retro infamis efficitur, id est a tempore sententiæ. Quod si sententia confirmata sit, hodie notatur infamia, retro non notatur, id est sententia confirmatur, non retro trahitur ; *l. furti,* §. 1. *de his qui not. infam.* quia in pœnis, quæ semper sunt odiosæ, confirmatio non retro trahitur favore rei ; Cujac. 17. *obs.* † 20.

Jusjurandum est fictitia solutio, jusjurandum solutionis loco cedit ; *l. jusjurandum, l. ult. de jurejur. l. Stichum,* §. *naturalis, de solut.* Si quis adversario deferente jusjurandum, juraverit se solvisse, liberatur perinde ac solutione ipsa quæ fit numeratione. Et hoc est quod dixit Lucilius apud Gell. libr. 16. cap. 7. *Jusjurandum esse emplastrum æris alieni.*

CA-

Source : BIU Cujas

CAPUT IV.

Resolutio venditionis ex pacto similis est redhibitioni. Captivitate usucapio interrumpitur, nec postliminio retroagitur. Possessio defuncti quasi continuatæ prodest heredi. Lite contestata cum domino ex furto servi, de furto quasi transactum videtur cum domino. Res non videtur reddita, quæ deterior redditur.

RESOLUTA venditione ex pacto apposito contractui, possessio ejus temporis, quo res fuit apud hostem, accedit venditori ad implendam usucapionem, quia resolutio venditionis, quæ fit ex pacto, similis est redhibitioni: eo genere retroacta venditio similis est redhibitioni, in qua possessio emptoris, qui redhibuit, accedit venditori, quoniam redhibita re, ea venditio proprie dici non potest; *l. si hominem, de usucap.* Per emptorem venditor medio tempore possedisse videtur, & perinde est ac si venditio nulla extitisset, & res tradita non esset emptori. Redhibitio est resolutio venditionis; *l. Pomponius*, §. *præterea, de adqu. possess.* Retroacta venditio ex pacto resolutorio similis est redhibitioni.

Si is, qui pro emptore possidebat, & usucapere cœperat, ante impletam usucapionem captus sit ab hostibus, captivitate usucapio interrumpitur, quia possidere desinit, cum sit servus hostium, nec ipsi reverso ab hostibus postliminium prodest, id est fictio postliminii, quo redintegretur possessio, ita ut videatur semper in civitate fuisse: si tamen apud hostes decesserit, heredi ejus prodest fictione legis Corneliæ, quia fingitur decessisse primo captivitatis momento; *l. si is qui pro emptore, de usucap.* ubi negativa expungenda est; *l. denique, ex quib. caus. major.*

Possessio defuncti prodest heredi ad implendam usucapionem; *l. possessio, l. cœptam, de usucap.* quia possessio defuncti quasi juncta descendit ad heredem; *l. cum miles, ex quib. caus. major.* Sic & possessio venditoris prodest emptori ad implendam usucapionem; *l.* 2. §. *pen. pro emptor.* Possessio venditoris quasi continuatur & conjungitur in persona emptoris.

Si servus furtum fecerit, & dominus eum manumiserit, ne secum agatur furti, & manumissor & manumissus furti tenentur; sed si semel cum domino actum sit, manumissus ipso jure liberatur, quasi decisum sit, id est quasi transactione decisum sit cum domino; *l. si servus navem*, §. *interdum, de furt.* Cujac. 22. *obs.* 29.

Si res commodata vel deposita deterior reddatur, potest agi commodati vel depositi, quia res non videtur reddita, quæ deterior redditur; *l.* 3. §. 1. *commodat. l.* 1. §. *si res, deposit.* propter fidem commodati, & depositi. Aliud in dote æstimata, si convenerit ut species ipsæ reddantur, res etiam deterior facta reddi potest; *l. sane* 11. *& seq. de jur. dot.* ita ut quod deest æstimationi, suppleatur; *l. si inter*, C. *eod.*

Source : BIU Cujas

CAPUT V.

Quod pater nubenti filiæ dat simpliciter, in dotem dari videtur. Promissioni dotis inest tacita conditio, si nuptiæ sequantur. In contractibus quod agi solet, pro cauto habetur. Qui per errorem dotem restituit, quam ex pacto retinere potuit, potest eam deducere judicio familiæ erciscundæ, vel eam repetere condictione indebiti. Si convenerit, ut mortua filia sine liberis dos patri redderetur, tacite actum videtur, ut mortua filia superstitibus liberis, dos remaneret apud maritum. Soluto matrimonio dotis actio communis est patri & filiæ, quasi jure societatis in causa dotis. Tacitus consensus in quibusdam idem operatur quod expressus. Dos videtur pervenisse ad patrem, quasi potentiorem. Res ex dote comparatæ non sunt dotales, sed quasi dotales.

QUOD pater filiæ nubenti dat simpliciter, in dotem dare videtur ; *l. quia autem, de jur. dot.* quia paternum officium est dotare filiam ; *l. qui liberos*, alias, *l. capite trigesimo quinto, de rit. nuptiar. l. ult. C. de dot. promiss.* In dubio honesta interpretatione, pater officio fungi videtur ; *l.* † *dotem*, *l. Divus, de jur. dot. l. 2. & 3. de solut.*

† *l. dotem* 30. *& l. Divus*, aliquo modo aptari possunt, ad exemplum mulieris transeuntis ad secunda vota, vel ad prius matrimonium post divortium : *ll. vero 2. & 3. de solut.* si conveniant, vide.

Stipulationi dotis inest tacita conditio, si nuptiæ sequantur ; *l. plerumque*, §. *si ante*, *l. stipulationem*, *l. promittendo*, §. 1. *de jur. dot.* quia non est dos sine matrimonio ; *l. 3. eod. tit. l. 4. de pact.* Ex stipulatione dotis agi non potest, non secutis nuptiis.

In contraendo, quod agitur, id est quod agi solet, pro cauto habendum est, id est si omissum sit, tacite actum videtur ; *l. cum quid, de reb. credit.* puta vino mutuo dato, etsi cautum non sit, ut æque bonum reddatur, hoc tacite actum intelligitur ; *l. quod si nolit*, §. *quia assidua, de ædil. edict.*

Si vir dotem, quam ex pacto, filiæ communis nomine retinere potuit, per errorem facti, mulieri, id est matri restituerit, & filia patri ex asse, matri pro parte heres extiterit, in judicio familiæ erciscundæ, non improbe dotis perperam matri solutæ præceptionem desiderare potest ; *l. inter socerum*, §. *vir dotem, de pact. dotalibus*, id est deductionem, quasi dos ei per præceptionem testamento matris legata seu prælegata esset, potest & condicere condictione indebiti, quasi per errorem indebitum solverit ; *l. qui exceptionem*, §. *si pars, de condict. indebit.* quia indebitum solvisse videtur, qui per errorem solvit dotem, quam retinere potuit per exceptionem pacti. Si heredi ex parte instituto prælegatum relictum sit, in judicio familiæ erciscundæ prius deducitur, & præcipuum servatur ei cui testator dedit ; *l.* † *heredem*, §. *ult. cum l. seq. famil. erciscæ. l. cum pater*, in pr. *de legat. 2.*

† corrig. *l. heredes*, & adde *l. 4. l. si ita, eod. tit. l. qui filiabus*, §. 2. *de legat. 1.*

Si convenerit, ut mortua in matrimonio filia sine liberis dos patri restitueretur, tacite actum videtur, ut superstitibus liberis dos remaneret apud maritum ; *l. inter socerum*, §. *cum inter, de pact. dotalib. l.* †† *etiam*, *C. de jur. dot. l. si constante*, versic. *pactis*, *C. de don. ante nupt.* Casus omissus remanet in dispositione juris communis ; *l. si cum dotem, solut. matrim.*

†† *etiamsi* ; & v. si probat, tam ista l. quam *l. si constante*.

Soluto matrimonio, patri & filiæ communis est actio de dote duobus casibus, si dos est profectitia, & filia sit in potestate patris ; *l. 2.* §. *quod si in patris, solut. matrim.* Pater non repetit dotem, nisi adjuncta persona filiæ, quia in causa dotis, filia est particeps, & quasi socia obligationis & actionis patris ; *l. qui hominem*, §. *si gener, de solut.* Licet dos profecta sit a patre, videtur quasi profecta a patre & filia simul. Et hanc societatem aut communionem inducit paterna pietas, quia dos est vice legitimæ, & repræsentatio

Source : BIU Cujas

tio legitimæ, ex quo dos fit proprium patrimonium mulieris.

Soluto matrimonio pater non aliter dotem repetere potest, nisi volente & consentiente filia: consentire patri videtur filia, nisi evidenter contradicat; *l. 2. solut. matrimon.* Ut nuptiis filiæ pater consentire videtur, nisi evidenter dissentiat; *l. 7. de sponsalib.* Item si filia furiosa sit, videtur consentire patri dotem repetenti. Consentire creditur, qui non potest contradicere propter dementiam; *d. l. 2.* Furiosus consentire patri vel curatori creditur, quoties de ejus commodis quæritur, quasi voluntatis reliquiis in furioso manentibus; *l. patre furioso, de his qui sunt sui vel alien. jur.* Consentire videtur filia, si causam contradicendi non habeat; *l. dotem, solut. matrimon.* puta si pater sit idoneus & locuples, vel amplior dos ei data sit a patre, iterum nubenti.

Soluto matrimonio si dos filiæ data sit sine jussu patris, nihilominus pater tenetur de dote actione de peculio, quia videtur perveniisse ad patrem, penes quem est peculium; *l. si cum dotem, §. transgrediamur, solut. matrimon.* Dos videtur perveniisse ad potentiorem, vel dos videtur esse in peculio.

Si mulier per errorem nupserit servo quasi libero, non est dos, neque matrimonium. Mulier non habet quasi privilegium in bonis viri, ut præferatur ceteris creditoribus chirographariis: non præfertur domino in re peculiari, si forte aliquid domino debetur, nisi in his tantum rebus, quæ vel in dotem datæ sunt, vel ex dote comparatæ sunt, quasi & hæ dotales sint; *l. si cum dotem, §. ult. solut. matrimon.* Res ex dote comparatæ non sunt proprie dotales, sed sunt quasi dotales; *d. §. ult. & l. res quæ, de jur. dot.* ad hoc ut mulier habeat privilegium exactionis in rebus dotalibus, si extent, vel in rebus ex dote comparatis, quasi essent dotales; *l. uxor marito, de don. int. vir. & uxor.*

CAPUT VI.

Aditio hereditatis est vice solutionis & compensationis. Aditio hereditatis est quasi contractus. Manumissio servi dotalis consentiente uxore valet vice donationis. Præscriptio interrumpitur lite contestata, quasi desinente possessione. Qui jure familiaritatis fundum vicini ingreditur, non videtur possidere. Non videtur possidere, qui non potest retinere possessionem.

ADITIO hereditatis est vice solutionis, & compensationis: puta si creditor debitori heres extiterit, aditione hereditatis, quasi solutione, & compensatione extinguitur obligatio, quia adeundo hereditatem sibi solvisse, & secum compensasse intelligitur; *l. Stichum, §. aditio, de solut. l. debitori, de fidejussor. l. quæ dotis, solut. matrimon. l. cum a matre, C. de rei vindicat.*

Qui hereditatem adiit, creditoribus, & legatariis obligatur in solidum etsi hereditas damnosa sit, quia hereditas videtur esse solvendo, quæ heredem invenit; *d. l. quæ dotis, l. libertus qui, de bon. libert.* Qui hereditatem adiit, alia ratione obligatur & in solidum creditoribus & legatariis, quia aditione hereditatis obligatur quasi ex contractu; adeundo hereditatem contrahere videtur cum creditoribus & legatariis; *l. † si quis absentis, §. heres, de obligat. & act. l. pen.* in fin. *de separat. §. heres, inst. de oblig. quæ quasi ex contract. nasc.* Aditio hereditatis fit in jure judicioque: in judicio contrahitur, vel quasi contrahitur; *l. 3. §. idem scribit, de pecul.*

Si vir voluntate uxoris servum dotalem manumiserit, manumissioni consentiente uxore donandi animo, manumissio valet, quia valet hæc donatio inter virum & uxorem; *l. quod autem, §. ult. de donat. int. vir. & uxor. l. maritus, C. eod.* Et quodammodo donasse videtur, qui servum dotalem per-

Source : BIU Cujas

misit manumitti ; *l. quod si vir, & seq. solut. matrimon.* quia consensit manumissioni animo donandi.

Præscriptio longi vel longissimi temporis interrumpitur, lite contestata ; *l. nemo ambigit, C. de adquir. possess. l.* † *neque, C. in quib. caus. cess. long. temp. præscript. l. cum notissimi, §. immo, C. de præscript. 30. ann.* quia qui possidebat, lite contestata, quasi possidere desinit, amplius non possidere intelligitur ; *d. l. nemo ambigit.* Post litem contestatam non dicitur possessio, sed nuda detentatio, quæ non est apta & idonea ad adquirendam præscriptionem & usucapionem. Civilis possessio requiritur ad usucapionem vel præscriptionem, naturalis possessio nuda non sufficit ; *d. l. nemo ambigit.* Usucapio est modus civilis adquirendi dominii. Duplex est possessio, civilis & naturalis : civilis, quæ est animo dominii, animo adquirendi dominii ; naturalis, quæ corpore consistit, prehensione corporali, non animo dominii ; *d. l. nemo ambigit.*

† Desideratur sub h. tit. *l. neque.* Faciunt *l. 1. 2. & 10. C. de præscript. long. temp.*

Qui jure familiaritatis fundum amici ingreditur, non videtur possidere, quia non eo animo fundum ingressus est, ut possideat, licet corpore in fundo sit ; *l. qui jure familiaritatis, de adqu. possess. cap. bonæ memoriæ, de postulat. Prælat. cap.* † *abbate, de V. S.*

Non videtur possessionem adeptus, qui ita nactus est, ut eam retinere non possit ; *l. non videtur, de adqu. possess.* Eadem ratio est possessionis & dominii: possessionis causa perpetua est. Possidere videtur qui possidet ex causa perpetua, ex causa adquirendi dominii, puta ex causa emptionis, ut qui rogavit precario, non possidet, quia quandocumque possessio ab eo avocari potest ; *l. 6. §. is qui rogavit, de precar.*

CAPUT VII.

Qui sciens sumptus facit in re aliena, non repetit, quia donasse videtur. Qui rem vindicat, non videtur statim possessioni renuntiare. Ususfructus non constituitur in his rebus, quæ usu consumuntur, sed quasi ususfructus remedio cautionis. Adjudicatio, quæ fit unius rei, quæ commode dividi non potest, est similis emptioni & permutationi. Præstatio æstimationis est similis emptioni. Transactio est vice permutationis.

Malæ fidei possessor non repetit sumptus factos in re aliena, nisi necessarios ; *l. domum, C. de rei vindicat.* quia donasse videtur, qui impendit sciens in rem alienam ; *l. si servus, §. si olivam, ad l. Aquil.* Lex fingit impensam temere factam in re aliena, factam fuisse donandi animo, ne repeti posset. Fictio legis æquipollet veritati.

Qui cœpit agere vindicatione, pendente judicio non prohibetur agere interdicto, puta interdicto unde vi, vel uti possidetis, quia non videtur possessioni renunciasse, qui rem vindicavit ; *l. naturaliter, §. nihil commune, de adqu. possess.*

Ususfructus proprie consistit in his rebus, quarum est usus, re incolumi, salva rei substantia : ususfructus proprie non consistit in his rebus, quarum non est usus, sed abusus, quæ utendo consumuntur, ut vinum, oleum, frumentum ; vel quasi consumuntur, ut pecunia quæ assiduo usu & permutatione quasi consumitur. Sed ususfructus fictitius, & quasi ususfructus, constituitur remedio cautionis, ut res ejusdem qualitatis vel quantitatis restituantur finito usufructu ; *l. 2. l. si vini, l. pen. de usufruct. eor. rer. quæ usu consumunt.*

Si res commode dividi non possit ; potest judex datus in solidum eam adjudicare uni, & eum condemnare alteri in certam quantitatem pecuniæ, & curare

Source : BIU Cujas

curare debet ut caveatur de evictione ei cui rem adjudicat; *l. heredes*, §. *pen. famil. erciſc. l. item quamvis*, in fin. *commun. divid.* Et ſi non caveatur, erit actio de evictione præſcriptis verbis; *l. ſi familiæ*, *C. famil. erciſc. l. 7. C. commun. utriuſq. judic.* quia talis adjudicatio non eſt emptio vel permutatio; ſed ſimilis eſt emptioni, vel permutationi. Adjudicatio eſt emptio, vel permutatio fictitia, quæ fit per judicem rei expediendæ cauſa, communionis tollendæ cauſa, quæ non minima incommoda habet propter diſcordias, quas materia communionis ſolet excitare; *l. cum pater*, §. *dulciſſimis*, *de legat.* 2.

In judicio familiæ erciſcundæ & communi dividundo coheredes vel conſortes tenentur de evictione rerum ſingulis adjudicatarum; *d. l. ſi familiæ*, quia diviſio eſt ſpecies emptionis & permutationis. Diviſio fit emptione & permutatione partium; *l. ſi filia*, §. *ſi pater*, *famil. erciſc.* Per diviſionem contrahitur alienatio fundi; *l. ex caſtrenſi*, §. *itaque*, *de caſtrenſ. pecul. l. inter*, *C. de præd. minor.*

Si vir uxori rem aliquam donaverit, donatio nulla eſt: ſi res extet, vindicari poteſt ſi non reſtituatur, quia poſſidendi cauſam donatio præſtitit: ſi res non extet, uxor liberatur præſtando juſtam æſtimationem; & cavendum erit poſſeſſori de evictione in ſimplum quanti ea res erit; *l. ſi donatæ*, *de don. int. vir. & uxor.* Præſtatio æſtimationis ſimilis eſt emptioni.

Evicto fundo tradito ex tranſactione, pro fundo, de quo lis erat, datur actio de evictione præſcriptis verbis; *l. ſi pro fundo*, *C. de tranſact.* talis tranſactio eſt vice permutationis.

CAPUT VIII.

Solutio facta ab uno ex fidejuſſoribus, eſt quaſi nominis emptio. Delegatio vice ſolutionis eſt, etiam ſi delegatus debitor non ſit ſolvendo. Hereditas jacens defuncti perſonam ſuſtinet.

SI unus ex fidejuſſoribus a creditore conventus ſolvat ſolidum, quaſi nominis emptio fictione juris contrahitur, perinde eſt ac ſi ultro nomen emerit, quia creditor tenetur ei cedere actionibus; *l.* † *ſi dubitetur*, *de fidejuſſor.* qua ceſſione fit venditio nominis; *l. fidejuſſoribus*, *l. cum is*, *eod. tit.* Creditor non in ſolutum accipit, ſed quodammodo nomen vendit, quia habet actiones, quas præſtare tenetur; *d. l. cum is*. Et ſi unus ex tutoribus in ſolidum conventus, ceſſis actionibus ſolidum pupillo ſolverit, ceſſio actionis non intercidit, quia pro parte contutoris, non tutela reddita videtur, id eſt non videtur ſolviſſe ex cauſa tutelæ, ſed nominis, id eſt ceſſæ actionis pretium pro parte contutoris ſolutum videtur; *l. cum pupillus*, *de tutel. & rat. diſtrah.* Qui tenetur pro alio, non compellitur ſolvere, niſi actor paratus ſit ei cedere actionibus ſuis; *l. cum alter*, *auth. præſente*, *C. de fidejuſſ.* Et ceſſis actionibus, is, cui ceſſæ ſunt actiones, dicitur procurator conſtitui in rem ſuam; *l. emptor*, *l. ex nominis*, *C. de hered. vel act. vend. l. quod ſi nolit*, in pr. *de minorib. l. procurator in rem ſuam*, *de procurator.* quia ceſſis actionibus, non directæ, ſed utiles transferuntur in ceſſionarium.

Delegatio pro juſta præſtatione eſt; *l. quod debetur*, *de pecul.* non ſine fictione. Qui tenetur, quod habet actionem, liberatur, cedendo actionibus ſuis, quia delegatio pro juſta præſtatione eſt. Delegatio vice ſolutionis eſt; *l. qui libertinus*. §. † *ſed ſi creditori*, *de oper. libert.* Delegatio habet vim ſolutionis, & liberat debitorem perinde ac ſolutio. Et ideo ſi fidejuſſor debitorem ſuum volenti creditori delegaverit, etiam cum qui ſolvendo non eſt, confeſtim man-

† *ſi dubitet*; & v. ſi probat. Faciunt *l. fidejuſſoribus*, *l. cum is*, *qui*, *eod. tit.* quæ ſtatim ab auctore ad aliud probandum allegantur.

Source : BIU Cujas

dati agere potest adversus reum principalem, quia qui debitorem suum delegat, pecuniam dare intelligitur, quanta debetur; *l. qui debitorem, de fidejussor.* Si mulier intercessionis causa debitorem suum delegaverit, non juvatur Vellejano, quia Vellejanum non prodest mulieri solventi pro alio, sed intercedenti tantum. Delegatio pro solutione est; *l. quamvis, §. plane, ad Vellejan.* Si donaturus mihi mortis causa, debitorem suum creditori meo delegaverit, omnino ex donationis causa capere videbor tantam pecuniam, quanta à creditore meo liberatus fuero, quia delegatio pro donatione est; *l. mortis causa capimus, §. 1. de mortis causa donat.* Delegatio pro solutione est, ideo ut indebiti soluti condictio est, ita & sine causa delegati condictio est; *l. 2. C. de condict. indebit.*

Delegatio pro solutione est, etiam si debitor delegatus non sit solvendo; *d. l.* † *qui debitorem.* quia debitor delegatus solvendo esse videtur, qui a cessionario admissus est. Bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum; *l. inter causas, §. abesse, mandat. l. cum dotem, de jur. dot. l. qui nominibus, de administr. tutor. l. ait prætor, §. si quid in fraud. quæ in fraud. creditor.*

† In Cujac. meo lib. observ. sunt 28. Consule eundem Cujac. tom. 6. in lib. 3. decretal. tit. 11. sub cap. 1. col. 1117. & tom. 10. sub *l. duo*, col. 1236.

Mortuo reo principali ante aditam hereditatem, fidejussor pro defuncto accipi potest, quia hereditas personæ defuncti vice fungitur, sicut municipium, curia, societas; *l. mortuo, de fidejussor.* Hereditas jacens personæ defuncti vicem sustinet; *l. hereditas, de adqu. rer. domin.* Sic si servus hereditarius, ante aditam hereditatem rem hereditariam commendaverit, heredi adita hereditate datur actio depositi, quasi ex contractu defuncti, quia hereditas domini vicem sustinet; *l. cum hereditas, C. depositi.* Hereditas vicem defuncti sustinet, sicut municipium, curia, id est senatus municipalis, societas, sustinet personam singulorum municipum, curialium, & sociorum. Unde quod major pars curiæ effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint; *l. quod major, ad municipal.* Cujac. † 29. *obs.* 10.

CAPUT IX.

Dominus solvendo pro servo præposito alicui negotiationi, videtur pro eo fidejussisse in ceteris causis. Confusio habet vim solutionis. Fidejussor, in quem pignora data ob solutionem translata sunt, non est emptoris, sed creditoris loco. Locus contractus esse videtur, ubi pecunia solvenda est. Peculium non intelligitur, nisi deducto eo quod patri vel domino debetur. Filiusf. pro patref. habetur in quibusdam causis.

SOLUTIO pro debito servi præpositi alicui negotiationi, fidejussionis vicem continet in aliis causis: ut in *l. ult. quod cum eo qui in alien. potest. est*, si servus actor, qui præpositus erat mutuis pecuniis dandis sub pignoribus, pro negotiatore hordei suscepit debitum, id est in se suscepit debitum, expromissorem se dando, dominus pro servo tenetur institoria actione, quia videtur pro eo fidejussisse generaliter, ex eo quod probabatur pro eo solvisse in aliis causis. Consuetudo patrisfamilias spectatur; *l. nummis, de legat. 3.*

Confusio habet vim solutionis, puta si creditor debitori heres extiterit, confusione obligatio extinguitur solutionis potestate, quia sibi solvisse videtur; *l.* † *debitori, de fidejuss. l. Stichum, §. aditio, de solut. l. si ei cui, de evict. l. quæ dotis, solut. matrimon.* Nec impar est confusio, quod solutio omnino tollit obligationem; *inst. quib. mod. tollitur obligat.* in pr. Confusio per successionem pro parte seu quota hereditatis; *d. l.* † *debitori, l. Granius, eod. tit. l. si duo, de solut. l. debitori, C. de pact.*

Fide-

Source : BIU Cujas

Fidejussor, in quem pignora a considejussoribus data translata sunt, etiam emptionis titulo, quia forte solidum solvit creditori, fructus non facit suos, quia non emptoris loco substitutus videtur, sed ejus qui pignora accepit ab initio, id est creditoris; & ideo fructus imputat in usuras, & quod excedit, in sortem; *l. Paulus, de fidejuss.* quia hujusmodi translatio pignoris fit ex necessitate juris, non transferendi dominii causa, sed transferendi pignoris causa pro securitate debiti; *l. 2. de distract. pignor.* Fidejussor, in quem pignora translata sunt, est loco creditoris, videtur iisse in creditum, succedit in jus pignorum; *l. 1. C. de dolo.* Fidejussor videtur tantum suscepisse pignora, ut indemnitati suæ consulat; *l. fidejussor, de negot. gest.*

Locus contractus videtur, non ubi instrumentum conscriptum est, sed ubi pecunia solvenda est; *l. si ut proponitur, de fidejuss. l. heres, §. ult. l. exigere, de judic. l. 3. de reb. auctor. judic. possid. l. 3.* in fin. *de act. empt.* Contraxisse quisque eo loco intelligitur, in quo ut solveret se obligavit; *l. contraxisse, de oblig. & act.* Et ideo si quis in provincia contraxerit, & promiserit Romæ se soluturum, ibi potest conveniri; *d. l. heres, §. ult.*

Pater vel dominus conventus actione de peculio, ex persona servi † vel filii, prius deducit quod sibi debetur. Peculium non computatur, nisi deducto eo quod patri vel domino debetur, quia præveniisse, & cum eo prius egisse creditur; *l. depositi, §. peculium ult. l. sed si damnum, §. peculium, de pecul.*

Filiusfamilias in quibusdam causis pro patrefamilias habetur, licet sit in potestate patris, puta in contractibus & obligationibus. Filiusfamilias ex omnibus causis tamquam patersfamilias obligatur, & ob id agi cum eo, tamquam cum patrefamilias, potest; *l. filiusf. 39. de obligat. & act.* Filiusfamilias obligatur tam ex contractibus, quam ex delictis: & ex his in filiumfamilias datur actio; sed mortuo filio lite contestata, judicium transfertur in patrem, dumtaxat de peculio, vel de in rem verso; *l. tam ex contractibus, de judic.* Si filius fidejusserit pro patre, obligatur; *l. † 2. §. quod ait prætor. 3. qui satisd. cog. l. filiusf. C. de fidejuss.* Lex *filiusfamilias* ait fere, ut excipiatur causa mutuæ pecuniæ, propter senatusconsultum Macedonianum. Filiusfamilias etiam in causis publicis pro patrefamilias habetur, veluti ut magistratum gerat, ut tutor detur; *l. filiusfamilias, de his qui sunt sui vel alien. jur.* propter utilitatem publicam, & penuriam hominum idoneorum ad res publicas.

CAPUT X.

Quod evincitur, in bonis nostris non habetur. Aqua pluvia nocere videtur, quæ nocere potest. Legatum relictum Principi, mortuo Principe ante diem legati cedentem, transmittitur ad successorem, quia Princeps semper vivere intelligitur. Furiosus pro absente & quiescente habetur. Servi fugitivi dicuntur furtum sui facere. Quædam sunt fata causarum. Remissio non est donatio, sed transactio. Pecunia dicitur sterilis, quia natura sua non parit usuram.

QUOD evincitur, in bonis nostris non est; *l. quod evincitur, de R. J.* id est in bonis nostris non habetur id de quo lis est, etiam si nondum evictum sit per sententiam, propter periculum imminens evictionis: ideo cum in limine contractus imminet evictio, id est si lis de proprietate moveatur emptori ante pretium solutum, non compellitur pretium solvere, nisi satis ei offeratur; *l. si post perfectam, C. de evict.* Et ita quod dicitur in *l. qui scit, §. ult. de usur.* bonæ fidei emptorem intelligi quoad percipiendos fructus, do-

Source : BIU Cujas

nec fundus evictus fuerit ; ita accipiendum est , donec lis contestata sit , quia lite contestata incipit esse malæ fidei possessor ; *l. sed & si lege*, §. *si ante litem*, *de heredit. petit.*

In actione aquæ pluviæ arcendæ , verba legis 12. tab. *si aqua pluvia nocet*, sic interpretanda sunt , *si aqua pluvia nocere potuit* ; *l. Labeo*, *de statulib.* quia actio aquæ pluviæ arcendæ est de damno futuro , de damno nondum facto , opere tamen facto ex quo damnum timetur ; *l.* 1. §. 1. *de aqu. & aqu. pluv. arcend.*

Si legatum relictum sit Principi , & antequam dies legati cederet , e vivis sublatus sit , legatum non fit caducum , sed transmittitur ad successorem ; *l. quod Principi* , *de legat.* 2. quia Princeps semper vivere intelligitur . Legatum non personæ , sed dignitati relictum videtur . Princeps solutus est legibus caducariis . Aliud est in Augusta ; *l. si Augustæ*, *eod. tit.*

Furiosus per omnia absentis & quiescentis loco habetur ; *l.* 2. §. *pen. de jur. codicill.* quia pro nullo habetur .

Servi fugitivi dicuntur furtum sui facere ; *l.* 1. C. *de serv. fugitiv.* quia sese fuga dominis subripiunt .

Lites videntur habere sua fata ; & hoc est quod dicitur in *l.* 1. C. *de offic. civil. judicior.* dum causarum merita & fata panduntur , & advocati dicuntur dirimere fata causarum ; *l. advocati* , C. *de advocat. diverf. judic.* propter aleam & incertum eventum judiciorum ; *l. ult.* C. *quibus ad libert. proclamar. non lic.* Cujac. 16. *obs.* 9.

Remissio non videtur esse donatio , sed potius transactio . Si locator remiserit colono pensionem unius anni , ob sterilitatem illius anni , & sequentibus annis contingat maxima ubertas , integram pensionem potest exigere illius anni, quam remisit , etiam si titulo donationis remiserit , quia remissio non tam est donatio, quam transactio ; *l. ex conducto*, §. *Papinianus*, *locat.* Remissio ita facta intelligitur , si sequentium annorum fruges non respondeant , ita ut sterilitas illius anni sarciatur . Remissio illa habet tacitam conditionem , si ubertas sequentium annorum non pensat damnum illius anni . Remissio non est donatio ; *l. etiam* , C. *ad Vellejan. l. Lucius* , *quibus mod. pign. vel hypoth. solv. l. etsi pignus* , *quæ in fraud. creditor.*

Pecunia sua natura sterilis est , non parit usuram . Usuræ non debentur ex re ipsa , sed ex negotiatione , ex stipulatione , ex mora ; *l. si navis* , *de rei vindicat. l. ex annuo* , §. 1. *& l. seq. de don. int. vir. & uxor.* Sic pecunia dicitur sterilis in *l.* 7. *de usur. l.* 3. §. 4. *de contrar. tutel. & util. action.* otiosa in *l.* † *qui semisses* , §. *quæsitum*, *de usur.* vacua in *l. Quintus* , *deposit.* quæ non collocatur fœnori .

CA-

Source : BIU Cujas

CAPUT XI.

Interdictum seu judicium possessorium dicitur momentum, quia summarie expediri debet. Servus communis duorum, vel plurium, est singulorum pro partibus indivisis. Condictio indebiti soluti nascitur quasi ex mutuo. Creditores, qui passi sunt servum necessarium heredem institutum omnia pro herede gerere, & ab eo usuras sortis acceperunt, videntur iisse in creditum. Cessionarius actionum fit quasi procurator in rem suam. Servus non tenetur ex gestis ante servitutem, quia alius homo videtur esse. Modicum dicitur quod honoris causa datur. Paupertatis appellatione intelligitur hereditas.

OMNE interdictum retinendæ, vel nanciscendæ, vel recuperandæ possessionis causa, dicitur momentum, vel causa momentaneæ possessionis, quia celeriter expediri debet, causa summarie cognita, unde in causa momenti, seu momentaneæ possessionis, non admittitur compensatio; *l. ult. C. de compensat.* nec appellatio; *l. unic. C. si de moment. possess. fuer. appellat.* Et causa momentaneæ possessionis per servum agi potest nomine domini; *l. 3. C. qui legit. person. stand. in judic. hab.* Ideo & causa momenti prius disceptatur, quam causa proprietatis; *l. 3. C. de judic. l. liber, C. de heredit. petit.*

Servus communis duorum vel plurium, sic omnium est, non quasi singulorum totus, sed pro partibus indivisis, ut intellectu magis partes habeant, quam corpore, id est corporum divisione; & ideo si servus communis stipuletur dari, adquirit omnibus, id est singulis dominis, pro parte qua dominium in eo habent; *l. servus communis, de stipulat. serv.* Partes indivisæ intellectu magis concipiuntur, quam corpore, id est corporum divisione; *l. † Mævius, §. sed si pars, de legat. 2.* Corpora indivisa inducunt cnmmunionem partium, quas vocant intellectuales.

Condictio indebiti soluti nascitur quasi ex contractu, quasi ex mutuo. Qui indebitum solvit, videtur ire in creditum, videtur solvere ea lege, ut si quod solvitur non debitum appareat, condicatur, quæ tacita obligatio dicitur; *l. is qui commodatum*, in fin. *commodat.* Plerumque extra id, quod agitur, tacita obligatio contrahitur, ut in *l. atqui natura, §. si libero, de negot. gest.*

Si servus necessarius heres institutus ab eo, qui se immiscuit, non erat solvendo, & creditores passi sint necessarium pro herede omnia gerere, & bona distrahere, vel usuras sortis debitæ ab eo acceperint, non possunt revocare alienata a defuncto, vel ab herede, quia quasi in creditum ierunt, videntur cum eo contraxisse mutuum, ex novo contractu, ex novo negotio, dulcedine usurarum, vel qua alia ratione; *l. ait prætor, §. si quid in fraudem, quæ in fraud. creditor.* Cujac. 7. *obs. ult.* & ad *l. 78. de R. J.*

Nemo proprie est procurator in rem suam, quia procurator est qui gerit negotia absentium ex mandato; tamen fit quasi procurator in rem suam cessionarius nominis, cui cessæ & mandatæ sunt actiones, vel emptor hereditatis, quia cessis actionibus eas exercet suo nomine; *l. † servum quoque, & seq. l. procuratore, de procurat., l. qui stipendia, C. eod. l. 6. C. de oblig. & act. l. † 1. C. de contrar. judic. tutel.*

Servus, de eo, quod contraxit vel gessit in servitute, post manumissionem non tenetur; *tot. tit. C. an servus ex suo fact. post manumiss. teneat.* quia manumissione videtur alius homo, a se ipso enatus. Manumissio purgat omnes noxas & delicta, quasi regeneratio, & in alium hominem conversio.

Omne honorarium modicum dicitur, quia magis honoris quam mercedis

Source : BIU Cujas

causa datur. Si testator viro clarissimo, id est senatori, certa argenti vel auri pondo legaverit, legatum Romæ præstandum est, quia non est verisimile eum, qui honoris causa legavit, tam modica in provincia præstari voluisse; *l. sed etsi* 52. §. 2. *de judic.* Omne honorarium modicum fingitur, quia magis honoris quam lucri & commodi causa datur. Si mensor dederit operam ad metiendum agrum, non datur ei actio locati mercedis causa, quia non videtur locasse operas, sed magis operam præbere beneficii loco; & id quod datur ei, datur ad remunerandum nomine doni, vel muneris: & inde honorarium appellatur; *l.* 1. †*ff. si mensor falsi. mod. dixerit*. Modicum etiam videtur, quod alimentorum causa relinquitur, quod alimentorum modum non excedit; *l.* 6. *de cess. bonor.*

Si quis aliquem heredem scripserit de paupertate sua, paupertatis appellatione intelligitur universa hereditas; *l. Lucius*, §. *heredum*, *ad Trebell.* Veteres de bonis suis modeste sentiebant, ut a se invidiam amoverent; Augustin. de vit. commun. cleric. *Ego tenuem paupertatem meam vendidi, & pauperibus erogavi*. Idem de catechizand. rudib. cap. 13. *Sic etiam ipsi consumunt per luxuriam paupertatem suam, &c.* Hieronym. ad Principiam de laudib. Marcellæ: *Post aliquot dies obdormivit in Domino, & te paupertatulæ suæ, imo per te pauperes reliquit heredes*.

CAPUT XII.

Impensæ necessariæ servantur per retentionem dotis, vel rei commodatæ vice pignoris. Res vendita retinetur vice pignoris, quoad pretium solvatur. Per procuratorem actio mutui mihi adquiritur, quia ego credidisse videor. Depositum custodiæ causa ad modicum tempus in manu mea esse videtur. Opera est loco pretii. Societas leonina, in qua unus totum lucrum fert, damnum non sentit. Ancilla pro prostituta habetur, si venditor sinat prostitui. Si servus ex pacto non manumittatur ad diem, pro manumisso habetur.

MARITUS vel heres mariti, ob impensas necessarias, quæ ipso jure dotem minuunt, retinet dotem vice pignoris; *l. dote relegata, de dote prælegat.* Commodatarius ob impensas necessarias, quas fecit in rem commodatam, retinet rem commodatam vice pignoris; *l.* † *creditoris*, §. *ult. de furt.*

Venditor post perfectam emptionem, retinet rem venditam jure pignoris, quoad pretium ei solvatur; *l. Julianus*, §. *offerri*, *de act. empt. l. hereditatis*, *de hered. vel act. vendit. l. quod si nolit*, §. *idem Marcellus*, *de ædil. edict.*

Si liber homo pecuniam crediderit meo nomine, mihi adquiritur condictio certi, quia ego numerasse videor. Et hoc ex usu receptum est, quia plerumque per procuratorem vel argentarium solemus pecuniam mutuam dare; *l. certi condictio*, §. *si nummos*, *de reb. credit.* Et hoc est singulare in mutua pecunia. Singularia quædam recepta sunt in mutua pecunia; *l. singularia*, *eod. tit.*

Si ita legatum esset argentum, quod domi meæ erit, cum moriar, Offilius existimavit, nec quod depositum, nec quod commodatum esset, legatum videri. Labeo quod depositum esset, ita deberi, si præsentis, id est momentaneæ possessionis causa depositum esset, non perpetuæ, veluti thesauro, quia verba illa, *quod domi meæ erit*, sic accipi solebant. Argentum depositum custodiæ causa, ad modicum tempus, domi in manu mea esse videtur, quia statim sine mora repeti potest, & depositarius illico modis omnibus rem depositam reddere compellitur; *l. si quis*, *C. depos.* ita ut in depositio locum non habeat exceptio non numeratæ pecuniæ; *l. in contractibus*, §. 1. *C. de non numer. pecun.* vel exceptio compensationis; *l. ult. C. de compensat.*

Ita

Ita contrahi potest societas, ut unus conferat pecuniam, alter operam, id est artem & industriam: pretium enim operæ, artis est velamentum; *l. cum duobus, §. utrum, pro socio*. Opera & industria est loco pretii; *l. 4. §. suis autem, de manumiss.* Plerumque tanta est industria socii, ut plus societati conferat, quam pecunia; *l. si non fuerint, §. 1. pro soc.* Opera est hostimentum, id est æquamentum pecuniæ; Plaut. in asinar. *Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia*. Socius non tenetur in solidum, sed in quantum facere potest, quia societas jus quodammodo fraternitatis in se habet; *l. verum, pro soc.* Quintilian. declamat. 320. *Sociorum communia damna & lucra sint: sacra res est, & quædam fraternitas*.

Nulla est societas, ut unus lucrum ferat, alter damnum. Cassius solebat dictitare, talem societatem esse leoninam; *l. si non fuerint, §. ult. pro soc.* Societas inter homines fingitur leonina, ubi unus ex sociis nullum lucrum fert, & damnum sentit, adducto in hanc rem apologo de venatu leonis & vulpis, ex quo leo omnes partes tulit, vulpecula sibi gratulari habuit, quod ei leo pepercit.

Si ancilla ita venierit, ne prostituatur, & ut prostituta statim libera fiat, si venditor remittat manus injectionem, & sinat ancillam prostitui, statim libera fit, quia pro prostituta habetur; *l. 1. C. si mancip. ita venierit ne prostituat.* Et venditor non fit patronus; *l. † sed si hac lege, §. 1. de in jus vocand. l. 7. de jur. patronat. l. 7. qui sine manumiss.*

Si servus venierit ea lege, ut intra tempus manumittatur; si non manumittatur ad diem, fit liber, quia conditionis, id est pacti vi & potestate factum manumittentis repræsentatur; *l. ult. C. si mancip. ita fuer. alienat.* id est potestas pactionis habetur pro facto seu actu manumissionis; & si non manumittatur ex pacto ad diem, videtur manumissus a die pacti.

CAPUT XIII.

Manumissio similis est morti. Emancipatio similis est morti patris. Divisio fit tacita emptione, & permutatione partium. Interdum concursus fictionum admittitur. Fructus veniunt a lite contestata ex mora ficta. Legatum relictum Principi debetur successori. Bonæ fidei possessor quoad fructus percipiendos pro domino habetur. Qui indebitos nummos sciens accipit, quasi furtum facit. Colonus, qui fructus clam deportat, quasi fur furti tenetur.

MANUMISSIO similis est morti; *l. si mihi alienum, de solut.* quia sicut qui alienum servum promisit, liberatur morte servi ante moram, ita & liberatur manumissione, sicut liberatur morte. Tamen servus manumissus non potest haberi pro mortuo, quia cum manumittitur, quasi e mortuo suscitatur & regeneratur in alium hominem, e servo fit liber, & caput, id est statum habere incipit. Servus cum manumittitur, non habetur pro capite minuto; *l. 3. de capit. minut.* quia ante caput non habuit; effectu tamen habetur pro capite minuto, si manumissus sit.

Emancipatio etiam similis est morti patris; *l. si pater, de jur. dot. l. ult. C. de donat. quæ sub mod.* quia emancipatione filius f. fit sui juris perinde ac morte patris.

Divisio fit tacita emptione & permutatione partium; *l. † si filia, §. si pater, famil. ercisc. l. 7. §. 1.* in pr. *de publician. in rem act. l. cum pater, §. hereditatem 18., de legat. 2.* Per divisionem pervenitur ad alienationem; *l. ex castrensi, §. itaque, de castrens. pecul. l. pen. C. de præd. minor.* Divisio re-

Source : BIU Cujas

rum hereditariarum vel communium non est contractus, sed distractus, dissolutio communionis, quæ erat inter coheredes & consortes, quia coheredes vel consortes ante divisionem habent partes indivisas; & divisio non potest fieri, nisi tacita emptione & permutatione partium.

Interdum plures fictiones concurrere possunt, ut in *l. licet, de jur. dot.* si mulier viro quod debet, acceptum tulerit dotis constituendæ causa, dos per acceptilationem constituitur, non sine fictione, quia acceptilatio est solutio imaginaria, acceptilatio est vice solutionis. Si nuptiæ non sequantur, pristina obligatio mutui manet, quasi per acceptilationem dissoluta non sit; & in eo versatur concursus fictionum. Fictio per fictionem resolvitur, ut quod debetur, repetatur actione mutui, quia non est dotis actio, cum nuptiæ secutæ non sint.

Fructus veniunt a tempore litis contestatæ, fructus non veniunt ex mora vera, sed ficta, quæ inducitur lite contestata, quia mora contrahitur tantum per interpellationem; *l. mora, de usur.* Fulgos. in *l. in fideicommissi, eod. tit.*

Legatum in diem relictum Principi, mortuo Principe ante diem legati cedentem, non fit caducum constitutione Antonini, sed successori ejus debetur; *l. quod Principi, de legat.* 2. quia Principes non moriuntur, Principes sunt immortales ac æterni. Aliud in Augusta; *l. seq. ejusd. tit.*

Bonæ fidei possessor in percipiendis fructibus ex alieno fundo, ad hoc ut fructus suos faciat, pro domino habetur; *l. qui scit, §. in alieno, de usur. l. quæsitum*, in fin. *de adqu. rer. domin.*

Qui sciens indebitos nummos accepit, furtum facit; & si is qui indebitos nummos accipiebat, delegaverit solventem, si eo præsente ex delegatione solutum sit, furtum facit, quia hoc ipso nummos furtivos contrectare videtur, quod eo præsente nummi indebiti solvuntur delegato; *l. falsus creditor, §. si is qui, de furt.*

Si colonus fructus pro mercede locationis pignori obligatos clam deportaverit, furti tenetur, quia colonus fructus percipiendo, suos facit, quia voluntate domini eos percipere videtur, clam deportando non soluta mercede, furtum facere videtur; *l. si servus 61., §. locavi, de furt.* Palam delinquentes ut errantes majore pœna excusantur: clam committentes ut contumaces plectuntur; *l. ult. de rit. nupt.*

CAPUT XIV.

Fictio legis Corneliæ in lege falcidia. Si penus legata sit, & si non præstetur decem, quid sit in legato. Fructus pendentes sunt pars fundi. Qui est in utero, pro nato habetur, ut sibi prosit.

LEx falcidia pertinet ad testamenta eorum, qui apud hostes moriuntur, propter fictionem Legis Corneliæ, quia hujusmodi testamenta confirmantur lege Cornelia, id est fictione legis Corneliæ, quia lex fingit eos decessisse primo captivitatis momento; *l. 1. §. 1. l. filiusf. ad leg. falcid. l.* † *lege Cornelia, qui test. fac. l. lex Cornelia, de vulgar. & pupillar.*

Si ita legatum sit, heres meus Seio penum dato, si non dederit decem dato, quidam putant omnimodo in legato decem esse, penum autem mortis causa capi, nec in falcidiam imputare id heredem, id est penum non esse in legato, non imputari in falcidiam, id est in ponenda ratione legis falcidiæ, penum non computari inter legata, ad hoc ut quarta detrahatur de penu quasi legata, sicut de aliis legatis. Paulus autem dicit, si in continenti heres penum solverit, videri hoc legatum esse, & in in falcidiam imputari posse, id est compu-

Source : BIU Cujas

computari inter legata, ad hoc ut falcidia detrahatur; *l.* 1. §. *item si, ad leg. falcid.* Legatum relinquitur ab herede præstandum, quasi interposita persona heredis: & cum quæritur an penus sit legata, an decem, hoc intelligitur ex facto heredis. Si in continenti heres penum solverit, videtur hoc legatum esse, & in falcidia computatur, quasi heres sit optimus interpres & conscius voluntatis defuncti. Quod si jam mora facta heres penum solverit, non imputatur in falcidiam, id est non detrahitur de eo falcidia: jam enim mora heredis transfusum est legatum penus, in legatum decem; *l.* 1. §. † *item si ita legatum, ad l. falcid.* ita ut falcidia deducatur ex legato decem, non ex legato penus. Quod dicitur, in continenti accipiendum est cum aliquo spatio temporis, ne cogatur heres adire hereditatem cum sacco; *l. ratum, l. quod dicimus, de solut. l. continuus, de V. O.* Et ita quod dicitur, testamentum uno contextu fieri, ita intelligendum est, ut nullus actus alienus testamento intermisceatur; *l. heredes, §. ult. qui test. fac. l. quod ait, ad leg. Jul. de adulter. l. si quis filium, §. 1. de collat.*

In rei vindicatione veniunt fructus pendentes quasi pars fundi. Et hoc est quod dicitur in *l. fructus, de rei vindic. & in l. si servus* 61., *§. locavi, de furt.* Fructus pendentes immobilibus adnumerantur, cum sint pars fundi; *l.* † 12. *de R. J.* In ponenda ratione legis falcidiæ, cum quæritur an legata superent dodrantem hereditatis, ita ut sit locus falcidiæ, fructus nondum percepti tempore mortis, qui maturi erant tempore mortis, augent hereditatem, seu hereditatis æstimationem fundi nomine, id est quasi pars fundi, qui videtur illo tempore fuisse pretiosior, propter fructus proximos perceptioni; *l. 9. ad l. falcid.* Ex edicto † *quæ in fraud. creditor.* non solum fundum alienatum in fraudem creditorum restitui oportet, sed & fructus, qui alienationis tempore solo cohærent, vel cohærere intelliguntur; non solum fructus qui erant maturi tempore alienationis, sed etiam fructus immaturi, id est fructus recens sati hiberno tempore; *l. ult. §. pen.* † *quæ in fraud. creditor.*

† Mendosa citatio. Faciunt, *l.* 12. §. 11. *de instr. vel instrum. legat. & l.* 17. *de act. empt.*

Qui est in utero, pro jam nato habetur ut sibi prosit, quoties de commodis ipsius quæritur, alii antequam nascatur, non prodest; *l. qui in utero* 7., *de stat. homin. l. quod dicimus, de V. S.* Qui in utero est, pro nato habetur ut sibi prosit, puta ut legatum relictum in tempus liberorum, adquiratur posthumo, si cui legatum relictum sit quandocumque liberos habuerit: si decesserit relicta prægnante uxore, conditio legati extitisse intelligitur, ut scilicet legatum transeat ad posthumum, qui est suus heres; *l. is cui, quando dies legat. ced.* Qui est in utero, pro nato habetur, ut legitima hereditas ei restituatur. Si prægnans mulier ab hostibus capta sit, id quod natum erit habet jus postliminii, si redierit ab hostibus. Item partus editus patris vel matris conditionem sequitur: & si ancilla prægnans subrepta fuerit, quamvis apud bonæ fidei possessorem pepererit, id quod natum erit, tamquam furtivum, id est partus ancillæ furtivæ usucapi non potest; *l. pen. de stat. homin. l. qui vas, §. ancilla, de furt.* Et ob id nec ancilla furtiva, nec partus ancillæ furtivæ potest vindicari actione publiciana; *l. si ego, §.* † *partum, de publician. in rem act.* Qui est in utero, pro jam nato habetur, ut matris damnatæ pœna suspendatur quoad pariat; & quæ partum abegit, damnatur de abacto partu, quasi de homicidio, quia spem animantis peremit; *l. Cicero de pœn. l.* 4. *de extraord. crim.* Tertull. apologetic. cap. 9. *Nobis vero homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet: homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet.* Mulier prægnans si mortua sit, non debet humari aut sepeliri, antequam partus exscindatur, ne spes animantis cum gravida perimatur; *l.* 2. *de mort. inferend.* Qui est in utero, non prodest alii, puta non prodest patri, ut excusetur a tutela, vel cura, numero liberorum; *l.* † 2. §. 8. *de excus. tutor.*

† Corrige §. *partus*. Et intellige, hac actione vindicari per furem, vel ejus heredem non posse: nam a domino ancillæ per hanc actionem petendus est.

Source : BIU Cujas

CAPUT XV.

Unum est testamentum patris & filii, licet duæ sint hereditates. In testamento patris & filii una falcidia detrahitur, quasi ex una hereditate. Is qui simpliciter adiit hereditatem, tenetur in solidum creditoribus & legatariis, quia adeundo videtur contrahere cum his. Legata relicta ab instituto debentur a substituto, quasi tacite repetita. Portio deficientis adcrescit coheredi cum onere quasi tacite substituto. Tacita substitutio vulgaris inest pupillari, & vicissim pupillari inest tacita vulgaris. Fideicommissum debetur, quasi æs alienum.

UNUM est testamentum patris & filii, id est unum est testamentum paternum, & pupillare, id est substitutio pupillaris, licet duæ sint hereditates; *l.* 2. §. *prius*, *l. patris & filii*, *de vulgar. & pupillar. l. paterfamilias*, *de privileg. creditor.* Duæ sunt hereditates, alia patris, alia filii, maxime pupilli exheredati, ad quem nihil pervenit ex bonis patris; *l. si ita scriptum*, §. *ult. de bonor. possess. secund. tabul.* §. *igitur*, *inst. de pupillar. substit.* Heres institutus non oneratur legatis, ultra modum bonorum testatoris, etiam si sit substitutus pupillo exheredato; *l. quod supra*, *ad leg. falcid.*

In tabulis patris & filii, in testamento paterno & pupillari, una falcidia servatur, id est una falcidia detrahitur. Effectus ejus regulæ est, quod legata relicta primis & secundis tabulis, in unum contribuuntur, id est commiscentur, confunduntur, in ponenda ratione legis falcidiæ, & ex legatis utrisque commixtis, una falcidia retinetur ex una hereditate, id est paterna; *l. in ratione* 11. §. *quod vulgo*, *ad leg. falcid.* Legata relicta secundis tabulis, finguntur relicta primis tabulis, sub conditione, si filius impubes decesserit; *d.* §. *quod vulgo*, *l. in duplicibus*, *eod. tit.* Duplex est testamentum, paternum & pupillare: sed pro uno habetur, ut uni falcidiæ locus sit; *d.* §. *quod vulgo*. In duplici testamento septem testes & septem signa sufficiunt quasi in uno testamento; *l. patris*, *de vulgar. & pupillar. l. ut bonorum*, *de bonor. possess. sec. tabul.* Proculiani duo faciebant testamenta, paternum, & pupillare, Sabiniani unum; *l. paterf. de privileg. creditor.* & horum opinio prævaluit.

Substitutus pupillo legata a pupillo relicta præstat quasi æs alienum pupilli; *l. in ratione* 11., §. *quod vulgo*, *ad leg. falcid.* quia postquam pupillus patri heres extitit, ea debere cœpit, non ut legata, sed ut æs alienum; *l.* 1. *C. de bon. auct. judic. possid.* Substitutus pupillo, quum conditio substitutionis extitit, si ejus portio sit onerata legatis, quartam deducit ex sua persona, quia revocatur ad intellectum substitutionis, id est habetur pro instituto primis tabulis; *l.* 1. §.*) *si coheredis*, *l. in ratione* 11. §. *si filio*, §. *quæsitum*, *l. qui fundum*, §. *ult. ad leg. falcid. l. coheredi*, §. *coheres*, *de vulgar. & pupillar.*

Heres scriptus, qui semel agnovit hereditatem absque beneficio inventarii, tenetur in solidum creditoribus & legatariis, etiam ultra vires hereditatis, nec deducit falcidiam; *l. ult.* §. 1. *C. de jur. deliber. l.* † *si de bonis*, *C. de bon. auct. judic. possid.* quia adeundo hereditatem videtur contraxisse cum creditoribus & legatariis: solvendo est hereditas, quæ heredem invenit; *l. libertus*, *de bon. libertor.*

† lex ista desideratur.

Legata relicta ab instituto, debentur a substituto, quia videntur tacite repetita ex voluntate testatoris, ex constitutione Severi; *l. licet*, *de legat.* 1. *l. si Titio & Mævio*, §. 2. *de legat.* 2. *l.* 4. *C. ad Trebell.*

Portio deficientis adcrescit coheredi cum onere legatorum; *l. pater*, *l. si Titio & Mævio*, *de legat.* 2. quasi substituto tacite. Conjunctio est tacita

Source : BIU Cujas

cita substitutio ; *l. unic. §. his ita, C. de caduc. tollend.*

Tacita substitutio vulgaris inest pupillari, si heres extiterit, & impubes decesserit, & vicissim pupillari inest tacita vulgaris ; *l. jam hoc jure, de vulgar. & pupillar. l.* 4. *C. de impuber.* & hoc legis intellectu, fictione juris, quæ fiunt legis intellectu, fiunt fictione juris. Lex intelligit fingendo aliquid ; *l. in ratione* 11. *§. si filio, ad leg. falcid.*

Fideicommissum debetur quasi æs alienum, ut in ponenda ratione legis falcidiæ, fideicommissum prius deducitur quasi æs alienum ; *l. pater filium, l. qui fundum, §. si quis heredem, ad leg. falcid.* Hinc inter creditores numerantur, quibus fideicommissum debetur ; *l.* 1. in fin. *C. qui manumitt. non poss.* & hereditatis restitutio, quæ fit ex causa fideicommissi, dicitur solutio ; *l. non enim, ad Trebell.* quia heres rogatus restituere hereditatem, non ultro restituit, sed ex voluntate testatoris, quasi æs alienum.

CAPUT XVI.

Si creditor debitori heres extiterit, aditione confunditur obligatio, & actio : sed semel extincta restituitur, si sit locus falcidiæ. Expromissio magis videtur solutio, quam donatio. Compensatio fit ipso jure. Abesse videtur quod debetur. Lex falcidia locum habet in testamento ejus qui apud hostes decessit, fictione legis Corneliæ. Interdum obligatio confusa aditione hereditatis restituitur fictione juris. Qui habet pretium, rem habere videtur.

SI creditor debitori heres extiterit, & legatis onerata sit hereditas, in ponenda ratione legis falcidiæ, heres creditum suum deducit ; *l. si debitor, l. quod bonis, §. quod avus, l. qui fundum, §. si quis heredem, ad leg. falcid. l.* 6. & 8. *C. eod. l. unic. §. igitur, C. de rei uxor. act.* Neque obstat quod aditione hereditatis creditum est confusum & confusione extinctum, quia ex lege falcidia creditum adhuc existere videtur quoad deductionem æris alieni in ponenda ratione legis falcidiæ : aditione hereditatis confusione creditum extinguitur, quasi solutione, sed beneficio legis falcidiæ restituitur, quoad deductionem æris alieni, in ponenda ratione legis falcidiæ ; *l.* 1. *§. si debitor, l. cum quo, ad leg. falcid.* Aditione hereditatis confusione tollitur obligatio & actio, non deductio, retentio, reputatio : facilius datur retentio, quam actio. Confusione non tollitur penitus naturalis obligatio, sed manet ad aliquid, ut in computationem æris alieni venire possit quod aditione confusum est ; *l. debitor, ad Trebell.*

Expromissio naturalis debiti, non est donatio, sed solutio ; *l. hoc jure, §.* † 4. *de donat.* id est qui expromisit pro alio naturaliter obligato, id est in se suscepit alienam obligationem naturalem, non videtur donare, sed solvere ; id est videtur potius habere animum solvendi pro alio ut liberetur, quam donandi.

Compensatio fit ipso jure ; *l. posteaquam, de compensat.* id est intellectu & potestate legis, etiam si non opponatur exceptio compensationis vel doli mali, qua æquitas merum jus compensationis inducit ; *l. inter tutores, de administr. tutor. l. unum ex familia, §. sed si uno, de legat.* 2. Compensatio fit ex tacita exceptione doli, quæ inest omnibus honæ fidei judiciis, etiam si non opponatur ; *l.* † *sed etsi ideo, solut. matrim. l. hujusmodi, §. qui servum, de legat.* 1.

Id abesse videtur, in quo quis obligatus est : in bonis non est quod debetur ; *l. si quis mandatu, de negot. gest.* Ex donatione a viro in uxorem collata, quam heres ejus viro reddere cogitur, in bonis mulieris non erit : nam ex ea donatione mulier ita fit locupletior, ut tanto pauperior esse videatur ; *l. quod bonis, §. ex donationibus, ad leg. falcid.*

Source : BIU Cujas

Lex falcidia locum habet in testamento ejus, qui captus ab hostibus ibi decessit, quia testamentum confirmatur fictione legis Corneliæ, qua fingitur obiisse in civitate primo captivitatis momento, id est momento antequam in hostium potestatem veniret ; *l.* 1. §. *lex falcid. ad leg. falcid.* Ex quo is, qui apud hostes decessit, heres est, & hereditas inducitur ; *l. in bello*, §. *si quis capiatur, de captiv. & postlim. reverf. l. si filiusf. de test. milit.* alias extra fictionem legis Corneliæ, ejus, qui apud hostes decessit, nulla hereditas, nullusque heres dici potest, quia servus decessit ; *l.* 3. §. *ult. de V. S.*

Si pater creditori peculiari filii ex testamento heres extiterit, etsi aditione hereditaris debitum confusum sit, si hereditatem vendiderit, tenetur emptori de peculio ; *l. si creditor, de pecul.* id est emptor id reputat venditori, quasi hereditatem eo plus emerit, quasi venditor id jam solvisset hereditati.

Si quis vendiderit servum alienum, & emptori stipulanti caverit dupla de evictione, & emptor domino servi heres extiterit, emptori duplæ stipulatio de evictione non committitur, quoniam servus ei evinci non potest, cum emptor domino servi heres extitit, nec ipse videtur se ipsum evincere, sed agit actione ex empto adversus venditorem ; *l. si ei cui vendidi*, §. 1. *de evict.*

Qui pretium habet partis hereditatis, ipsam partem hereditatis habere videtur : pretium succedit loco rei ; *l. si & rem, de petit. heredit. l. quia qui pretio, de usufruct.*

CAPUT XVII.

Substitutio habetur pro institutione conditionali. Hereditas solvendo esse intelligitur, quæ heredem invenit. Annua legata, in perpetuum legata videntur. Liberatione legata debitori, etsi non sit solvendo, quod debetur computatur in ponenda ratione falcidiæ, quia capere videtur, quod liberatur. Qui spernit quod datur, conditionis implendæ causa, non potest detrahere quartam, quia videtur quartam accepisse vel remisisse.

SI heres institutus sit pure ex parte, & coheredi substitutus in vulgarem casum, id quod ex substitutione coheredis ad coheredem pervenit, proficit legatariis, ut liberentur onere falcidiæ, quia hoc imputat in falcidiam, quod ad eum pervenit ex substitutione coheredis, quia id capit jure hereditario. Similis est enim heredi ex parte pure, ex parte sub conditione instituto ; *l.* 1. §. *id quod ex substitutione, ad leg. falcid. l. cum heres*, §. *qui ex parte, de adquir. heredit.* Substitutio est institutio conditionalis.

Hereditas solvendo esse intelligitur, quæ heredem invenit ; *l. libertus qui solvendo, ad l. falcid.* quia vix suaderi potest, non esse eam hereditatem solvendo, quæ heredem invenerit. Tamen si heres scriptus hereditatem, quæ non est solvendo, vendiderit, non tenetur legatariis, quia magis ex stultitia emptoris, quam ex bonis defuncti habere videtur. Sed & si heres, a quo legata relicta sunt, cum creditoribus deciderit, id est transegerit, ne solidum æs alienum solveret, & ob transactionem factum sit, ut aliquid modicum, scilicet ex hereditate servaret, nihil legatariis debetur, quia id non ex hereditate, sed ex decisione, ex transactione habet ; *l.* 3. *ad leg. falcid. l. debitor, ad Trebell.*

Si annua simpliciter legata sint, in perpetuum legata videntur ; *l. annua, de ann. legat. l.* 3. §. *ult. ad leg. falcid.* quia perpetuum intelligitur, quod non habet tempus limitatum ; *l. jurisperitos, de excusat. tutor, l. si mandatu* 59. §. *pen. mandat.*

Si debitori liberatio legata sit, quamvis non sit solvendo totum legatum, id est

Source : BIU Cujas

id est omne quod debetur, computatur in ponenda ratione falcidiæ ; licet nomen hoc non augeat hereditatem, nisi ex eventu, quia fieri potest, ut qui non erat solvendo, postea fiat solvendo, auctis facultatibus : capere enim videtur, id est ex legato capere cum effectu videtur, quod liberatur ; *l. Nesemius*, §. † *si debitori*, *ad leg. falcid.* Neque obstat, quod in ponenda ratione legis falcidiæ spectatur tempus mortis testatotis ; *l. cum quo de peculio*, *eod. tit.* quia debitor, cui liberatio legata est, etsi non sit solvendo, videtur capere, id est capere legatum cum effectu, quia liberatur legata liberatione. Legatum non inutile videtur, quia parit liberationem. Semper liberatio prodest debitori, etiam si non sit solvendo, quia eum liberat ab angustiis æris alieni ; Plin. lib. 7. cap. 32. *Comitem æris alieni esse miseriam.*

Si heres institutus, accepta pecunia rogatus hereditatem restituere, repudiato eo quod dandum erat conditionis implendæ causa, malit quartam, id est Trebellianicam deducere, fideicommissum restituere cogitur, etiam non accepto eo, quo accepto rogatus est hereditatem restituere, quoniam quod testator ei dari voluit conditionis implendæ causa, quartæ commodum præstat ; *l. si heres*, *ad Trebell.* Id est, qui sprevit voluntatem testatoris, videtur accepisse eam pecuniam, quæ vice quartæ est, vel remisisse jus suum.

CAPUT XVIII.

Tradito pignore debitor id possidere intelligitur quoad quædam. Servus communis, duorum servorum personam sustinet. Pupilli & furiosi quasi voluntas. Locatio & conductio tacite repetitur. Captis pignoribus ex causa judicati, quasi transactum videtur. Interdum mutuum retroagitur.

TRADITIONE pignoris non transfertur dominium in creditorem, sed nuda possessio ; *l.* 1. §. *cum prædium*, *de pignor.* Tamen debitor, qui pignoris causa fundum tradidit, intelligitur possidere quoad usucapionem cœptam implendam. Possessio creditoris non impedit usucapionem, id est non impedit quominus debitor, qui ante pignoris traditionem usucapere cœpit, usucapionem adimpleat ; *l.* 1. §. *per servum*, *l.* † *qui pignoris*, *de adquir. possess.* quia possessio pignoris datur tantum creditori pro securitate debiti, est magis nuda detentatio, quam possessio : idem possidere pignus intelligitur quoad evitandam satisdationem judicio sisti ; *l.* † *sciendum*, §. *creditor*, *qui satisd. cog.* Debitor, qui pignus tradidit, possidere intelligitur tantum quoad usucapionem, quoad cetera creditor pignus possidet : puta si creditor conventus actione in rem servi nomine, qui pignus tradidit, forte lateat, servi nomine creditor convenitur actione ad exhibendum, non debitor ; *l. servi nomine*, *de usucap.*

Servus communis, duorum servorum personam sustinet : idcirco si proprius meus servus servo communi, meo & tuo, stipulatus fuerit, perinde est, ac si separatim duæ stipulationes conceptæ essent, una meo servo, altera tuo. Et si servus communis ejus conditionis sit, ut non possit adquirere alteri ex dominis, quia est incapax, puta deportatus ; perinde habetur, ac si ejus solum esset, qui adquirendi facultatem habet. Servus communis sic omnium est, non quasi singulorum totus, sed pro partibus indivisis, ut intellectu magis partes habeant, quam corpore ; *l. servus communis* 5. *de stipulat. serv.* Partes indivisæ intellectu concipiuntur, non corpore, id est corporum divisione ; *l.* † *Mævius*, §. *sed si pars*, *de legat.* 2.

Pupillus nec velle, nec nolle habet ; sed quod deest pupillo, suppletur auctoritate tutoris intervenientis ; *l. pupillus*, *de R. J.* Morte viri vel divortio

Source : BIU Cujas

ſoluto matrimonio, dotis repetendæ actio communis eſt patri & filiæ. Filia conſentire videtur, niſi evidenter contradicat, & pater quaſi ex voluntate filiæ videtur experiri, ſi furioſam filiam habeat; *l.* 2. §. *voluntatem, ſoluto matrimon.*

Furioſi vel ejus, cui bonis interdictum eſt, nulla eſt voluntas; *l. furioſi, de R. J.* Si furioſo optio ſervi legata ſit, non poteſt optare, quia non videtur conſentire, qui ſentire non poteſt; *l. ſi tibi* 61. §. *unius, de option. legat.* Tamen patre furioſo, partus conceptus naſcitur in poteſtate patris, quia furor ſuperveniens non ſolvit matrimonium, quaſi voluntatis reliquiis in furioſo manentibus; *l. patre furioſo, de his qui ſunt ſui vel alien. jur.*

Finito tempore conductionis, locatio, conductio tacite redintegratur, ſi dominus patiatur colonum eſſe in fundo; *l. item quæritur*, §. *ult. & l. ſeq. locati, l. legem, C. eod.* Idem in precario dato ad tempus; *l.* 4. §. *item qui precario, de precar.*

Si pignora capta ex cauſa judicati, emptorem non inveniant, addicuntur creditori jure dominii, pro ea quantitate quæ debetur, quia creditor captis pignoribus, de credito tranſegiſſe videtur; *l. a Divo Pio*, §. *ſi pignora, de re judicat. l.* 3. *C. de execut. rei judic. l. ult. C. ſi in cauſ. judic. pign. capt. ſit.*

Interdum mutuum manet in pendenti, nec ſtatim nummi fiunt accipientis: puta ſi heres certam pecuniam legatam crediderit, & poſtea legatarius legatum repudiaverit, legatum convaleſcit, ex quo adita eſt hereditas. Traditio mutui cauſa facta redigitur, id eſt retroagitur ad tempus aditæ hereditatis; *l. proinde, de reb. credit.*

CAPUT XIX.

Pignus remittitur tacito conſenſu. Uſufructuarius non poſſidet, ſed quaſi poſſidet. Ea quæ ſunt facti, non recipiunt fictionem. Adrogatio ſpecies eſt ſucceſſionis. In criminalibus appellatio extinguit judicatum. Pecunia tacita, pecunia certa, pecunia incertis nominibus credita. Judex quibuſnam caſibus litem ſuam facit.

PIGNUS extinguitur, ſi creditor permiſerit pignus venire: idem ſi debitor pignus vendiderit conſenſu creditoris, nondum tradiderit, pignus extinguitur, quia traditum videtur, quatenus venditor tenetur actione ex empto tradere; *l. ſicut*, §. *venditionis, quib. modis pign. vel hypoth. ſolv.* Idem dicendum eſt, ſi debitor pignus in dotem dederit, quia vendidiſſe videtur. Dotis datio emptionis loco habetur propter onera matrimonii; *d. l. ſicut*, §. *ſed ſi permiſerit, l. ex promiſſione, de oblig. & act.* Dos eſt quaſi redemptio onerum matrimonii.

Uſusfructuarius non poſſidet, quia uſusfructus eſt jus incorporale, ſed quaſi poſſidet; *l. ait prætor*, §. *item ei, ex quib. cauſ. major. l.* † 1. §. *unde, quod legator. l.* 3. §. *pen. de vi & vi armat.* & fructus percipiendo ſuos facit, quaſi poſſeſſor; *l. qui ſcit*, §. † *in alieno, verſ. præterea, de uſur.*

Uſucapio interrumpitur captivitate, quia captus ab hoſtibus fit ſervus hoſtium, & deſinit poſſidere, etſi poſtliminio revertatur ab hoſtibus, uſucapio ſemel interrupta, fictione poſtliminii non redintegratur, quia poſſeſſio non recipit fictionem poſtliminii, ut videatur uſucepiſſe; *l. ſi is qui pro emptore, de uſucap. l. denique, l.*) cum miles, ex quib. cauſ. major. l. in bello* §. 2. *de captiv. & poſtlim. reverſ.* quia ea quæ ſunt facti, non recipiunt fictionem. Poſſeſſio eſt magis facti, quam juris; *l. denique, ex quib. cauſ. major.*

Adrogatio ſpecies eſt ſucceſſionis. Si quem adrogavero, ſtatim omnes res ejus mihi adquiruntur, quaſi jure ſucceſſionis univerſalis; §. † *ult. inſt. per quas perſon.*

perſon. cuiq. adquir. Si heres inſtitutus ex parte coheredem ſuum poſt aditam hereditatem adrogaverit, ſeparandæ ſunt portiones in ponenda ratione falcidiæ, ex legatis ab utroque coherede relictis; id eſt legata non contribuuntur, non commiſcentur, perinde ac ſi coheredi ſuo heres extitiſſet; *l.* 1. §. *ſi coheredem, ad leg. falcid.* Adrogatio eſt genus ſucceſſionis, quia per adrogationem ſtatim bona adrogati adquiruntur adrogatori jure patriæ poteſtatis. Et viciſſim ex conſtitutione D. Pii quarta legitima debetur adrogato in bonis adrogatoris; *l. Papinianus*, §. *ſi quis impubes, de inoffic. teſtam.*

In criminalibus appellatio extinguit judicatum; *l.* 1. in fin. *ad Turpill.* Damnatus furti vel aliis famoſis actionibus, pendente appellatione, nondum inter famoſos habetur: ſi autem omnia tempora appellationis lapſa ſint, retro infamis eſt, id eſt ſententia retro trahitur ad tempus condemnationis; quamvis ſi injuſta appellatio ejus viſa ſit, ſi pronunciatum ſit injuſtam appellationem eſſe, hodie notatur, id eſt famoſus efficitur a die ſententiæ latæ in cauſa appellationis, non retro notatur; *l. furti*, §. 1. *de his qui not. infam.* Sententia non dicitur confirmari, quia retro trahatur, ſed conſervari; *l. ult. quod cum eo, qui in alien. poteſt. eſt.*

Pecunia tacita eſt, quæ quaſi in ſinu creditur, ſine chirographo, ſine cautione; *l. emptor*, §. *Lucius, de pact.* Pecunia certa eſt, quæ certis nominibus debetur, puta ex mutuo vel ſtipulatu; M. Tull. pro Roſc. Comœd. *Pecunia petita eſt certa, cum tertia parte ſponſio facta eſt, hæc pecunia neceſſe eſt, aut data, aut expenſa lata, aut ſtipulata ſit.* Incertis nominibus pecuniam mutuam filiisfamilias credere ſolebant fœneratores, puta non expreſſa cauſa debendi, vel ita ut ſolveretur poſt mortem patris, quod erat ominoſum & incertum; *l.* 1. *ad Macedon.*

Judex litem ſuam facit, id eſt facere intelligitur, ad hoc ut litis æſtimationem præſtet, ſi dolo malo, puta per gratiam, inimicitiam, vel ſordes male judicet; *l. filiuſf.* §. 1. *de judic.* Quod ſi per imprudentiam, id eſt per imperitiam male judicet, non tenetur proprie ex maleficio, ſed quaſi ex maleficio actione in factum, in quantum de ea re religioni judicantis æquum viſum fuerit; *l. ult. de extraord. cognit.*

CAPUT XX.

Filius eſt portio patris. Damnati in metallum ſunt ſervi pœnæ. Redempti ab hoſtibus pignore tenentur redemptori. Princeps pro privato habetur in jure capiendi ex teſtamentis alienis. Si res vendita vel donata ſit a Principe, vendita vel donata videtur a domino. Feminæ erant in perpetua tutela, quaſi impuberes. Actiones non tolluntur tempore, ſed quaſi remittuntur. Tabellio ſervus publicus. Legatus Proconſulis, ſemel mandata juriſdictione, quaſi propria fungitur.

Filius eſt portio patris, quamdiu eſt in poteſtate: ſervus portio domini. Vinculum poteſtatis unam perſonam efficit. Adeo ut qui ſtipulatur filio ſuo vel ſervo, videatur ſibi ſtipulari; §. † *ſi quis alii, verſ. ei vero*, §. *poſt mortem, inſt. de inutil. ſtipulat. l. ſi ſervus, de damn. infect.* Quod evidentius apparet, cum filius vel ſervus exiit e poteſtate: nam emancipatio, vel manumiſſio duas perſonas conſtituit, unam patris vel domini, aliam filii vel ſervi; *l. ſi Pamphilo, de option. legat.* Teophil. in §. † *an ſervo, inſt. de legat.*

Damnati in metallum ſunt ſervi pœnæ magis quam fiſci; *l. aut damnum*, §. † *ſervos, de pœn.* Id eſt non alium dominum poſſunt demonſtrare, quam

Source : BIU Cujas

pœnam, id est pœnam metalli ; *l. ex facto*, §. *ex facto*, *ad Trebell.*

Jus postliminii manat ex jure gentium ; *l. postliminium*, *de captiv. & postlimin. reverſ.* Capti ab hostibus fiunt servi hostium, & jure postliminii recipiunt libertatem, civitatem & omnia jura, si postliminio redierint ab hostibus, vel etiam si redempti sint : nam & redemptis ab hostibus patet jus postliminii ; *l.* † *si captivus*, §. *ult. eod. tit* Sed si alienis nummis redempti sint, redemptori pignori tenentur, quoad ei pretium redemptionis persolverint ; *l.* † *si patre*, *eod. tit. l. qui testamento*, §. 1. *qui testam. fac. poss.* Quod pignus dicitur naturale ; *l.* 2. *de captiv. & postlim, reverſ.*

Princeps non potest capere ex imperfecto testamento ; §. *ult. inst. quib. mod. testam. infirm. l. ult. qui test. fac. poss.* Princeps heres institutus patitur querelam inofficiosi testamenti ; *l. Papinianus*, §. † *si Imperator*, *de inoff. testam.* Et si legatum aut fideicommissum aut mortis causa donationem accepit, patitur falcidiam ; *l.* 4. *C.* † *ad l. Falcid.* Prius testamentum, quo Princeps heres institutus est, rumpitur posteriore ; *l.* 7. *C. qui testam, fac.* quia Princeps in jure capiendi ex alienis testamentis pro privato habetur.

Qui rem accepit ab Augusto vel Augusta, titulo emptionis vel donationis, tutus est adversus dominum, vel creditorem agentem hypothecaria : sed domino vel creditori hypothecario datur actio intra quadriennium adversus curatorem domus Augustæ ; *l. ult. C. de quadrienn. præscript.* Quia res videtur vendita vel donata a domino, actio datur in ipsum Principem.

Olim feminæ sive puberes, sive impuberes, erant in perpetua tutela, nec quidquam poterant gerere sine auctoritate tutoris ; Ulpian. in fragm. Feminæ semper videbantur impuberes propter sexus infirmitatem ; Cujac. 26. *obs.* 7. Eadem ratione feminis vetitum, ne nubant sine consilio suorum, licet sui juris sint ; *l. viduæ*, *C. de nupt.*

Actiones in personam & in rem præscribuntur longissimo tempore, id est præscriptione 30. vel 40. annorum ; *l. sicut in rem*, *l. cum notissimi*, *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* Quod non sine fictione procedit, actio non perimitur tempore. Tempus non est modus tollendæ obligationis ; *l. obligationum* 44. *de oblig. & act.* Sed tanti temporis silentio actor videtur remisisse jus suum.

Tabellio dicitur servus publicus ; *l. non aliter*, *de adopt. l.* 2. *rem pupill. salv. fore.* Hodie tabellio debet esse liber ; *l. generali*, *C. de tabular. libr.* 10.

Qui mandatam habet jurisdictionem, non potest eam alii mandare ; *l. more majorum*, *de jurisdict.* Delegatus non potest subdelegare. Legatus proconsulis nihil proprium habet, antequam ei a proconsule mandata fuerit jurisdictio ; *l.* † *legati*, *de offic. proconsul.* Sed postquam ei a proconsule mandata fuerit jurisdictio, quasi propriam exercet, & mandata sibi jurisdictione, judicis dandi jus habet ; *l. legatus*, *eod. tit.* quia legatus non datur a proconsule, sed a senatu ; Dio *libr.* 53. Capitolin. *in Gordiano*, Vopisc. *in Probo*. Interdum tamen a senatu proconsuli dabatur optio legati ; Liv. *libr.* 23.

FINIS.

Septenario tractatui fictionum juris visum est adjungere solemnem prælectionem, quam auctor habuit pro scholis instaurandis die 19. *octobris* 1656. *in l.* cum societas, ff. pro soc. *in qua fictio tacitæ emptionis venditionis indicatur, & ex ea novus intellectus legis eruitur.*

ANTO-

Source : BIU Cujas

ANTONII DADINI ALTESERRÆ,

ANTECESSORIS TOLOSANI SOLEMNIS PRÆLECTIO.

Ad l. cum societas 69. ff. pro soc. *habita pro scholis instaurandis die 19. octobris 1656.*



QUAM gravis & anxia sit hujusce legis indagatio, hinc facile intelligere licet, quod plures e nostris varia interpretatione diffidentes eam tentarunt. Cujac. ipse 4. *obs.* 17. hac in lege diutius se desudasse fatetur, nec ejus sententiam se assecutum affirmare audet: post eum Ant. Faber 5. *conject. cap.* 4. & Jo. Costa uterque hanc legem varie interpretati sunt; sed non eo successu, verbo absit invidia, quin quærendi locus supersit.

Ego etsi imparitatis meæ conscius, tantum mihi non tribuo, ut cum dominis & magistris meis certare valeam; tamen veritatis quærendæ studio moveor, ut in pulcherrima luce academiæ promam, quod olim in hanc legem meditandi venit in mentem.

Mitto quæ Cl. Salmasius in hanc legem adnotavit; pertinent enim tantum ad grammaticam horum verborum *nundinas*, *id est epulas*, nec quidquam prosunt eruendæ legis sententiæ: de jurisconsulto, qui rerum & verborum scientia præstare debet, idem mihi succurrit judicium, quod Chrysostomo in epist. ad Galat. de Philosopho ei minime opus esse grammatico, οὐδὲ γραμματικοῦ τινος † δεῖται φιλόσοφος ὤν.

Negotiationem, in qua versatur summa hujus legis, Romani peritissimi rerum omnium arbitri non minori fere studio, quam rem militarem tractarunt: haud vile & verecundum eis fuit mercimonio operam dare, quo exterarum gentium vires animosque explorarunt, & peregrinas opes suas fecerunt. Hinc accessit auri copia, reip. nervus, sine quo bella geri, urbes oppugnari, classes instrui non possunt; & virtus militum præmio destituta languescit. Hoc obtutu etiam nobiles, & equestris ordinis viri, inter pacis studia mercimonium coluere: quo in pretio esset mercatura, hoc argumento discimus, quod una die octuaginta millia civium Romanorum, qui negotiationis causa per Asiam sparsi erant, una epistola sustulit Mithridates, auctore Valerio Maximo.

Hac de causa, quia negotiationis molem unus per se sustinere vix potest, & collatio pecuniæ, artis & industriæ plurium mirum in modum commercium juvat, passim societates initæ negotiationis causa. Hinc celebratur societas vectigalium in *l. actione*, §. *pen. h. tit.* Societas sagariæ negotiationis, id est in coemptionem sagorum, quod est vestis militaris genus; *l. cum duo*,

Source : BIU Cujas

§. *quidam*, *hoc ipso tit.* Et in hac lege agitur de societate inita ad emendum : passim contrahi solebant societates ad res emendas & vendendas : erant qui negotiandi causa emebant servos, greges pecoris, agros, domos, supellectilem ; emebantur prædia squalida & inculta, quæ mangonizata, id est semel polita, exculta & instructa revenderentur : hac arte Crassum oratorem magnum quæstum fecisse refert Plinius *lib. 9. cap.* 54.

Hujus legis species hujusmodi est : inita societate ad emendum, inter socios convenit, ut unus reliquis nundinarias epulas præstaret, eosque ad negotium dimitteret ; vel ut legitur in Florentinis, *ut unus reliquis nundinas, id est epulas præstaret, eosque a negotio dimitteret*. Si non solvat epulas, Ulpianus ait, & pro socio, & ex vendito cum eo agendum.

Cur detur actio pro socio nihil est quod quæramus, quippe hæc actio venit ex natura, & ex lege contractus ; pacta quæ sunt secundum naturam contractus, non mutant contractum, non mutant actionem propriam contractus : ut, si pacto societatis, in continenti subjecta sit stipulatio, inde non datur actio ex stipulatu, sed pro socio ; *l. duo societatem, h. tit.* Sic, si unus ex sociis non præstet epulas, quas ex pacto societatis præstare debuit, recte tenetur actione pro socio : neque enim conventio hujusmodi, ut unus præstet epulas, aliena est a natura societatis, quinimmo cum ea optime congruit, ac frequentissimam esse res ipsa docet. Societas ita contrahi potest, ut unus pecuniam & impensam, alter operam & industriam conferat ; *l. societates, §. societas, l. si non fuerint, §. ita coiri l. cum duobus, §. utrum, l. quid enim, h. tit.*

Summa igitur quæstionis in eo vertitur, an ex pacto societatis de præstandis epulis per unum ex sociis, detur actio ex vendito. Dubitationis ratio occurrebat, quod contractus singuli proprias sortiuntur actiones ; ut societas parit actionem pro socio ; emptio & venditio actionem empti & venditi : non sunt confundendæ contractuum obligationes & actiones, quæ summa cum diligentia jure distinctæ sunt ; atque ita ex pacto societatis fieri non potest, ut nascatur actio empti & venditi.

Aliquando contractus inter se diversi invicem commiscentur : ut cum donatione miscetur negotium, id est contractus ; *l. Aristo, ff. de donat.* cum permutatione miscetur emptio venditio, si permutatio fiat ea lege, ut certa pecuniæ quantitas refundatur ; *cap. ad quæstionem, de rer. permutat.* Ubi contractus mixti sunt, qualis sit contractus intelligitur ex natura ejus quod prævalet ; arg. *l. quæritur, ff. de stat. hom.* exempli causa, cum permutatio fit refusa pecunia, venditio censenda est magis quam permutatio, ubi præponderat pecunia.

Sed in contractu societatis, de quo quæritur, nulla est mixtura vel coitus emptionis, aut venditionis : pacto societatis convenit, ut unus e sociis epulas præstaret, hujusmodi præstatio nullum habet schema, seu figuram emptionis, venditionis ; in ea nulla est conventio, vel mentio de pretio, sine quo nulla est emptio venditio ; venditionem contraxisse non videntur socii, qui socio nihil vendiderunt, vel ab eo emerunt, sed cum eo tantum pacti sunt ut præstaret epulas, quæ conventio non abhorret a natura societatis, nec transit in aliud nomen contractus : pacta, quæ in ipso contractu fiunt, quæ sunt de natura contractus, pars contractus censenda sunt ; *l. juris gentium, §. quinimmo, de pact. l. pacta conventa, de contrah. empt.*

Igitur ut detur locus actioni ex vendito, necesse est ut in societate intercedat emptio venditio, vel negotium simile emptioni : hac ratione motus Cujac. sic interpretatur hanc legem, ut absit emptio venditio, & actionem ex vendito non tribuat sociis adversus socium, qui non præstitit epulas ; sed ei tantum qui vendidit rem sociis ad negotium missis, quasi & ipse emisse videatur, qui contracta societate, socios in negotium misit. Sed Cujacii sententiam nequa-

quam

Source : BIU Cujas

quam fert contextus legis, ea enim aperte loquitur tantum de actione, quæ datur sociis adversus socium, ob non præstitas eis epulas; nec verbum ullum fit de eo quod gestum est inter venditorem & socios, qui ad negotium dimissi erant: an ferendus legis interpres, qui vult divinare, & a littera legis prorsus recedit, aliamque speciem sibi comminiscitur?

Insuper, socius ex contractu socii ære alieno quidem ita obligatur, ut æs alienum, si versum sit in rem communem, socio reputetur actione pro socio; *l. jure societatis, h. tit.* Sed creditori non tenetur actione mutui, seu creditæ pecuniæ, nisi socius, qui mutuam pecuniam sumpserit, æs alienum contraxerit nomine societatis, tanquam societatis actor seu procurator: & in contrahenda societate actum sit, ut ex contractu unius ceteri conveniantur: quod solebat fieri in societatibus, quæ contrahebantur inter mangones, seu venaliciarios, id est mercatores servorum venalium; *l. justissime*, §. *proponitur, de ædil. edict.* Et in hoc casu verum est quod dicitur in *l. mortuo, de fidejuss.* societatem personæ vice fungi; id est ob vinculum societatis plures socios unius personæ vice censeri. In hac igitur specie ex contractu socii, qui rem emit, non est quod detur actio empti & venditi, quæ est personalis in ceteros socios, cum hac de re suppeditetur propria actio pro socio, quæ est communis inter socios.

Improbabilius est quod voluit Faber, sociis, qui emerunt, dari actionem ex vendito adversus socium ob non præstitas epulas; quod illi rem emptam communicare tenentur, atque ideo communicando rem illi vendere videntur: unde enim amabo haustum est hoc? Ut communicatio rerum, quæ fit inter socios, alienatio seu venditio dicatur; nonne socius, qui rem emit, judicio societatis cogitur rem sociis communicare; *l.* † *si quis societatem, h. tit.*

Alia fuit sententia Jo. Costæ: sociis dandam actionem ex vendito adversus socium, si non præstet epulas, quas reliquis sociis ex pacto præstare tenebatur, id est venditori, tam pro se, quam pro sociis, quasi partem seu auctarium & supplementum pretii: sed quia alieno nomine experiri non potuere sine cessione vel mandato, saltem pro parte socii; actionem ex vendito sociis dari ait, quasi cessam & mandatam a venditore, cui forte eas præstiterunt, cuique competebat actio ex vendito de epulis præstandis, quasi particula pretii. In contractu emptionis venditionis sunt accessiones quædam; & præter pretium venditionis alia ab emptore erogantur emptionis nomine; *l. ædiles* 25. §. *præterea, l. debet autem, de ædil. edict.* puta, accessionis nomine venit quod datur uxori venditoris, vel proxenetæ qui venditionem conciliavit, vel epulum quod venditori ab emptore præstatur, vulgo *le vinage*: quo alludens Ambros. in psal. 118. *Ille*, inquit, *sumptus epularum tui capitis licitatio est, tui est summa contractus*. In locatione etiam sunt quædam accessiones, ut præter mercedem locationis, ligna vel alia præstentur: nec modo venditionis nomine erogantur epulæ, sed etiam pro initiis magisterii, quod genus epularum Minerual dicitur Varroni 3. *de re rustic. cap.* 2.

Sed hæc lex nequaquam pertinet ad epulas, quæ venditori præstari solent ab emptore emptionis nomine; palam enim repugnant verba legis, quæ utro modo legas, sive *nundinarias epulas*, sive *nundinas*, *id est epulas*, de epulis dumtaxat accipi potest, quas unus e sociis reliquis sociis parare & præstitare tenebatur, non venditori societatis nomine. Nimis dura & incongrua est locutio, epulas dici præstari sociis, quæ præstandæ essent venditori societatis nomine: ne dubites quæstionem esse de epulis parandis & præstandis ipsis sociis, id apertius insinuant verba quæ sequuntur, si socius epulas eis non solverit, ex vendito & pro socio teneri; quod enim dicitur epulas solvi sociis, merito infert eas quasi æs alienum solvi, non aliis quam sociis, qui habentur loco creditorum.

Ut quod sentio exponam, non contemnenda, sed adjuvanda, & supplen-

Source : BIU Cujas

da fuit veterum, nempe Accursii & Odofredi sententia, qui sic interpretantur hanc legem: contracta societate inter plures conveniſſe, ut unus e sociis ceteris nundinas, id est epulas, vel nundinarias epulas præstaret. Parum refert utro modo legas, utraque lectio sensum congruentem efficit, ac eundem, ni fallor, nimirum inter socios conventum, ut unus e sociis ceteris pararet epulas, his dimissis ad negotium, id est ad negotiandum, quo solutiores & expeditiores essent ad res vel merces coemendas, expertes curæ cibi parandi: in unum e sociis rejicitur cura parandi epulas, hæc enim cura gravis est, & sordida honestis viris, ac negotiosis. Socii gaudent victu communi, societas jus fraternitatis quodammodo in se habet; *l. verum est*, infr. *h. tit.* Ob quæstus copiam negotiatores genio indulgent, ac epulis delectantur; Plin. lib. 32. cap. 25. *Fama est appulsa nave mercatorum nitri, cum sparsi per litus epulas pararent.* Hujusmodi epulas nundinas dictitari negotiatoribus vernaculum & familiare fuit, quod per nundinarum tempus inter negotiatores maxime celebrentur, & his mediis ac arbitris concilientur mercium coemptiones. Hac analogia & ludos equestres non inscite posterioris ævi scriptores nundinas appellitarunt, quod plerumque inciderent in solemnes dies nundinarum; & πολυήγυεις, seu conventus, qui ludorum causa fiebat, esset quædam forensium nundinarum imago: conc. Lateranens. cap. 1. de torneament. *Detestabiles illas nundinas, vel frias, quas vulgo torneamenta vocant.* Et Otto Frising. de gest. Frideric. lib. 1. cap. 25. *Comites & nobiles velut tyrocinium celebraturi, quod modo nundinas vocare solemus.* Et ut intelligas nundinarum vocem hic tralaticiam esse, nundinæ etiam usurpantur pro tractatu & concertatione emptionis; Augustin. lib. contr. Petilian. epist. cap. 16. *Nempe nundinarius illius temporis diaconus vester, apud Zenophilum consularem omnes Lucillæ nundinas patefecit, quæ damnationem Cæciliani emit ab Episcopis.* Medicorum *rapaces nundinas*, dixit Plinius lib. 29. cap. 1. Nugacius est quod Salmasius maluit legi nundinas, id est empulas, a græco ἐμπολαὶ, id est merces, ea enim ætate juris auctores, etsi Græcis verbis nonnumquam usi sunt, Græca Latina non fecerunt, & hujusmodi corruptio verborum est vitium sequioris ævi.

Si socius ex pacto non præstet epulas, Ulpian. ait teneri ex vendito, & pro socio. Dices, præstatio hujusmodi epularum nullam continet emptionem & venditionem, in ea nulla conventio de pretio, sine qua nulla est emptio: ergo quo pacto fiet, ut inde oriatur actio ex empto & vendito? Satis facile est istud solvere, & hoc est quod nostros effugit: nimirum, conventio hujusmodi de præstandis epulis desinit in emptionem & venditionem, quia præstatio hæc non est gratuita & citra repetitionem sumptus, socius hic tenetur præstare epulas non sine certo pretio, vel suo prætio: præstare non est gratuitum, ut in *l. si locus*, §. 1. *ff. quæmad. servit. amitt.* cum via publica a flumine occupata, vicinus cogitur viam præstare, hoc non intelligitur gratuito, sed certo pretio, ut docet ibi *gloss.* Et in *l.* 5. §. *idem Labeo*, † *de instit. act.* quæritur de pistore, qui præposuit servum pani vendendo, an teneatur institoria ex facto servi, si accepta pecunia præsenti, ut per dies singulos quibusdam panem præstaret, conturbaverit, id est emptorem deceperit, & conturbaverit rationem acceptæ pecuniæ.

Et quamvis in ea conventione inter socios de præstandis epulis, præcise non convenerit de pretio; tamen non abest emptio & venditio, quia præstatio epularum recipit suum pretium, id est pretium forense. Carnis, & aliorum edulium certum erat pretium, cujus taxatio erat penes præfectum urbi in urbe; *l.* 1. §. *cura carnis*, *de offic. præf. urb.* vel penes proconsules, vel præsides in provinciis; *l. annonam*, infra, *de* † *extraord. crimin.* quandoque extra ordinem referebatur ad senatum; Tranquill. in Tiber. cap. 34. *Censuit annonam macelli senatus arbitratu quotannis temperandam.* Unde forum sumitur pro pretio

Source : BIU Cujas

tio rerum quod commune est in foro ; synod. Suess. *Per omnes civitates legitimus forus , & mensura fiat secundum abundantiam temporis*. Et Albertus Argentinens. in chronico : *Vina leviori foro , & pretio vendebantur* . Et Matth. Paris. *Quod cum Rex Richardus cognovisset , misit mareschallos suos ad majores civitates , petens ut exercitui suo victualia venderent foro legitimo* .

Emptionis venditionis speciem continet & quæ sequitur conventio, ut unus e sociis præter præstationem epularum socios a negotio dimitteret: hic enim variat lectio ; in aliis enim editionibus legitur, *eosque ad negotium dimitteret* . Sed tutior est lectio , *eosque a negotio dimitteret* , propter fidem & auctoritatem Florentinæ pandectes . Convenit ut unus e sociis reliquos a negotio dimitteret, id est liberos & immunes eos præstaret a cura & onere negotiationis , a cura mercium coemendarum , evehendarum , & avehendarum ; & in se susciperet operam & periculum negotiationis: hoc genus conventionis transit in emptionem & venditionem , propter periculum quod transfertur in unum ex sociis velut in emptorem .

Ejusdem argumenti est quod in *l. cum pater*, §. *mensæ negotium* , *de legat.* 2. Mensæ negotium ex causa fideicommissi cum indemnitate heredum per cautionem susceptum , emptioni simile videtur : & ideo non quæritur an plus in ære alieno sit, an in quæstu, si legatarius, cui mensæ negotium , id est ratio mensæ argentariæ, per fideicommissum relicta est , agnoverit fideicommissum, & caveat heredi de indemnitate : agnitio hujusmodi fideicommissi, præstita satisdatione de indemnitate , pro emptione habetur ; quia trasfert periculum mensæ , & onus æris alieni in fideicommissarium , ita ut teneatur creditoribus etiam ultra vires fideicommissi .

Non alia de causa talis fideicommissi agnitio pro emptione habetur , quam quod recipit periculum , & quasi emptio transfert periculum in fideicommissarium . Non alienum igitur erit conventionem, qua inter socios actum est, ut e sociis unus ceteris præstaret epulas , eosque a negotio dimitteret, emptionem & venditionem æmulari , propter periculum negotiationis , quæ transit in socium veluti in emptorem . Ex his , si me conjectura non decipit , satis superque intelligitur , quanam de causa ex pacto societatis , ut unus e sociis ceteris nundinas , id est epulas præstaret, Ulpian. dixerit dari actionem pro socio & venditi

FINIS.

Source : BIU Cujas

INDEX CAPITUM

TRACTATUS PRIMI.

CAP. I. CUI *bono introductæ sint fictiones. Quid sit fictio. Ea non admittitur contra naturam & possibilitatem rei.* pag. 1

CAP. II. *Fictionis potestas ea est, ut quandoque veritati prævaleat.* 2

CAP. III. *Fictiones locum habent in iis, quæ sunt juris, non etiam in iis, quæ sunt facti. Sæpius occurrunt in jure civili, sed raro jus canonicum eas admittit.* 3

CAP. IV. *Quid fictio a præsumptione differat.* 5

CAP. V. *Quid fictio differt a simulatione.* ibid.

CAP. VI. *Duæ vel plures fictiones in eadem re concurrere possunt.* 6

CAP. VII. *Ex fictionibus aliæ versantur in personis, aliæ in rebus, aliæ in tempore, aliæ in loco, aliæ in actibus. Quædam earum exempla, quæ circa personas versantur.* ibid.

CAP. VIII. *Adoptio est fictio juris, quæ naturam imitatur.* 7

CAP. IX. *Legitimati per subsequens matrimonium, fictione juris pro legitimis habentur.* 8

CAP. X. *Fictione legis pater & filius sunt una & eadem persona: sicut & fratres in ejusdem patris potestate constituti.* 9

CAP. XI. *Juris civilis fictione & commento legis liberi emancipati extraneorum jure censentur. Quid interfit inter liberos naturales & adoptivos cum emancipantur.* 10

CAP. XII. *Quinam dicantur sui heredes. Fictio juris quandoque prodest liberis in patria potestate constitutis, quandoque nocet.* 11

CAP. XIII. *Suus heres fictione juris non desinit esse heres quamvis se abstineat.* 12

CAP. XIV. *Fictione legis exheredati pro mortuis habentur.* 13

CAP. XV. *Filiusfam. jure civili nec statum nec personam habet, nec quidquam sibi acquirit, sed patri, quia fictione legis eadem est persona cum patre.* ibid.

CAP. XVI. *Fictione juris servi pro nullis & mortuis habentur.* 14

CAP. XVII. *Deportatus fictione legis pro mortuo habetur.* 15

CAP. XVIII. *Sicut & is, cujus bona publicata sunt: qui capitis damnatus est, etiam antequam pœna affectus sit: testator, qui nomen heredis vel scribere, vel articulate nuncupare non potest: professus monachus: manumissus. Liberi bello amissi pro superstitibus habentur.* 17

CAP. XIX. *Lex aliquando fingit res quasdam inanimatas esse personas, puta monasterium, jacentem hereditatem, universitatem.* 18

CAP. XX. *Fictione juris heres una & eadem persona videtur cum defuncto. Plures correi unius loco habentur.* 20

CAP. XXI. *Eadem fictio sæpius inducit confusionem aut commixtionem personarum.* 21

CAP. XXII. *Confusione per additionem hereditatis facta, velut solutione, tollitur*

tur naturalis & civilis obligatio. 22
CAP. XXIII. *Figmento juris evenit, ut major pars universitatis habeatur pro universis: & quandoque, ut unus solus personam totius universitatis sustineat.* ibid.
CAP. XXIV. *Fictione juris tam vir, quam uxor, uterque censetur dominus ac possessor dotis, mulier jure naturali, maritus fictione juris civilis.* 23
CAP. XXV. *Pupillus furiosus, prodigus nec velle, nec nolle creduntur in his, quæ animi judicio fiunt.* 24
CAP. XXVI. *Testamentum inofficiosum rescinditur eo colore, quasi testator non sanæ mentis fuerit tempore testamenti.* 25

TRACTATUS SECUNDI.

CAP. I. RES *quædam non esse finguntur, quæ tamen revera sunt,* 27
CAP. II. *Vicissim res quædam adhuc esse finguntur, licet extinctæ sint.* 28
CAP. III. *Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur.* 29
CAP. IV. *Rem in bonis habere intelligitur, qui habet actionem ad eam adipiscendam.* 30
CAP. V. *Fictione juris evenit, ut cepisse non videatur, qui mox alii restituturus est.* ibid.
CAP. VI. *Partibus subinde mutatis, res eadem esse intelligitur, si species seu forma non sit mutata, ut videre est in refecta domo vel navi, in grege instaurato, in mutatis civibus collegis aut judicibus.* 31
CAP. VII. *Utilitatis causa placuit civitatibus, municipiis, collegiis, aliisve corporibus, vel etiam usumfructum testamento relinqi posse. Ea quandoque finguntur mori, nunquam vero ecclesia.* 32
CAP. VIII. *Dignitas nunquam mori fingitur.* 33
CAP. IX. *Fictione juris res quædam inanimatæ mori & nasci dicuntur, ut peculium: & suas ætates habere, ut regna & imperia.* ibid.
CAP. X. *Etiam fictione juris lis, domus, parietes, unguenta mori dicuntur.* 34
CAP. XI. *Fictione juris peculium est velut patrimonium filiif. aut servi.* 35
CAP. XII. *Res incorporales fictione legis quasi possidentur.* ibid.
CAP. XIII. *Fictione juris quidquid acquirit filiusf. aut servus, illud statim patri vel domino acquirit: quoad hoc quid inter utrumque intersit.* 36
CAP. XIV. *Eadem fictione possessio defuncti quasi juncta descendit ad heredem, eique prodest ad implendam usucapionem a defuncto cœptam.* ibid.
CAP. XV. *Fundus dotalis non desinit esse dotalis, etiam soluto matrimonio quoad restitutus sit: sicut & ager novalis, semper novalis intelligitur quoad exemptionem a decimis.* 37

TRACTATUS TERTII.

CAP. I. IMAGINARII *contractus juris vinculum non obtinent, & quinam illi dicantur.* 38
CAP. II. *Plures actus legitimi fiebant olim per æs & libram, ut testamenta, donationes: actio in rem per vim civilem: cretio per saltationem & percussionem digitorum: manumissio per alapam, circumductionem, & pileum: operis novi nuntiatio per jactum lapilli: usurpatio per fractionem furculi: licitatio per digitum: antestatio per aurium attrectationem: electio per manum per-*

Source : BIU Cujas

rectam. 39
CAP. III. *Fictitia emptio venditio valet, tum actus sumit a lege vim emptionis, ut in æstimatione litis & dotis: in datione in solutum: in divisione bonorum inter heredes: aliquando etiam in societate.* 42
CAP. IV. *Utilitatis causa receptum est, ut possessio acquiri possit per imaginariam traditionem: puta per retentionem ususfructus: per traditionem instrumentorum: per conductionem rei venditæ: per traditionem clavium: per appositionem custodis: per obsignationem rei venditæ: per scientiam & patientiam domini in rebus incorporalibus. Possessio ecclesiæ acquiritur per funem campanæ, aut per tactum seræ seu pessuli.* 44
CAP. V. *De fictione brevis manus.* 45
CAP. VI. *Quædam res non sunt in commercio, & tamen cum universitate transferuntur in heredem vel emptorem, quasi majori parti accedant. Mandata jurisdictione, concessa videntur ea, sine quibus explicari non potest jurisdictio. Cum minor creatur prætor, habetur quasi major. Quædam tacite excipiuntur, licet excepta non sint.* 46
CAP. VII. *Quasi contractus nascuntur ex tacita conventione & figmento legis.* 47
CAP. VIII. *Societas involuntaria cum coherede vel collegatario: quasi societas cum colono partiario. De tacita reconductione. Maritus uxoris procurator ex tacito mandato. De tacita emancipatione. Favore reipub. inchoatio operis habet vim promissionis.* 49
CAP. IX. *Quædam habent vim taciti pacti, puta redditio chirographi, non etiam redditio pignoris quoad sortem, ratio differentiæ inter utrumque. Servitutis instrumentis servo datis aut corruptis, libertas data intelligitur. Crematis indictionum tabulis, reliqua vectigalium remissa. Qui per triennium minores usuras accepit, majores remisisse creditur. Qui nullas per longum tempus accepit, eas etiam omnino remisisse videtur.* 50
CAP. X. *De tacita hypotheca: quibus ea competat.* 51
CAP. XI. *De dote: quasnam fictiones ea recipiat.* 52
CAP. XII. *De tacita stipulatione duplæ vel doli. De evictione.* 54
CAP. XIII. *Possessio fictionem aliquando recipit. Quidam fictione legis pro possessoribus habentur.* ibid.
CAP. XIV. *Intestati hereditas non tam a lege, quam a testatore tacite relinquitur. Substitutio directa in codicillis facta fictione legis trahitur ad fideicommissum. Legata ab herede relicta debentur a substituto, quasi tacite repetita. Idem in fideicommissis a coherede relictis. Fictione legis hereditas a fisco adita habetur, ut statim rectitutio fiat.* 55
CAP. XV. *Fictione legis acceptilatio vim solutionis habet, sicut & confusio novatio, præscriptio, remissio.* 56
CAP. XVI. *De coacta voluntate. Præsentia Principis supplet testes.* 57
CAP. XVII. *Fictiones admittuntur etiam in judiciis.* 58
CAP. XVIII. *De substitutione pupillari, & de jure accrescendi. Qui semel est heres, nunquam desinit esse heres.* ibid.

TRACTATUS QUARTI.

CAP. I. FICTIONE *legis aliquando tempus posterius retro trahitur ad antecedens, ut in donatione patris, mariti, & uxoris: & in ratihabitione.* 60
CAP. II. *Adhitio hereditatis retro trahitur ad tempus mortis: agnitio & repudiatio legati: jus accrescendi.* 61

CAP.

Source : BIU Cujas

CAP. III. *Conditio casualis existens retro trahitur ad tempus contractus, distractus, & testamenti.* 62
CAP. IV. *Tempus etiam retroagitur in sententiis judicum, in operis novi nuntiatione, in cautione damni infecti, in actione legis Aquiliæ.* ibid.
CAP. V. *Conditio pro impleta habetur, si per eum, cujus interest non impleri, stet quominus impleatur, aut per eum, in cujus persona implenda est: sicut & ea, quæ omnino extituræ est.* 63
CAP. VI. *De fictione legis Corneliæ.* 64
CAP. VII. *De tempore quod tacite inest obligationibus.* ibid.
CAP. VIII. *Obligatio fidejussoris retro trahitur ad principalem obligationem. Non absque fictione est, ut fiscus & mulier prioribus creditoribus præferantur. Inter collegatarios non est prælationi locus.* 65
CAP. IX. *Missio unius creditoris in possessionem bonorum debitoris, prodest ceteris creditoribus, quasi omnes missi fuerint. Sicut dominus in eo, quod ei debetur a servo, præfertur omnibus servi creditoribus, quasi eos omnes prævenerit: ita & fiscus ceteris creditoribus præfertur, quasi pignoris causam prævenerit.* 66
CAP. X. *Jus suitatis est mere fictitium. Hereditas non adita non transmittitur ad heredem. Agnitio fideicomissi conditionalis cum ipsa conditione retro trahitur.* ibid.
CAP. XI. *Pacta incontinenti bonæ fidei contractibus adjecta, tacite insunt contractui, ut illius partem faciant. Partus non dum editus, habetur quasi portio viscerum matris. In interdicto utrubi quænam sit major pars anni: quænam sit major pars diei. Actiones perpetuæ dicuntur, quæ 30. annorum spatio præscribuntur.* 67

TRACTATUS QUINTI.

CAP. I. *De fictione postliminii.* 68
CAP. II. *Fictio postliminii locum habet non modo in personis liberis & servis, sed etiam in ceteris rebus animatis & inanimatis.* 69
CAP. III. *Cum in pluribus locis sepultum est corpus, solus ille locus fit religiosus, in quo reconditum est caput.* 70
CAP. IV. *In præscriptione longi temporis quis intelligitur præsens, aut absens.* ibid.
CAP. V. *Legato fundo, quæ ibi casu occurrunt, legata non intelliguntur.* 71
CAP. VI. *Fictiones in verbis, & locutione.* ibid.

TRACTATUS SEXTI.

CAP. I. *Jus repræsentationis introductum fictione juris.* 77
CAP. II. *Furiosus pro absente habetur. In furioso manent quasi voluntatis reliquiæ. Absens per contumaciam pro præsente habetur. Mortuus pro absente habetur. Qui Romæ militant, habentur pro absentibus reip. causa.* 79
CAP. III. *Servi pro mortuis habentur. Servus manumissus novus homo videtur. Manumissus pro mortuo habetur. Servus in metallum damnatus & restitutus, novus homo videtur esse.* 80
CAP. IV. *Pater & filius pro una & eadem persona habentur. Magistratus municipales, licet sint duo pro uno habentur. Duo vel plures correi pro uno ha-*

Source : BIU Cujas

bentur. Hereditas jacens personam defuncti sustinet. Heres scriptus, dum deliberat de adeunda hereditate, pro herede habetur. Heres scriptus, qui omittit hereditatem ex testamento, ut succedat ab intestato, habetur pro herede ex testamento. 81

CAP. V. *Ususfructus videtur quotidie constitui & legari. Manumissione contrahitur quasi societas inter patronum & libertum. In judicio de pœna quasi transigitur. Absens per contumaciam suo calculo damnatus videtur. Minor 25. annis restitutus pro confesso habetur. In beneficialibus & nuptialibus causis minor pro majore habetur.* 83

CAP. VI. *Servi habent peculium conniventibus oculis domini. Si ancilla contra legem venditionis prostituta libertatem adepta sit, emptor videtur manumisisse. Alienis nummis redemptus fit liber, quasi suis nummis redemptus. Capite minutus alius homo incipit esse.* 84

CAP. VII. *Libertus donatus jure anulorum aureorum, vivit quasi ingenuus, moritur quasi libertus. Servi adscripti glebæ sunt quasi pars prædii. Fructus pendentes pars fundi videntur. Major pars habetur pro toto. Liberti adoptivi non habent jus naturalium.* 85

CAP. VIII. *Adoptio naturam imitatur. Emancipatus † a patre senatore est quasi senatoris filius. Liberi suscepti ex injustis nuptiis, quasi vulgo nati. Ante pubertatem potens coitus, pro pubere habetur. Statuliber quoad quædam pro libero habetur.* 86

CAP. IX. *Pignus novari non videtur, nec matrimonium solvi, quod statim redintegratur. Donare videtur qui rem pro derelicto habet. Publiciana datur ei qui usucapere cœpit, quasi usuceperit. Qui vectigal solvit fisco, succedit in locum fisci quasi cessis actionibus. Pœna committitur in solidum, si factum sit idividuum. Si mulier intercedendi causa pignus dederit, pignus distractus pro non distracto habetur.* 87

CAP. X. *Filiif. militis duæ sunt hereditates: una castrensium, altera paganorum. Si filiusfamilias miles intestatus decesserit, ejus peculium non obvenisse creditur. Res quæ sunt apud hostes, veniunt in judicium familiæ erciscundæ propter spem postliminii. Evicta hereditate per querelam inofficiosi, hereditas non adita videtur. Res usucapta videtur ab eo qui occasionem usucapionis præbuit.* 88

CAP. XI. *In castrensi peculio magis spectatur veritas, quam fictio. Captus ab hostibus & redemptus, fit servus redemptoris: sed si post mortem patris pretium redemptori offerat, suus heres patri existit, quia redemptio retroagitur, dominium retro adquiritur. Pignus tacite contrahitur. Partus, qui est in utero, pro nato habetur.* 89

CAP. XII. *Reversus ab hostibus postliminio recipit omnia jura. Servus fugitivus furtum sui facere videtur. Partus ancillæ, qui est in utero, pro jam nato habetur. In actione furti furtum factum intelligitur, cum res pretiosior fuit.* 90

CAP. XIII. *Tutor in rebus pupilli pro domino habetur. Mutus, surdus, furiosus, infans, pro absentibus habentur. Canonici, qui sunt in obsequio Episcopi, & absentes studiorum causa, pro præsentibus habentur. Peculium est quasi patrimonium servi. Jus regaliæ non admittit possessionem per procuratorem.* 91

CAP. XIV. *Fructus pendentes pars fundi videntur. Bona fidei possessor, quoad fructus percipiendos, pro domino habetur. Qui litis æstimationem præstitit, pro emptore habetur.* 92

CAP. XV. *Damnatus capitali judicio, statim pro mortuo habetur. In criminalibus appellatio extinguit judicatum. Damnatus in metallum fit servus pœnæ. Servi pro mortuis fere habentur. Constante matrimonio deportatæ mulieri, postea soluto matrimonio, datur actio de dote, quasi nata ante deportationem.* 93

CAP.

Source : BIU Cujas

CAP. XVI. *Dotis causa perpetua fingitur. Patri datur actio injuriarum nomine filii, quia injuria patri facta videtur. Stipulationi de dote reddenda soluto matrimonio, non est locus ficto divortio. Non valet permutatio beneficii cum beneficio de pertica.* 94

CAP. XVII. *Filius a senatore in adoptionem datus plebejo, quasi senatoris filius habetur. Senatores, licet in urbe domicilium habeant, & ibi unde oriundi sunt domicilium habere videntur. Conditio tacita inest fideicommisso, si sine liberis. Proconsul provinciam ingressus intelligitur ob necessariam moram in itinere. Officium proconsulis durat in adventum successoris, quia unus magistratus intelligitur. Pater non videtur habere liberos in potestate, qui ipse est in potestate patris.* 95

CAP. XVIII. *Emancipatio tacita. Libellus oblatus Principi pro lite contestata habetur. Possessio immobilium pro satisdatione est. Prætor dum cognoscit, an sua sit jurisdictio, non videtur jus dicere in causa sua. Creditor pignus distrahere videtur consensu debitoris. Cum incapari legatur, ut restituat capaci, submota persona incapacis, statim ab herede legatum videtur capaci. Mutua delicta quasi compensantur.* 96

CAP. XIX. *Variæ fictiones in nominibus.* 98

CAP. XX. *Jurisconsulti usi fictitiis Caii, Seii, L. Titii, Sempronii, nominibus.* 100

TRACTATUS SEPTIMI.

CAP. I. NIHIL *actum videtur, ubi non jure actum est. Servus communis ab uno ex dominis in solidum defendi debet noxali judicio, quasi totus unius esset. Quæ fiunt eadem die, eodem tempore fieri videntur. Obligatione generali res præsentes & futuræ obligari videntur. Servitute cognatio amittitur, quia servitus morti comparatur. Res abesse videtur, cui pretium abest. Non videtur possidere, qui possessionem retinere non potest. Rem in bonis habere videtur, qui habet actionem ad rem assequendam. Ex delicto quasi ex contractu nascitur actio.* 102

CAP. II. *Ususfructus pars dominii habetur. Tutor datus filio, si plures sint filii, omnibus datus videtur. Incapax fit capax per capacem. Cessio servitutis est facti, non retroagitur. Agnitio, vel repudiatio legati retroagitur. Dos vel donatio propter nuptias confertur, quia videtur non abscessisse a bonis patris. Adsessores sunt portio magistratus.* 104

CAP. III. *Capti ab hostibus postliminio reversi fictione postliminii recipiunt omnia jura sua. Ob furtum familiæ unica pœna præstatur, quia unum factum intelligitur. Condictio indebiti datur quasi ex mutuo. Legatum ademptum, nec datum videtur. Respub. pro pupillo habetur. Tutor quoad curam pro domino habetur. Ratihabitio retro trahitur. Donatio inter virum & uxorem, ubi morte confirmatur, retro trahitur. In pœnis sententia non retro trahitur. Jusjurandum pro solutione est.* 105

CAP. IV. *Resolutio venditionis ex pacto similis est redhibitioni. Captivitate usucapio interrumpitur, nec postliminio retroagitur. Possessio defuncti quasi continuata prodest heredi. Lite contestata cum domino ex furto servi, de furto quasi transactum videtur cum domino. Res non videtur reddita, quæ deterior redditur.* 107

CAP. V. *Quod pater nubenti filiæ dat simpliciter, in dotem dari videtur. Promissioni dotis inest tacita conditio, si nuptiæ sequantur. In contractibus quod agi solet, pro cauto habetur. Qui per errorem dotem restituit, quam ex pacto*

Source : BIU Cujas

retinere potuit, potest eam deducere judicio familiæ erciscundæ, vel eam repetere condictione indebiti. Si convenerit, ut mortua filia sine liberis dos patri redderetur, tacite actum videtur, ut mortua filia superstitibus liberis, dos remaneret apud maritum. Soluto matrimonio dotis actio communis est patri & filiæ, quasi jure societatis in causa dotis. Tacitus consensus in quibusdam idem operatur quod expressus. Dos videtur pervenisse ad patrem, quasi potentiorem. Res ex dote comparatæ non sunt dotales, sed quasi dotales. 108

CAP. VI. *Adhitio hereditatis est vice solutionis & compensationis. Aditio hereditatis est quasi contractus. Manumissio servi dotalis consentiente uxore valet vice donationis. Præscriptio interrumpitur lite contestata, quasi desinente possessione. Qui jure familiaritatis fundum vicini ingreditur, non videtur possidere. Non videtur possidere, qui non potest retinere possessionem.* 109

CAP. VII *Qui sciens sumptus facit in re aliena, non repetit, quia donasse videtur. Qui rem vindicat, non videtur statim possessioni renunciare. Ususfructus non constituitur in his rebus, quæ usu consumuntur, sed quasi ususfructus remedio cautionis. Adjudicatio, quæ fit unius rei quæ commode dividi non potest, est similis emptioni & permutationi. Præstatio æstimationis est similis emptioni. Transactio est vice permutationis.* 110

CAP. VIII. *Solutio facta ab uno ex fidejussoribus, est quasi nominis emptio. Delegatio vice solutionis est, etiam si delegatus debitor non sit solvendo. Hereditas jacens defuncti personam sustinet.* 111

CAP. IX. *Dominus solvendo pro servo præposito alicui negotiationi, videtur pro eo fidejussisse in ceteris causis. Confusio habet vim solutionis. Fidejussor, in quem pignora data ob solutionem translata sunt, non est emptoris, sed creditoris loco. Locus contractus esse videtur, ubi pecunia solvenda est. Peculium non intelligitur, nisi deducto eo quod patri vel domino debetur. Filiusf. pro patref. habetur in quibusdam causis.* 112

CAP. X. *Quod evincitur, in bonis nostris non habetur. Aqua pluvia nocere videtur, quæ nocere potest. Legatum relictum Principi, mortuo Principe ante diem legati cedentem, transmittitur ad successorem, quia Princeps semper vivere intelligitur. Furiosus pro absente & quiescente habetur. Servi fugitivi dicuntur furtum sui facere. Quædam sunt fata causarum. Remissio non est donatio, sed transactio. Pecunia dicitur sterilis, quia natura sua non parit usuram.* 113

CAP. XI. *Interdictum seu judicium possessorium dicitur momentum, quia summarie expediri debet. Servus communis duorum, vel plurium, est singulorum pro partibus indivisis. Condictio indebiti soluti nascitur quasi ex mutuo. Creditores, qui passi sunt servum necessarium heredem institutum omnia pro herede gerere, & ab eo usuras sortis acceperunt, videntur iisse in creditum, Cessionarius actionum fit quasi procurator in rem suam. Servus non tenetur ex gestis ante servitutem, quia alius homo videtur esse. Modicum dicitur quod honoris causa datur. Paupertatis appellatione intelligitur hereditas.* 115

CA. XII. *Impensæ necessariæ servantur per retentionem dotis, vel rei commodatæ vice pignoris. Res vendita retinetur vice pignoris, quoad pretium solvatur. Per procuratorem actio mutui mihi adquiritur, quia ego credidisse videor. Depositum custodiæ causa ad modicum tempus in manu mea esse videtur. Opera est loco pretii. Societas leonina, in qua unus totum lucrum fert, damnum non sentit. Ancilla pro prostituta habetur, si venditor sinat prostitui. Si servus ex pacto non manumittatur ad diem, pro manumisso habetur.* 116

CAP. XIII. *Manumissio similis est morti. Emancipatio similis est morti patris. Divisio fit tacita emptione, & permutatione partium. Interdum concursus fictionum admittitur. Fructus veniunt a lite contestata ex mora ficta. Legatum relictum Principi debetur successori. Bonæ fidei possessor, quoad fructus percipien-*

Source : BIU Cujas

piendos pro domino habetur. Qui indebitos nummos sciens accipit, quasi furtum facit. Colonus, qui fructus clam deportat, quasi fur furti tenetur. 117

CAP. XIV. *Fictio legis Corneliæ in lege falcidia. Si penus legata sit, & si non præstetur decem, quid sit in legato. Fructus pendentes sunt pars fundi. Qui est in utero, pro nato habetur, ut sibi prosit.* 118

CAP. XV. *Unum est testamentum patris & filii, licet duæ sint hereditates. In testamento patris & filii una falcidia detrahitur, quasi ex una hereditate. Is qui simpliciter adiit hereditatem, tenetur in solidum creditoribus & legatariis, quia adeundo videtur contrahere cum his. Legata relicta ab instituto debentur a substituto, quasi tacite repetita. Portio deficientis adcrescit coheredi cum onere quasi tacite substituto. Tacita substitutio vulgaris inest pupillari, & vicissim pupillari inest tacita vulgaris. Fideicommissum debetur, quasi æs alienum.* 120

CAP. XVI. *Si creditor debitori heres extiterit, aditione confunditur obligatio, & actio: sed semel extincta restituitur, si sit locus falcidiæ. Expromissio magis videtur solutio, quam donatio. Compensatio fit ipso jure. Abesse videtur quod debetur. Lex falcidia locum habet in testamento ejus qui apud hostes decessit, fictione legis Corneliæ. Interdum obligatio confusa aditione hereditatis restituitur fictione juris. Qui habet pretium, rem habere videtur.* 121

CAP. XVII. *Substitutio habetur pro institutione conditionali. Hereditas solvendo esse intelligitur, quæ heredem invenit. Annua legata, in perpetuum legata videntur. Liberatione legata debitori, & si non sit solvendo, quod debetur computatur in ponenda ratione falcidiæ, quia capere videtur, quod liberatur. Qui spernit quod datur, conditionis implendæ causa, non potest detrahere quartam, quia videtur quartam accepisse vel remisisse.* 122

CAP. XVIII. *Tradito pignore debitor id possidere intelligitur quoad quædam. Servus communis, duorum servorum personam sustinet. Pupilli & furiosi quasi voluntas. Locatio & conductio tacite repetitur. Captis pignoribus ex causa judicati, quasi transactum videtur. Interdum mutuum retroagitur.* 123

CAP. XIX. *Pignus remittitur tacito consensu. Usufructuarius non possidet, sed quasi possidet. Ea, quæ sunt facti, non recipiunt fictionem. Adrogatio species est successionis. In criminalibus appellatio extinguit judicatum. Pecunia tacita, pecunia certa, pecunia incertis nominibus credita. Judex quibusnam casibus litem suam facit.* 124

CAP. XX. *Filius est portio patris. Damnati in metallum sunt servi pœnæ. Redempti ab hostibus pignore tenentur redemptori. Princeps pro privato habetur in jure capiendi ex testamentis alienis. Si res vendita vel donata sit a Principe, vendita vel donata videtur a domino. Feminæ erant in perpetua tutela, quasi impuberes. Actiones non tolluntur tempore, sed quasi remittuntur. Tabellio servus publicus. Legatus proconsulis, semel mandata jurisdictione, quasi propria fungitur.* 125

Solemnis prælectio ad l. *cum societas 69. ff. pro socio.* 127

Source : BIU Cujas

ANTONII DADINI ALTESERRÆ

ANTECESSORIS OLIM TOLOSANI

OPERA OMNIA

TOMUS VII.

BREVIS ET ENUCLEATA EXPOSITIO

IN

INSTITUTIONUM

JUSTINIANI

LIBROS QUATUOR:

CURA ET SUMTIBUS

MICHAELIS MAROTTA

Jurisconsulti & in supremis Neapolitanis tribunalibus causarum patroni.



EDITIO PRIMA NEAPOLITANA. M DCC LXXVII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Source : BIU Cujas

INSTITUTIONUM

IUSTINIANI

LIBROS QUATUOR.

CUM ET TEXTIBUS

MICHAELIS MAROTTA

Source : BIU Cujas

ERUDITO LECTORI

MICHAEL MAROTTA.



Cce ſeptimus tomus operum viri doctiſſimi ANTONII DADINI ALTESERRÆ typis meis in publicum emittitur, quo ejusdem *Brevis & enucleata expoſitio in Juſtiniani inſtitutiones* continetur. Quæ quidem, non ſecus ac cetera viri eruditi opera, judicio, acumine, & doctrina commendatur. Prodiit Toloſæ anno M DC LXIV. ex qua editione hæc mea deſcripta eſt.

Immenſus plane numerus mendorum omnis generis, quæ in Toloſana editione occurrunt, magis magisque probant, auctorem & in componendis ſuis operibus plus æquo memoriæ, qua pollebat, tenaci tribuiſſe, & in feligendis iis, qui typis ſupereſſe debebant, parum curaſſe. Ipſum ferme ex memoria ad leges & auctores provocare conſueviſſe, nulla cum autographis inſtituta collatione, in compertis habeo: nec enim alias tot menda in citandis legibus & auctoribus & in eorum fragmentis deſcribendis admitti potuiſſent. Hoc ipſum tamen ad oculum demonſtrat, quam immenſa fuerit ALTESERRÆ eruditio, & quam tenaci memoria pollebat: ſiquidem ex

Source : BIU Cujas

memoria ferme depromsit innumeras citationes legum, canonum, & auctorum sive Græcorum sive Latinorum omnis ætatis, & eadem ex memoria sæpe loca descripsit. Et qui ita in libris suis elucubrandis procedebat, nocturna diurnaque manu vetera omnis litteraturæ monumenta versare debuerat, & ingentem cognitionum copiam sibi comparare.

Dici vix potest quantopere mihi desudandum fuit, ut tot errores corrigerem, quo editionem, quantum poteram, emendatam emittere liceret. Id eruditus lector ex parte potest animadvertere ex errorum specimine, quod infra exhibetur: itemque ex eo, quod sententia ferme nulla exstat, quæ vel lege aliqua vel auctoritate alicujus veteris scriptoris non confirmetur. Itaque in omnibus citationibus leges omnes & loca ipsa auctorum consulere debui, licet non in omnibus menda inventa fuerint. Horum multa ad marginem emendavi, adjecto signo †, quod respondet simili signo, quo in contextu locus mendosus indicatur. Multa etiam in ipso contextu emendavi, addito etiam eodem signo, quod de facta mutatione constaret. Quod si aliqua lex ab auctore producta ad argumentum, de quo agitur, haud facere mihi visa est, signum *) anteposui, ut admonerem lectorem, quo ipse apud se melius deliberaret. Si non licuit aliqua auctorum loca conferre, vel quia autographa deessent, vel quia omni adhibita diligentia & volutatis auctoribus non sunt inventa, **) præmisi, ut intelligeret lector, locum illum non esse collatum †. Porro ad majorem lectorum utilitatem in legibus citatis §. addidi, cujus sententiam auctor laudare intendebat. Et in legibus, quæ sub eodem titulo, & ab eadem voce incipiunt, numerum apposui: quod & feci, si quando plures erant ejusdem legis §§. qui ab eadem voce initium sumunt. Et in auctorum locis, quæ ALTESERRA ex solo numero librorum citaverat, ubi licuit ea in fontibus invenire, caput & numerum addidi.

Præterea editio Tolosana, si laudatorum auctorum fragmenta excipias, integra constat unius generis charactere (quem Ro-

† Exempli causa videri potest in *pag.* 78. fragmentum Jo. Chrysost. laudatum ex *psalm.* 49. quod casu post editionem mihi se obtulit in *psalm.* 13. *inter spuria*, ubi ultimæ voces exhibentur τὸ πλοῖον συνέσπευε.

Source : BIU Cujas

Romanum dicunt); & minus apta interpunctione procedit: quæ duo faciunt, ut aliquando primo obtutu auctoris sententia non adsequamur. Diversum itaque characterem, (quem *Italicum* nuncupant) adhibui in legibus citandis, & in omnibus aliis locis, ubi necesse erat contextum auctoris ab aliis distinguere; & ipsam interpunctionem ad meliorem formam reduxi. Mitto sexcentas voces, ubi orthographia peccabat, & totidem loca in quibus syntaxis Latina aut Græca male se habebat, quæ correxi; nam quisque hoc animadvertere potest in qualibet plagula. Tantum hic subnectendum duxi specimen errorum in citationibus legum, auctorum, rerumque non exiguarum, qui in ipso contextu sunt emendati: nam qui ad margines correcti sunt, oculis ipsis constant.

Specimen errorum.

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
l. lege 12. tab. de V. S. *pag.* 7. *sub §. prætorum, lin.* 4.	*l.* † *lege obvenire* 130. *de V. S.* pag. 5. sub §. *prætorum*, lin. 3.
l. 2. §. Diuus August. de orig. jur. *pag.* 8. *lin.* 16. *& seq.*	*l.* 2. §. † 47. *vers. primus divus Augustus*, pag. 6. lin. 12. & seq.
l. 3. ff. de stat. hom. *pag.* 10. *lin.* 3. Servitus est constitutio iuris gentium, qua quis alieno domino contra naturam subijcitur. *ibid. sub* §. *II.*	*l.* † 4. *ff. de stat. hom.* pag. 7. sub §. 1. qua quis alieno † dominio subjicitur. *ibid. sub* §. *II.*
l. 3. §. 1. de stat. hom. *ibid. eod. loc.*	*l.* † 4. §. 1. *de stat. hom.* ibid. eod. loc.
l. 2. C. de ingen. manumiss. *pag.* 13. *lin.* 7. *ab infr.*	*l.* † 3. pag. 9. lin. 4. ab infra.
l. si iure C. de Testam. manumiss. *pag.* 16. *lin.* 19.	*l.* † *directis*, pag. 11. lin. 8. ab infra.
l. libertus ff. de ingen. testam. manumiss. l. vlt. C. eod. *ibid. lin.* 10. *& seq. ab infr.*	*l.* † *libertates*, *de manumiss. testam. l. ult. C. de testam. manumiss.* pag. 12. lin. 2. & 3.
l. qui absente ff. de adquir. poss. *pag.* 17. *lin.* 7.	*l.* † *qui absenti*, ibid. lin. 16.
l. 5. 6. & 7. ff. de manumiss. vindict. *ibid. lin.* 4. *ab infr.*	*l.* † 5. 7. *&* 8. ibid. lin. 10. ab. infra.
l. vlt. infr. de succes. sublat. *pag.* 18. *lin.* 23.	§. *ult. infra* † *de succes. libertor.* pag. 13. lin. 12.
l. manumissio ff. de manumiss. testam. *pag.* 19. *lin.* 18.	*l. manumissio*, *ff.* † *de manumiss. vindict.* ibid. lin. ult.

Source : BIU Cujas

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
l. 1. C. si adverſ. dot. *pag.* 21. *lin. antepen.*	*l.* † *un.* ibid. lin. 24.
§. 1. ex hoc. *pag.* 24. *lin.* 18.	§. † 2. *ſed hoc*, pag. 17. lin. 18.
l. 1. C. de emend. ſeru. *ibid. lin.* 22.	*l.* † *un.* ibid. lin. 22.
l. vn. §. accidit. C. de rei uxor. act. *pag.* 27. *lin. ult.*	*l. un.* §. † *accedit*, pag. 19. lin. penult.
l. ſi vxor. §. ſi quis uxorem. C. ad l. Iul. de adult. *pag.* 28. *lin.* 23.	*l. ſi uxor*, §. *ſi quis uxorem*, † *ff. ad l. Jul. de adult.* pag. 20. lin. 19. & ſeq.
l. ſi vt furioſi C. de nupt. *ibid. lin.* 27.	*l.* † *ſi furioſi*, ibid. lin. 23.
Nou. 113. cap. 3. auth. ſed poſt. C. de inoff. teſtam. *pag.* 29. *lin.* 11.	*nov.* † 115. *cap.* 3. *auth. ſed ſi poſt*, ibid. lin. 36.
l. non ſolum. §. videamus. ff. de rit nupt. *pag.* 30. *ſub* §. *inter eas.*	§. † *ſed videamus*, pag. 21. ſub §. *inter eas.*
l. ſi ſenator... ff. de rit. nupt. *pag.* 31. *lin.* 22.	*l.* † *ſi ſenatori*, pag. 22. lin. 18. & 19.
l. 1. ff. vnde vir. & uxor. *pag.* 33. *lin.* 1.	*l.* † *un.* pag. 23. lin. 18.
l. 2. de iis qui ſunt ſui vel alien. iur. *ibid. lin.* 16. *& ſeq.*	*l.* † 3. ibid. lin. 31.
l. 1. & 3. ff. de offic. Proconſ. *pag.* 36. *lin.* 8.	*l.* † 2. *&* 3. pag. 25. lin. 24.
l. 1. §. 3. vnde cognat. *ibid. lin.* 25.	*l.* 1. §. † 4. ibid. lin. 11. ab infra.
l. vlt. C. de auctor. tut. *pag.* 37. *lin.* 19.	*l. ult. C. de auctorit. præſtand.* pag. 26. lin. 18.
M. Tull. pro domo. *Dico apud Pontifices nego illam adoptionem Pontificio iure eſſe factam, primum quod eæ veſtræ ætates ſunt, ut is qui te adoptavit, vel tibi loco filii per ætatem eſſe potuerit, & rurſus iure Quiritum legitimo tutelarum & hæreditatum relicto factus es eius filius contra fas, cuius per ætatem pater eſſe potuiſti.* pag. 38. lin. 8. & ſeqq.	*Dico apud Pontifices. Nego, iſtam adoptionem pontificio jure eſſe factam: primum, quod hæ veſtræ ſunt ætates, ut is, qui te adoptavit, vel filii tibi loco per ætatem eſſe potuerit.* Et rurſus: *jure Quiritum legitimo tutelarum & hereditatum relicto, factus es ejus filius contra fas, cujus per ætatem pater eſſe potuiſti.* ibid. lin. 8. & ſeqq. ab infra.
l. oratione. ff. h. tit. *pag.* 39. *ſub* §. *ſed ſi quis, de adoption.*	*l.* † *oratione*, §. 1. *ff. de rit. nupt.* pag. 27. lin. 18.
l. relegatorum. §. ſive ad tempus. C. de interdict. & relegat. *pag.* 41. *lin. antepen.*	† *ff. de interdict. & relegat.* pag. 29. lin. 14.
l. ſi filiusf. §. vlt. ad Maced. *pag.* 42. *lin.* 28.	*l.* † *ſi quis patremfamilias*, ibid. lin. 4. ab infra.
l. ſi vxor. C. de condit. inſtit. *pag.* 43. *lin.* 25.	*l.* † *ſi uxorem*, C. *de condit. inſert.* pag. 30. lin. 25. & 26.
l. cui legatum. ff. de condit. & demonſtr. *pag.* 44. *lin.* 11.	*l.* † *ſi cui legatum*, pag. 31. lin. 1.
l. iure noſtro. §. ſi pater. ff. eod. *pag.* 46. *lin.* 3.	§. † *propter*, pag. 32. lin. 9.
§. 3. ſupr. de adopt. *ibid. lin.* 6.	§. † 10. ibid. lin. 11.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
l. qui tutelam. §. 1. de teſtam. tut. *ibid. lin.* 13.	*l. qui tutelam*, §. † 2. ibid. lin. 17.
§. 3. infr. de hæred. quæ ab inteſtat. *ibid. lin.* 22.	§. † 2. ibid. lin. 25.
l. vlt. C. de legit. tutor. *pag.* 48. *lin.* 5. *ab infra*. Et iterum. C. de legit. tutor. *pag.* 51. *lin.* 33. *pag.* 85. *lin.* 6.	C. *de* † *legit. tutel.* pag. 34. lin. 4. pag. 36. lin. 5. pag. 57. lin. 6. ab infr.
§. ſed ne eiuſmodi. verſ. tutor. infr. de legat. *pag.* 48. *lin.* 11. *& ſeq.*	§. *ſed* † *nec ejusmodi*, pag. 33. lin. 33.
Nou. 118. cap. 3. *ibid. lin.* 5. *& ſeq. ab infra*.	*nov.* 118. *cap.* † 5. pag. 34. lin. 4.
l. 4. §. ſub conditione. ff. de tutel. *pag.* 49. *lin.* 19. Et iterum *pag.* 59. *lin.* 25. *& ſeq.*	*l.* † 6. ibid. lin. 24. & pag. 41. lin. 8.
l. ſi pupillo. ff. de tutor. dat. *pag.* 49. *lin.* 4. *& ſeq. ab infra*.	*l.* † *pupillo*, pag. 34. lin. 12. ab infra.
l. vlt. §. 1. de gradib. & affin. *pag.* 51. *lin.* 27. *& ſeq.* Et iterum *pag.* 55. *lin.* 4.	*l. ult.* §. † 2. pag. 35. lin. penult. & pag. 38. lin. 13.
l. cum prætor. §. vlt. de iudic. *pag.* 54. *lin.* 6. *ab infra*.	*l. cum prætor*, §. † *penult.* pag. 38. lin. 5.
l. 7. §. in legitimis. de legit. tutor. *pag.* 55. *lin.* 20.	*l.* † 5. ibid. lin. 26.
l. 3. §. vlt. de legit. tutel. *pag.* 57. *lin.* 9.	*de* † *legit. tutor.* pag. 39. lin. 16. ab infra.
l. nec mandante. ff. de Tutel. *pag.* 61. *lin.* 9.	*ff.* † *de tutor. dat.* pag. 42. lin. 9.
l. ex maleficiis, §. hæres ff. de obligat. & act. *pag.* 64. *lin.* 13.	*l.* † *ſi quis abſentis*, pag. 44. lin. 8.
l. 3. §. ult. de negot. geſt. *ibid. lin.* 20.	*l.* † 6. *in princ.* ibid. lin. 15.
l. hæres. §. non tantum. famil. erciſc. *ibid. lin. ult.*	*l.* † *heredes*, ibid. lin. 25.
Pupillus ſtatim in ipſo negotio præſens debet auctor fieri: poſt tempus vero, aut per epiſtolam auctoritas interpoſita nullius eſt momenti. *pag.* 65. *ſub* §. *Tutor.*	Tutor † ſtatim, &c. *pag.* 45. *lin.* 1.
Auth. minor. C. qui dar. tut. *pag.* 66. *lin.* 24. *& pag.* 81. *lin.* 15.	*auth. minoris*, ibid. lin. 27. & pag. 55. lin. 12.
l. ſi plures. ff. de adminiſtr. tut. *pag.* 66. *lin.* 31.	*ff.* † *de teſtam. tut.* pag. 45. lin. 16. ab infr.
l. indecorum. C. quand. tutor. eſſe deſinant. *pag.* 67. *lin. penult.*	*l.* † *indecoram*, pag. 46. lin. 14.
§. 3. ſupr. de Adopt. *pag.* 68. *lin.* 4. *& ſeq.*	§. † 2. ibid. lin. 20.
l. filiuſ. ff. de ſtat. hom. *pag.* 69. *lin.* 10.	*ff.* † *de his qui ſui*, pag. 47. lin. 16.
§. 3. ſupr. de Attil. tut. *pag.* 71. *lin.* 7. *& ſeq.*	§. † 4. *ſupr. de Atil. tut.* pag. 48. lin. 16. ab. infr.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
l. pẽn. C. qui dar. tut. *ibid. lin.* 4. *ab infra.*	*l.* † *antepen.* pag. 49. lin. 7.
Aiacem, Oreſtem fuere dicimus, qui ita ſit affectus, eum dominum eſſe rerum ſuarum vetant 12. *tabulæ.* pag. 72. lin. 11. & ſeq.	*Ajacem, Oreſtem furere dicimus. Qui ita ſit affectus*, &c. ibid. lin. 20. & ſeqq.
l. ſororis. C. qui dar. tut. *pag.* 73. *lin.* 15.	*l.* † *ſi ſororis*, pag. 50. lin. 6.
l. 1. C. de actor. a tutor. dand. *pag.* 74. *lin.* 10. *ab infra.*	*l.* † *un.* ibid. lin. ult.
l. vlt. §. iidem reſcripſerunt. ff. de adminiſtr. rer. ad ciuit. pertinent. *pag.* 75. *lin. pen. & ult.*	*l. ult.* §. † *item reſcripſerunt*, pag. 51. lin. 14. ab infra.
l. vn. C. de tutor. vel Curator. illuſtr. perſonar. *pag.* 77. *lin.* 11. *ab infr.*	*l.* † 1. pag. 52. lin. 7. ab infra.
Me his, inquit, pignoribus exiſtimas poſſe terreri, non tibi vlla ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coercere, hæc tibi eſt excidenda lingua. pag. 78. lin. 16. & ſeqq.	*Me his*, inquit, *pignoribus exiſtimas poſſe terreri? Non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coercere: hæc tibi eſt excidenda lingua.* pag. 53. lin. 17. & 18.
l. honores. ff. de munerib. & honor. *pag.* 79. *lin.* 4. *ab infra.*	*l.* † *honorem*, pag. 54. lin. 13.
l. exactores C. de exact. tribut. *pag.* 80. *lin.* 3. *& ſeq.*	C. † *de excuſat. tut.* ibid. lin. 18.
l. Spadonem §. vlt. ff. h. tit. *pag.* 81. *lin.* 23. *& ſeq.*	§. † *eſt autem*, pag. 55. lin. 20.
l. 6. §. dat remiſſionem. ff. hoc tit. *pag.* 84. *lin.* 6. *ab infra.*	*l.* 6. §. † *amplius autem*, pag. 57. lin. 16. ab infra.
Plin. lib. 10. epiſt. 53. *pag.* 86. *lin.* 16.	epiſt. † 57. *pag.* 58. *lin.* 12. *ab infr.* lege tamen epiſt. 59.
d. l. oportet. *pag.* 88. *lin.* 1.	*d. l.* † *ſcire oportet*, pag. 59. lin. 8. ab infra.
l. 5. §. 1. quod vi aut clam. *ibid. lin.* 5.	*l.* 5. §. † 2. ibid. lin. 4. ab infra.
l. 3. §. oſtendimus ff. h. tit. *pag.* 91. *lin.* 9. *ab infra.*	*l.* † 1. pag. 62. lin. 8.
l. 3. §. conſequens. ff. h. tit. *pag.* 92. *lin.* 9.	*l.* † 1. ibid. lin. 22.
l. 3. §. quin imo. ff. h. tit. *ibid. lin.* 16.	*l.* † 1. ibid. lin. 27.
l. defunctus & paſſ. ſi reus vel accuſ. mortuus fuer. *pag.* 94. *lin.* 16.	*l.* † *defunctis*, pag. 64. lin. 1.
Ouid. 6. Metamorph. *Quid prohibetis aquas, vſus communis aquarum eſt.* pag. 97.	*Quid prohibetis* † *aquis? uſus communis aquarum.* pag. 66.
l. ſancimus. C. de Epiſc. & Cleric. *pag.* 103. *lin.* 7.	*l.* † *ſancimus* 22. *C. de SS. eccleſ.* pag. 69. lin. ult.
l. cum oſſa. ff. de religios. *ibid. lin.* 30.	*l.* † *cum loca*, pag. 70. lin. 20.
Ait quatenus corpus humatum eſt, non incircum porticatio, *pag.* 104. *lin.* 8. *& 9.*	Ait quatenus corpus humatum eſt, non in circum † porticationes, *ibid. lin.* 16. *ab infr.*

Source : BIU Cujas

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
l. æde. ff. de contrah. empt. . . . l. cum in diuersis. ff. eod. *ibid. lin.* 11. *& seqq.*	*l. æde ff. de contrah. empt. . . . l. cum in diversis, ff.* † *eod. de religios.* ibid. lin. 11. & seq. ab infr.
l. 2. ff. ne quid in loc. public. *pag.* 105. *lin.* 21.	*l.* 2. *ff.* † *ne quid in loco sacr.* pag. 71. lin. 27.
l. 3. §. Neratius. de adquir. rer. possess. *pag.* 107. *lin.* 3. *&* 4.	*ff. de adquir.* † *possess.* pag. 72. lin. 19. ab. infr.
l. 3. §. Neratius. de adquir. possess. *ibid. lin.* 17.	§. † *quidam recte*, ibid. lin. 8. ab infr.
l. in bello. §. si quis seruus. ff. eod. *pag.* 108. *lin.* 17. *& seq.*	§. † *si quis servum*, pag. 73. lin. 13. ab infr.
ὡς τὰ μὲν ἀνδρόποδα τὰ ἀλλὰ παντὰ χρημάτα τοῖς ςρατιώταις ἐς λάφυρα εἶναι ὐκ ἀπεικὸς εἶναι, γῆν μὲν τι αὐτὴν βασιλεῖ τε, καὶ τῇ ῥωμαίων ἀρχῇ προσήκειν. *pag.* 109. *lin.* 10. *& seqq.*	ὡς τὰ μὲν ἀνδράποδα καὶ τὰ ἀλλὰ πάντα χρήματα τοῖς ςρατιώταις ἐς λάφυρα ἰέναι ὐκ ἀπεικὸς, εἶναι γῆν μεν τοι αὐτὴν Βασιλεῖ τε, καὶ τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ προσήκειν. pag. 74. lin. 4. & seqq.
l. locus. ff. de adquir. rer. dom. *pag.* 111. *lin.* 17.	*l. lacus*, pag. 75. lin. 30.
l. 1. §. 3. & 4. ff. de fluminib. *ibid. lin.* 18. *& seq.*	§. † 6. & 7. ibid. lin. 32.
l. sed si meis. §. 1. ff. eod. *ibid. lin.* 22.	§. † 2. ibid. lin. 6. ab infra.
l. ergo. §. 1. ff. de adquir. rer. domin. l. 1. §. item si omnis. ff. de fluminib. *pag.* 113. *lin.* 6. *&* 7.	*l. ergo*, §. † 2. *ff. de adquir. rer. domin. l.* 1. §. † *item si amnis, ff. de fluminib.* pag. 76. lin. 40. & 41.
l. 9. §. 2. ff. ad exhib. *ibid. lin.* 26.	§. † 3. pag. 77. lin. 7.
l. nisi cuius. ff. de acq. rer. domin. *pag.* 114. *lin.* 7. *ab infra.*	*l. nisi* † *voluntate*, ibid. lin. 7. ab infr.
l. sed si. §. 1. ff. eod. *ibid. lin. antepen.*	§. † 2. ibid. lin. antepen.
l. cum duobus. §. 1. ff. pro soc. *pag.* 116. *lin.* 7. *&* 8.	§. † 2. pag. 78. lin. 11. ab infra.
l. ubi autem. §. 1. vers. vsque adeo. ff. de V. S. *pag.* 118. *lin.* 27.	*l. ubi autem*, §. † 2. *de V. S.* pag. 80. lin. 22. lege tamen de *V. O.*
d. l. in rem. §. si quis. *pag.* 121. *lin.* 21.	§. † *item si quis*, *al. ult.* pag. 82. lin. 15.
l. in fideicommissaria §. planè. ff. ad Trebell. *pag.* 122. *lin.* 4. *& seq. ab infra.*	§. † *quotiens*, pag. 83. lin. 11. & 12.
l. 2. §. generaliter. de dolo & met. excepti. *pag.* 123. *lin.* 14.	§. † *& generaliter*, ibid. lin. 27.
l. sed etsi lege. §. si quis re sua. §. quod ait. ff. de petit. hæred. *pag.* 125. *lin.* 7. *&* 8.	*l. sed etsi lege*, §. *si quis re sua*, §. † *quod autem*, pag. 84. lin. 13. & seq. ab infr.
l. vnic. §. sed & nouissima. C. de rei vxor. act. *pag.* 128. *lin.* 2.	§. † *cumque ex stipulatu*, *vers. sed & novissimi*. pag. 86. lin. 17. & seq. ab infr.
l. 1. C. de vsucap. transform. l. 1. C. de nud. iur. Quirit. tollend. *pag.* 133. *lin.* 4. *&* 5.	*l.* † *unic. C. de usucap. transform. l.* † *unic. C. de nud. jur. Quirit. tollend.* pag. 90. lin. 2.
l. quæcumque. §. 1. de publican. *ibid.*	*de* † *publician. in rem act.* ibid. lin. 7.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
lin. 10. *&* 11.	
l. 1. §. cumque hæc materia . C. de veter. iur. enucleand. *pag.* 134. *lin.* 8. *& ſeq. ab infr.*	§. † *ſed neque*, pag. 91. lin. 6.
§. *Idem ſi quis*. pag. 135.	§. † *Item ſi quis*, ibid.
l. 9. §. ita ſi quis . de acquir. rer. domin. *ibid. lin. pen.*	*l.* 9. §. † *item ſi quis*, ibid. lin. 7. ab infra.
l. pen. ff. de acquir. poſſeſſ. *pag.* 136. *lin.* 6. *ab infr.*	*l.* † *antepenult.* pag. 92. lin. 21.
l. 9. §. amplius. ff. de acquir. rer. domin. *pag.* 137. *lin.* 3. *&* 4.	§. † *hoc amplius*, ibid. lin. 30.
l. vlt. §. ſimili . C. de iur. dot. *pag.* 139. *lin.* 16.	§. † *præterea*, pag. 94. lin. 2.
l. qui cella . ff. de ſervitut. ruſtic. *pag.* 141. *lin.* 16. *&* 17.	*l. qui* † *ſella*, pag. 95. lin. 16.
l. ſi arborem . §. vlt. ff. eod. *pag.* 143. *lin.* 4.	§. † 2. pag. 96. lin. 21.
l. vlt. §. procul dubio . C. de bon. quæ liber. *pag.* 147. *lin.* 4. *& ſeq. ab infr.*	§. † 4. *verſ. hoc procul dubio*, pag. 99. lin. 19.
l. 3. ff. quib. mod. vſuſfr. amitt. l. 3. l. ſi domina . C. eod. *pag.* 148. *lin.* 12. *&* 13.	*l.* 3. §. *ult. ff. quibus mod. uſuſfr. amitt. l.* 3. *l. ſi domina*, C. *eod* † *de uſufr.* ibid. lin. 32. & 33.
l. ſi ſervus. §. oliuam : cum ſeq. ff. ad l. Aquil. *pag.* 149. *lin.* 9. *& ſeq. ab infr.*	§. † *ſi olivam*, pag. 100. lin. 31.
l. ſicut . §. rei mutatione . . . . ff. quib. mod. vſuſfr. amitt. *pag.* 150. *lin.* 22.	*l.* † *repeti*, pag. 101. lin. 3.
l. 9. §. 2. ff. ad exhibend. *ibid. lin.* 26.	§. † 3. ibid. lin. 7.
l. per ſeruum. §. 1. ff. tit. *pag.* 151. *lin.* 8.	*ff.* † *h. tit.* ibid. poſt cap. lin. 8.
l. in eodemque fundo. ff. h. tit. *pag.* 152. *lin.* 1. *&* 2.	*l.* † *inque eo fundo*, ibid. lin. ult.
l. ſi habitatio . §. 1. ff. h. tit. *ibid. lin.* 4. *&* 5.	§. † *ultim.* pag. 102. lin. 2.
l. arboribus . §. Iulianus . . . ff. de vſufr. *ibid. lin.* 15. *&* 16.	§. † *uſufructuarius*, ibid. lin. 12.
l. fundi Trebatiani. ff. de vſufruct. legat. *ibid. lin.* 20.	*l.* † *fundi Æbutiani*, ibid. lin. 16.
l. Bonæ fidei . §. 1. ff. de acquir. rer. domin. *pag.* 153. *lin.* 6.	§. † *ult.* ibid. lin. 10. ab infra.
l. vlt. C. de SS. eccleſ. *pag.* 156. *lin.* 9. *ab infr.*	*l.* † *ut inter*, pag. 105. lin. 7. & 8.
l. 2. C. de ſeruis. fugit. *pag.* 157. *lin.* 1.	*l.* † 1. ibid. lin. 15.
l. 4. §. hoc autem . . . . ff. h. tit. *ibid. lin.* 15.	§. † *quod autem*, ibid. lin. 28.
l. poteſt pluribus. §. item ſi cum . l. ſeq. ff. h. tit. *pag.* 158. *lin.* 15.	*l. poteſt pluribus*, † *in pr. cum l. ſeq. ff. h. tit.* pag. 106. lin. 10.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
l. vlt. C. de Vſucap. pro dot. *pag.* 159. *lin.* 25.	*C. de uſucap.* † *pro hered.* pag. 107. lin. 1. & 2.
l. Pomponius. §. pen. ff. de acquir. poſſeſſ. *pag.* 160. *lin.* 4.	§. †. 10. ibid. lin. 14.
l. Senatus. §. mortis cauſa. ff. h. tit. *pag.* 162. *lin.* 9.	*ff.* † *de mort. cauſ. donat.* pag. 108. lin. 16. ab infra.
Nou. 97. cap. 1. Auth. ſed neceſſe eſt, C. de donat. ant. nupt. *pag.* 167. *lin.* 12.	*nov.* 97. *cap.* † 2. *auth. ſed jam neceſſe eſt.* pag. 111. lin. ult.
§. Jtem nobis. *pag.* 173.	§. *item* † *vobis*, pag. 115.
d. l. ſi quis mihi §. ſi fiſcus, *ibid. lin. penult.*	§. † *ſi fiſci*, pag. 116. lin. 11.
l. 3. §. item, & §. cæterum. ff. eod. *pag.* 174. *lin.* 15. *&* 16.	*l.* † 1. §. *item*, *&* *l.* 3. §. *ceterum*, *ff. eod.* ibid. lin. 25.
l. 9. §. ſi vnus . . . ff. de reb. credit. *pag.* 176. *lin.* 6. *&* 7.	§. † *ſi nummos*, pag. 117. lin. 18. ab infr.
§. *Sed de his omnibus.* pag. 182. in princ.	§. *ſed* † *his omnibus*, pag. 121.
l. cum bonis ff. de acquir. hæred. *pag.* 184. *lin. antepen.*	*l.* † *eum bonis*, pag. 123. lin. 17.
l. Diuus Claudius C. ad l. Cornel. de fals. *pag.* 186. *lin.* 10.	† *ff. ad l. Cornel. de falſ.* pag. 124. lin. 13.
l. Sempronius ff. de legat. 3. *pag.* 187. *lin.* 9.	*ff.* † *de legat.* 2. ibid. lin. 5. ab infra.
Plin. lib. 8. epiſt. 17. *ibid. lin. antepen.*	Plin. lib. 8. epiſt. † 18. *pag.* 125. *lin.* 15.
l. ſi impuberi ff. de adminiſtr. tut. *pag.* 189. *lin.* 10.	*l.* † *impuberi*, *pag.* 126. *lin.* 11.
l. miles teſtamentum ff. h. tit. *pag.* 192. *lin.* 11.	*l.* † *miles ſi teſtamentum*, pag. 128. lin. 9.
l. 5. §. pen. ff. de pecul. *pag.* 193. *lin.* 13.	§. † *ult.* ibid. lib. 8. ab infra.
Filiuſ. ſine patris permiſſu mortis cauſa donare poteſt. *pag.* 194. *poſt cap. lin.* 6. *&* 7.	Filiuſ. † cum patris permiſſu mortis cauſa donare poteſt. *pag.* 129. *poſt. cap. lin.* 5. & 6.
d. l. 1. C. de Caſtrens. pecul. lib. 12. *pag.* 195. *lin.* 11. *&* 12.	*d.* † *l.* 1. §. *nec caſtrenſe*, *&* *l.* 1. *C. de caſtr. pecul.* pag. 130. lin. 9. &. 10.
l. 1. & 3. §. ex his ff. de liber. & poſth. *pag.* 199. *lin.* 21.	*ff.* † *de injuſt. rupt.* pag. 133. lin. 2.
l. quod dicitur ff. de in iuſt. rupt. *pag.* 200. *lin.* 22.	*ff.* † *de liber. & poſth.* ibid. lin. 17. ab infra.
l. Gallus §. ſequenti parte §. videtur ff. de liber. & poſth. *pag.* 201. *lin.* 7.	*l. Gallus*, §. *ſequenti*, §. † *videndum*, pag. 134. lin. 3.
Nou. 115. cap. 2. *pag.* 202. *lin.* 5. *ab infra.*	*nov.* 115. *cap.* † 3. pag. 135. lin. 8. & 9.
l. his verbis §. 1. ff. h. tit. *pag.* 205. *lin.* 2.	§. † 2. pag. 136. lin. 17. ab infr.
l. cum tabulas ff. de his quib. vt indig. *ibid. lin.* 13. *&* 14.	*l. cum* † *tabulis*, §. 1. *ff. de his qaæ ut indign.* ibid. lin. 8. & ſeq. ab infr.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
l. affectionis C. de donat. *ibid. lin.* 15.	*l. affectionis*, † *ff. de donat.* ibid. lin. 7. & ſeq. ab infr.
l. item legato §. 1. ff. de legat. 3. *ibid. lin.* 17. *&* 18.	*l. item legato*, §. † 4. ibid. lin. 4. ab infr.
l. qui in aliena §. vlt. ff. de acquir. hæred. *pag.* 206. *lin.* 18.	*l. qui in aliena*, † *in princ.* pag. 137. lin. 21. ab infr.
& d. l. quoties l. ſeruus. *ibid. lin.* 24.	*&* † *dd. l. quotiens*, §. *ſervus*, *& l. ſervum meum*, ibid. lin. 16. ab infr.
l. ab omnibus §. cum quidam ff. de liber. & poſth. *pag.* 212. *lin.* 2. *&* 3.	*ff.* † *de legat.* 1. pag. 141. lin. 14.
Perpetuus nulli datur vſus, & hæres. Hæredem alterius, velut vnda ſuperuenit vndam. pag. 214. in fin. ad 215.	. . . *perpetuus nulli datur uſus, & heres -- Heredem* † *alterius, velut unda ſupervenit undam.* pag. 143.
§. pupillus infr. de inutil. ſtipulat. *pag.* 219. *lin.* 3.	§. † *ſed quod diximus*, pag. 145. lin. 15. ab infr.
l. 1. §. 1. . . . ff. ad Trebell. *pag.* 223. *lin.* 3. *ab infr.*	*l.* 1. §. † 2. pag. 148. lin. antepen.
l. 2. in fin. ff. de Codicill. *ibid. lin. ult.*	*ff. de jur. codicill.* ibid. lin. ult.
l. cum filius §. 1. ff. de legat. 2. *pag.* 226. *lin.* 19. *&* 20.	§. † *ult.* pag. 150. lin. 13. ab infr.
l. ſi quando. §. vlt. C. h. tit. *pag.* 229. *lin.* 12.	§. † *pen.* pag. 152. lin. 24.
l. aduerſus. §. tutor. ff. h. tit. *ibid. lin.* 10. *ab infr.*	§. † *tutoribus*, ibid. lin. 12. ab infr.
l. vnic. §. & hoc C. de rei vxor. act. *pag.* 232. *lin.* 17.	§. † *accedit*, pag. 154. lin. 22.
M. Tull. 13. ad Attic. epiſt. 44. *Ex eo cognoui Cretionem Cluuij liberam teſtibus preſentibus ſexaginta duobus.* pag. 234. lin. 5. & ſeqq.	M. Tull. 13. ad Attic. epiſt. † 46. *Ex eo cognovi cretionem Cluvii (o Veſtorium negligentem !) liberam cretionem, teſtibus præſentibus, ſexaginta diebus.* pag. 155. lin. 28. & ſeqq.
l. cum pater §. vlt. de legat. 2. *pag.* 235. *lin.* 14.	§. † 1. pag. 156. poſt. cap. lin. 12.
l. huiuſmodi §. vlt. de legat. 2. *pag.* 236. *lin.* 10.	*de legat.* † 1. ibid. lin. 5. ab infr.
l. ſi filius ff. de donat. *pag.* 237. *in fin. ad* 238.	*l. ſi filius*, † C. *de donat.* pag. 157. lin. ult.
d. l. cum ſervum §. conſtat. *pag.* 238. *lin.* 11.	*d. l. cum* † *ſervus*, pag. 158. lin. 10.
l. 3. §. ex pluribus ff. de adq. poſſeſſ. *pag.* 239. *lin.* 12. *ab infr.*	§. *ex* † *plurimis*, pag. 159. lin. 3.
l. fideicommiſſa. §. ſi cui de legat. 3. l. ſcribit. §. idem ſcribit de aur. & argent. legat. *pag.* 243. *lin.* 6. *& ſeqq.*	*l. fideicommiſſa*, §. † *ſi rem ſuam*; *de leg.* 3. *l. ſcribit*, §. † *item ſcribit*, *de aur. & argent. legat.* pag. 161. lin. 11. & ſeqq.
l. ſi vnus §. ante omnia ff. de pact. *ibid. lin.* 6. *ab infr.*	§. † *pactus*, ibid. lin. 19. ab infr.
l. ſi creditori & ſeq. ff. de liberat. legat. *pag.* 244. *lin.* 14. *&* 15.	*l.* † *ſi creditor*, ibid. lin. penult.

Source : BIU Cujas

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
l. non amplius §. 1. l. omnia §. species ff. de legat. 1. *pag.* 245. *lin.* 15. *&* 16.	*l. non amplius*, §. 1. † *de legat.* 1. *l. omnia*, §. *species*, *de legat.* † 2. pag. 162. lin. 17. ab infra.
l. seruum §. eum qui . . . de leg. 1. pag. 146. *lin.* 6. *ab infr.*	*l. servum*, §. † *sed etsi nomen . . . de legat.* 1. pag. 163. lin. 20. ab infra.
l. vnic. C. quand. fisc. vel priuat. *pag.* 247. *lin.* 3.	*l.* † *ult.* ibid. lin. 14. ab infra.
l. si stipulatus l. si seruus l. vlt. ff. de V. O. *pag.* 248. *lin.* 4. *&* 5.	*l. si stipulatus* 76. *l. si servus* † *ult.* pag. 164. lin. 19.
Nou. 131. cap. 2. *pag.* 249. *lin.* 21.	*nov.* 131. *cap.* † 11. pag. 165. lin. 16.
l. demonstrat. §. quod miles l. cum tale §. falsam ff. de condit. & demonstr. *pag.* 250. *lin.* 8. *&* *seq. ab infr.*	*l.* † *demonstratio*, §. *quod autem*, *l. cum tale*, §. *falsam* 6. pag. 166. lin. 3. & 4.
l. Lucius §. quisquis hæres de legat. 2. *ibid. lin. antepen.*	*l. Lucius*, §. *quisquis* † *mihi heres* 10. ibid. lin. 8. & 9.
Si mater inquam te ex parte quartâ scripsisset hæredem num quæri posses, quod si hæredem quidem instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, vt non amplius apud te quam quarta remaneret. pag. 254. lin. 11. *&* *seqq.*	*Si mater, inquam, te ex parte quarta scripsisset heredem, num queri posses? quid si heredem quidem instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, ut non amplius apud te quam quarta remaneret?* pag. 168. lin. 20. & seqq.
§. *Cum autem*. ibid. lin. 11. ab infr.	§. † *quantitas autem*. ibid. lin. 18. ab infra.
& speciale est in fideicommisso vniuersali, vt hæres rogatus restituere hæreditatem, si velit adire, cogatur a prætore adire & restituere hæreditatem. *pag.* 255. *lin.* 5. *&* *seqq.*	si † nolit adire, *ibid. lin.* 4. *ab infr.*
l. in imponenda C. h. tit. *ibid. lin.* 17.	*l.* † *si ea*, pag. 169. lin. 7.
M. Tull. Verr. 3. *pag.* 256. *lin.* 15.	*Verr.* † 1. 47. ibid. lin. 17. ab infr.
l. cum pater. §. filium de legat. 2. *ibid. lin.* 27.	§. † *filius*, ibid. lin. 7. ab infr.
§. pen. infr. h. tit. & §. 3. infr. de Codicill. *pag.* 257. *lin.* 9. *ab infr.*	§. † *ult.* infr. *h. tit.* *&* §. † 1. infr. *de codicill.* pag. 170. lin. 20. ab infr.
l. epistolam §. mulier ff. ad Trebell. . . . l. fideicommissa §. hæc verba & seq. ff. eod. *pag.* 258. *lin.* 8. *&* *seqq.*	*l. fideicommissa*, §. *hæc verba* *&* *seq. ff.* † *de legat.* 3. ibid. lin. 5. ab infr.
l. qui usumfructum ff. si vsusfr. petat. . . . l. ita tamen §. qui ex Trebell. ff. eod. *ibid. lin.* 5. *&* *seqq. ab infr.*	*l. ita tamen*, §. *qui ex Trebell. ff.* † *ad Trebell.* pag. 171. lin. 19. & 20.
l. cohæredi §. cum filia. de vulgar. & pupillar. *pag.* 259. *lin.* 19.	§. † *quod si heredem*, ibid. lin. 13. ab infra.
l. ita tamen §. etsi præceptis ff. ad Trebell. *pag.* 261. *lin.* 5.	§. † *si præceptis*, pag. 172. lin. 11. ab infra.
l. si sponsus §. 1. de don. inter vir. & vxor. *ibid. in fin. ad* 262.	§. † 15. pag. 173. lin. 17.
l. in quartam ff. ad Trebell. *pag.* 262.	*ff.* † *ad l. falcid.* ibid. lin. 7. ab infr.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. meæ.*
lin. 8. *ab infra.*	
d. l. ſi legatus §. pen. *ibid. in fine.*	§. † *antepen.* ibid. in fin.
l. ſi patroni §. qui fideicommiſſum ff. ad Trebell. *pag.* 263. *lin.* 6. *ab infr.*	§. *qui* † *fideicommiſſam*, pag. 174. lin. 24.
§. legatarios ſupr. de teſtament. *pag.* 265. *lin.* 5.	§. † *legatariis*, pag. 175. poſt cap. lin. 10.
l. 3. C. de ſuis & legitim. *pag.* 272. *lin.* 8. *& denuo ibidem lin.* 13.	*l.* † 2. pag. 180. lin. 12. & 16.
Nou. 116. cap. 1. *ibid. lin.* 18.	*nov.* † 118. ibid. lin. 21.
l. ſi defunctus C. de legit. hæred... l. vlt. C. de ſuis & legit. hæred. *pag.* 274. *lin.* 13. *&* 19.	C. † *de ſuis & legitim. liber.* pag. 181. lin. 32. & 37.
§. 1. §. *Etſi plures.* pag. 275. in princ.	§. 1. §. † *ſi plures*, pag. 182. lin. 6.
l. 3. §. ſuis ff. de legit. tutor. *pag.* 277. *lin.* 20.	§. † *proinde*, pag. 183. lin. 13. ab infr.
l. 2. §. Diui Seuerus ff. qui pet. tut. *pag.* 280. *lin.* 7. *ab infr.*	§. † *Divus Severus*, pag. 185. lin. 8. ab infr.
l. ſi matres C. h. tit. *ibid. lin.* 4. *ab infr.*	*l.* † *matres*, ibid. lin. 5. ab infr.
l. matre C. h. tit. *pag.* 281. *lin.* 7.	*l.* † *mater*, pag. 186. lin. 4.
Nou. 22. cap. 47. *ibid. lin.* 13.	*nov.* 22. *cap.* † 46. ibid. lin. 9.
l. vlt. vi bonor. rapt. *ibid. lin.* 21.	*l.* † *pen.* ibid. lin. 16.
l. 1. §. ſed & vulgo quæſitos ff. hoc tit. *pag.* 282. *lin.* 1.	§. *ſed & vulgo* † *quæſiti*, ibid. lin. 32.
l. 5. §. vtrum ff. de agnoſc. liber. *ibid. lin.* 6.	§. † *ergo & matrem*, ibid. lin. 36.
l. legitimi ff. vnde cognat. *pag.* 284. *lin.* 7. *ab infr.*	*l.* † *legitimis*, pag. 188. lin. 12. & 13.
l. vulgo quæſiti ff. de ſtat. homin. *pag.* 285. *lin.* 13. *ab infra.*	*l. vulgo* † *concepti*, ibid. lin. ult.
l. 2. l. pen. vnd. cognat. *pag.* 286. *lin.* 16.	*l.* † 1. §. 3. *l. pen.* pag. 189. lin. 21. ab infr.
can. ad ſedem 35. qu. 2. *pag.* 287. *lin.* 4. *ab infr.*	*can. ad ſedem*, 35. *qu.* † 5. pag. 190. lin. 20.
l. libertum ff. de V. S. *pag.* 290. *poſt cap. VIII. lin.* 6.	*l.* † *adſignare libertum*, pag. 192. lin. 5.
§. emancipati ſupr. de hæred. qualit. & different. *pag.* 292. *lin.* 11. *ab infr.*	§. *emancipati*, ſupr. *de hered.* † *quæ ab inteſt. defer.* pag. 193. lin. 32. & ſeq.
l. 1. ff. vnde legitim. *ibid. lin.* 8. *ab infr.*	*l.* † 2. ibid. lin. 35.
l. 1. C. eod. *pag.* 293. *lin.* 6.	*l.* † *un.* ibid. lin. antepen.
& idem in illum locum 1. æneid. *ibid. lin.* 15.	in illum locum 7. Æneid. *pag.* 194. *lin.* 5.
l. 1. §. intra §. largius ff. de ſucceſſ. edict. *pag.* 294. *lin.* 21.	*l.* 1. §. † *ſi intra, &c.* ibid. lin. 6. ab infr.
l. plurium ff. de acquir. hæred. *pag.* 295. *lin.* 6. *ab infr.*	*l.* † *in plurium*, pag. 195. lin. 13. ab infr.
l. 1. C. Th. de Cretion. & bonor. poſſ. *ibid. lin. antepen. & ult.*	*l.* † *un.* C. *Th. de cretion. vel bonor. poſſ.* ibid. lin. 9. ab infr.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
l. 1. §. 1. de obligat. & act. *pag.* 302. *lin.* 19.	*l.* 1. §. † 2. pag. 199. lin. pen.
l. 1. §. 1. ff. de obligat. & act. *pag.* 304. *lin.* 9.	*l.* 1. §. † 3. pag. 201. lin. 7.
l. 1. §. quod vero l. in rebus ff. commodat. *ibid. lin.* 8. *ab infr.*	*l.* † 5. ibid. lin. 26.
l. 1. §. ſi convenerit, ff. depoſiti . *pag.* 306. *lin.* 7.	§. *ſi* † *convenit*, pag. 202. lin. 21. & ſeq.
l. pen. C. de pignorib. . . . l. creditor C. eod. tit. . . l. cum & ſortis ff. eod. tit. *pag.* 306. *circa fin. ad* 307.	*l. pen.* C. *de* † *pignerat. act.* . . . *l. creditor*, C. *eod. tit. de pignerat. act.* . . . *l. cum & ſortis*, *ff. eod. tit. de pignerat. act.* ibid. lin. 7. & ſeqq. ab infr.
l. vſucapione C. de pignor. *pag.* 307. *lin.* 9.	*l.* † *uſucapio*, pag. 203. lin. 4.
l. quæſitum §. & ipſe Papinianus de inſtruct. inſtrum. legat. *ibid. lin.* 22.	*l. quæſitum*, §. 43. *verſ. ſed & ipſe Papinianus, de inſtruct. vel inſtrum. legat.* ibid. lin. 16.
l. ſi ſtipuler. in fin. ff. de V. O. . . . d. l. ſi ſtipuler. in fin. . . . l. ſi ſtipuler §. 1. ff. h. tit. *pag.* 308. *lin.* 5. *&* 26. *& pag.* 309. *lin.* 9. & denuo *pag.* 319. *lin. antepen.*	*l. ſi* † *ſtipulor*, pag. 203. lin. 19. ab infr. pag. 204. lin. 1. & 20. & pag. 211. lin. 14.
l. ſtipulationes C. de contrah. & committ. ſtipulat. *pag.* 308. *lin.* 8.	*l.* † *omnes ſtipulationes*, pag. 203. lin. 17. & ſeq. ab infr.
l. is qui l. Titio fundum . . . ff. de condit. & demonſtrat. *pag.* 312. *lin.* 7. *ab infr.*	*l. is* † *cui*, *l. Titio* † *fundus*, pag. 206. lin. 11. ab infr.
idem 5. epiſt. ad famil. 16. *pag.* 320. *lin.* 5. *ab infr.*	idem . 5. epiſt. ad famil. † 20. pag. 212. lin. 4. & 5.
Et idem 1. ad Attic. 4. *L. Cincio LLSXXCD conſtitui me curaturum Idibus Februarij.* ibid. lin. ſeq.	Et idem 1. ad Attic. † 7. *Lucio Cincio HS XXCD conſtitui me curaturum idibus februarii*, ibid. lin. 5. & 6.
l. ſi mihi, aut Titio ff. de fidejuſſ. . . . l. ſi quis ſtipulatus §. 1. ff. eod. l. cum quis ff. de ſolut. *pag.* 322. *lin.* 13. *& ſeqq.*	*l. ſi mihi, aut Titio, ff. de fidejuſſ.* . . . *l. ſi quis ſtipulatus*, §. 1. † *l. cum quis, ff. de ſolut.* pag. 213. lin. 1. ad 4.
l. qui decem ff. de ſolut. *pag.* 323. *lin.* 9.	*l.* † *cum decem*, ibid. lin. 22. ab infr.
l. 2. C. de poſtlim. reverſ. *pag.* 324. *lin.* 19.	*l.* † 3. pag. 214. lin. 21.
l. 1. ff. h. tit. *pag.* 325. *lin.* 4. *ab infr.*	*l.* 1. *ff.* † *de verb. oblig.* pag. 215. lin. 13.
l. 1. §. furioſus ff. de obligat. & act. *pag.* 326. *lin.* 2.	§. † *furioſum*, ibid. lin. 18.
l. is cui bonis ff. h. tit. *ibid. lin.* 4.	*ff.* † *de V. O.* ibid. lin. 19.
l. naturaliter §. 1. & l. ſeq. ff. de oblig. & act. *ibid. l.* 11.	*ff.* † *de condict. indebit.* ibid. lin. 26.
l. 1. §. furioſus ff. de oblig. & act. *ibid. lin.* 20.	§. † *huic proximus*, ibid. lin. 33.
l. 5. §. ſatis acceſſio ff. de V. O. l.	l. 5. §. ſatis † acceptio, ff. de V. O.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
ſi vero §. ſed ſi rem ſolut. matrim. *pag.* 332. *lin.* 10. *&* 11.	l. ſi vero , §. ſed † *etſi reum* , *ſolut. matrim.* pag. 219. poſt cap. lin. 9.
l. qui mutuum ff. mandat. *pag.* 334. *lin. pen.*	*l. qui* † *mutuam* , pag. 220. lin. 5. ab infr.
l. 6. ff. h. tit. . . . l. idemque §. fidejuſſores ff. eod. . . . l. ſi vero §. ſi mihi ff. eod. *pag.* 336. *lin.* 14. *& ſeqq.*	*l. 6.* §. 2. *ff.* † *mandat. . . l. idemque* , §. *fidejuſſores* , *ff. eod.* † *mandati . . . l. ſi vero* , §. *ſi mihi* , *ff. eod.* † *mandat.* pag. 221. lin. 9. & ſeqq. ab infr.
M. Tull. 4. ad Atticum epiſt. 17. *Hæc pactio non verbis , ſed nominibus , & præſcriptionibus , multorum tabulis cum eſſe facta diceretur , probata a Memmio* . pag. 337. lin. 13. & ſeqq.	M. Tull. 4. ad Attic. epiſt. † 18. *Hæc pactio non verbis , ſed nominibus , & perſcriptionibus , multorum tabulis cum eſſe facta diceretur , probata a Memmio* . pag. 222. poſt cap. lin. 12. & ſeqq.
l. nuda ratione ff. de donat. *ibid. lin.* 20.	*l. nuda* †† *ratio* , ibid. lin. 17.
l. cum vtraque . . . C. de non numer. pec. *ibid. lin.* 24.	*l. cum* † *ultra* , ibid. lin. 20.
l. in dotibus C. de dot. caut. non numerat. l. ſi quis poſt hac C. de bonis damnat. . . . Auth. quod locum C. eod. *pag.* 338. *lin.* 5. *& ſeqq.*	*l. in dotibus* , C. *de dot. caut. non numerat. l. ſi quis poſt hac* , C. *de bonis damnat. . . . auth. quod locum* , C. *eod.* † *de dot. caut. non numerat.* ibid. in fin. ad pag. 223.
Emptione & venditione perfecta , nondum ſecuta traditione , periculum & commodum pertinet ad emptorem . . . Et hoc verum eſt , ſi poſt perfectam emptionem , caſu res interierit , vel deterior facta ſit , alioquin re perempta ante traditionem facto venditoris , periculum pertinet ad emptorem , vt in l. ſi fundum ff. locat. *pag.* 342. *lin.* 7. *& ſeqq.*	alioquin re perempta ante traditionem facto venditoris , periculum pertinet ad † venditorem , ut in *l.* † *ſi fundus* , *ff. locat.* pag. 225. lin. 11. & ſeq. ab infra.
l. eum qui emit ff. de act. empt. *pag.* 343. *lin.* 2.	*l. eum qui emit* , † *al. l.* 4. §. 4. *ff. de in diem addict.* pag. 226. lin. 9.
l. donationes C. de donat. inter vir. & vxor. . . . d. l. hæc venditio §. hæc vendentis C. eod. *ibid. lin.* 22. *& ſeq.*	*l. donationes* 25. C. *de donat. inter vir. & uxor. . . . d. l. hæc venditio , l.* † *in vendentis* , C. *eod. de contr. empt.* ibid. lin. 24. & ſeqq.
Locatio & venditio proxima eſt emptioni & venditioni . *pag.* 144. *lin.* 1.	Locatio & † conductio , *ibid. lin.* 5. *ab infr.*
l. merces §. vis maior ff. h. tit. *pag.* 345. *lin.* 10.	*l.* † *ſi merces* , pag. 227. lin. 27.
l. cum plures §. 1. ff. h. tit. *pag.* 348. *lin.* 14.	*l.* † *cum in plures* , pag. 229. lin. 17. ab infr.
l. vlt. C. eod. *pag.* 354. *lin.* 8. *ab infr.*	*l.* † *pen.* pag. 233. lin. 8. ab infr.
l. cum duobus §. 1. l. cum ſocius ff. h. tit. *ibid. lin. ult.*	*l. cum duobus* , §. † 2. *l.* † *ſocius* ; *ff. h. tit.* ibid. lin. ult.
Virgil. 5. Æneid. *pag.* 355. *lin.* 5.	Virgil. † 6. Æneid. 116. *pag.* 234. *lin.* 4.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
l. 1. §. 3. de V. O. *pag.* 358. *lin.* 23.	*l.* 1. §. † 4. pag. 236. lin. 20.
l. delegatio C. de nouat. *ibid. lin.* 6. *& ſeq. ab infra.*	*l.* † *ſi delegatio*, ibid. lin. 27.
l. ſi mandauero §. vlt. ff. h. tit. *ibid. lin. ult.*	*l.* † 23. 24. *&* 25. *ff. h. tit.* ibid. lin. 30.
l. mandatum l. ſi præcedente ff. h. tit. l. mandatum C. eod. tit. l. vlt. ff. eod. tit. *pag.* 359. *lin.* 6. *&* 7.	*l. mandatum, l. ſi præcedente, ff. h. tit. l. mandatum, C. eod. tit. l. ult. ff.* † *de ſolut.* ibid. lin. 12. & ſeq. ab infr.
l. ſi remunerandi §. vlt. ff. de præſcript. verb. *pag.* 361. *lin.* 2. *&* 3.	*ff.* † *h. tit.* pag. 237. lin. ult.
l. negotia ff. de negot. geſt. *ibid. lin. ult.*	*l.* † *ſi negotia*, pag. 238. poſt cap. lin. 16. & 17.
Jure veteri quicquid filiuſ. acquirit, domino acquirit excepto peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, *pag.* 365. *poſt. cap. lin.* 6. *&* 7.	† patri adquirit, *pag.* 240. *lin. pen.*
l. vlt. §. filiis autem C. de bonis quæ liber. *ibid. lin.* 12. & 13.	*l. ult.* † *in princ.* pag. 241. lin. 4.
l. ſi non ſortem §. ſi certum ff. de condict. indebit. *pag.* 366. *lin.* 9. *ab infr.*	§. *ſi* † *centum*, ibid. lin. 17. ab infr.
l. ſi acceptolaturum ff. de acceptilat. *pag.* 369. *lin.* 1.	*l. ſi* † *acceptolatum*, pag. 243. lin. 6.
l. 1. C. Etiam ob chirograph. pecun. *pag.* 370. *lin.* 8.	*l.* † *un.* ibid. lin. 6. ab infr.
l. provt. §. Stichum, §. vlt. ff. de ſolut. *pag.* 371. *lin.* 21. *& ſeq.*	*l. prout, l.* † *Stichum*, §. *ult.* pag. 244. lin. 9. ab infr.
l. quid ſit §. noxas ff. de Ædilit. edict. *pag.* 373. *lin.* 13. & iterum *pag.* 431. *lin.* 10. *&* 11.	*l.* † *quis ſit*, pag. 246. lin. 6. & pag. 284. poſt. cap. lin. 9.
d. l. ſi is qui ff. de furt. l. 3. §. ſi rem de acquir. poſſeſſ. . . . l. verum eſt l. inter omnes §. recte ff. eod. *ibid. lin.* 32. *& ſeqq.*	*d. l. ſi is qui, ff. de furt. l.* 3. §. *ſi rem, ff. de adquir. poſſeſſ. . . l. verum eſt, l. inter omnes* §. *recte, ff. eod.* † *de furt.* ibid. lin. 23. & ſeqq.
l. 2. ff. de extraordinar. crimin. *ibid. lin.* 18.	*l.* † 3. ibid. lin. 10.
l. inter omnes §. quod dicitur . . . *ff.* de furt. *pag.* 375. *lin.* 13.	§. *quod* † *dicimus*, pag. 247. lin. 22. & 23.
l. ſi fullo ff. de furt. *pag.* 379. *lin.* 18.	*l.* † *fullo* 90. pag. 250. lin. 8. & 9.
l. impubere ff. de furt. . . . d. l. impubere, *pag.* 380. *lin.* 10. *& ſeq.*	*l.* † *impuberem . . . d. l. impuberem*, ibid. lin. 7. & ſeqq. ab infr.
canone redintegrandæ 3. qu. 1. *pag.* 381. *lin.* 5. *& ſeq. ab infr.*	*canone redintegranda*, pag. 251. lin. 5. ab infra.
l. Ædilis §. penult. & vlt. ff. de Ædilitio edicto, *pag.* 384. *lin.* 12.	*l.* † *ædiles*, pag. 253. lin. 23.
l. ob famoſum ff. de teſtibus, *pag.* 386. *lin.* 14. *ab infr.*	*l. ob* † *carmen famoſum*, pag. 254. lin. ult.
l. item apud §. aliud eſt ff. h. tit.	§. † *ſi quis virgines*, *& ſeq.* pag.

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
ibid. lin. 8. *ab infr.*	255. lin. 5.
l. ſi cum dotem §. interdum ſoluto matrim. *pag.* 387. *lin.* 11.	§. † *nec non illud*, ibid. lin. 20.
Et ſi Magiſtratus ſervum alienum honorem, ornamentaque petulanter attemptantem ceciderit non tenetur iniuriarum, *pag.* 388. *lin.* 24. *& ſeqq.*	petulanter † adtentantem cæciderit, *pag.* 256. *lin.* 15.
l. ſi cum §. qui iniuriarum ff. ſi quis cautionib. *pag.* 390. *lin.* 18.	*l. ſi* † *eum*, pag. 257. lin. 25.
d. l. 1. §. ſummæ, *pag.* 391. *lin.* 25. quæ Græci vocant ἐκθέτας vel ἐξόσας, noſtri proiecta ſolaria, vel mœniana, a nomine auctoris. Hieronym.... *quæ nonnulli Græcorum* ἐξώσοας *vocant*. *pag.* 391. in fin. ad 392.	§. † *ſumma*, pag. 258. lin. 15. in utroque loco, ἐξώσρας, *ibid. lin.* 25. *&* 28.
l. 1. §. 1. ſi quis ius dicent. non obtemperauer. *pag.* 394. *lin.* 11. γίνεται .... κ' κατὰ τὸν τόπον, τοῖς ἰδίοις αὐτῶ νόμοις ἐχέχρητο, &c. d. pag. 394.	*l.* † *unic.* pag. 260. lin. 2. γίνεται ... κ' κατὰ τὸν τόπον γενόμενος, τοῖς ἰδίοις αὐτῶ νομοις ἐχέχρητο, &c. d. pag. 260.
l. 1. C. de alienat. iudic. mutandi causâ factâ. *pag.* 395. *lin.* 1.	*l.* † *unic.* ibid. lin. 28.
l. ſin autem §. ſed & ij *ibid. lin.* 5.	§. *ſed &* † *is*, ibid. lin. 31.
l. actiones de oblig. & act. *pag.* 396. *lin.* 21.	*l.* † *actionis*, pag. 261. lin. 26.
l. 1. in princ. & §. vlt. *pag.* 398. *lin.* 24.	*l.* 1. in princ. *&* §. † *pen.* pag. 262. lin. 8. ab infra.
l. iuriſgentium §. ſed nulla ff. de pact. *pag.* 401. *lin.* 21.	§. *ſed* † *cum nulla*, pag. 264. lin. 14. ab infra.
& §. quas actiones. *ibid. lin.* 7. *ab infr.*	*&* † *hoc* §. ibid. lin. 5. ab infr.
l. vlt. C. quod cum eo qui in alien. poteſt. eſt. *pag.* 402. *lin. antepen. & penult.*	*l.* † *pen.* pag. 265. lin. 19. ab infr.
Et quod Athenium ob corruptas tabulas... ſcribit M. Tull. Verr. 4.... *Pronunciat Athenius litteras publicas corrupiſſe videri, & hæc prætereà addidit homo venerius novo modo, nullo exemplo, ob eam LLS. quingenties Veneri Erycinæ de Athenij bonis exacturum.* pag. 404. lin. 4. & ſeqq.	Et quod † Sthenium ob corruptas tabulas... M. Tull. Verr. † 2. 38.... *pronuntiat, Sthenium litteras publicas corrupiſſe videri: & hæc prætera addidit homo venerius, novo modo, nullo exemplo ob eam rem H. S. quingenties Veneri Erycinæ de Sthenii bonis exacturum.* pag. 266. lin. 18. & ſeqq.
Ambroſius de interpellat. lib. 2. cap. 3. *pag.* 405. *lin.* 23.	lib. † 3. cap. 3. *pag.* 267. *lin.* 20.
§. 4. ſupr. de leg. Aquil. *pag.* 408. *lin.* 20.	§. † 9. pag. 267. lin. 17.
At in iudicio familiæ erciſcundæ, & communi diuidundo, nulla eſt actio inter cohæredes, vel conſortes de proprietate rerum, ſed de communione hæreditatis, vel rerum dirimenda, vter-	uterque fatetur adverſarium ſibi eſſe

Source : BIU Cujas

Edit. Toloſan.	*Edit. mea.*
que fatetur aduerſarium ſibi eſſe cohæredem, vel conſulem. *pag.* 409. *lin.* 27 *& ſeqq.*	coheredem, vel † conſortem. *pag.* 270. *lin.* 7. *&* 8.
l. item §. ſi quis & §. in causâ ff. quod met. cauſ. . . . d. l. item ſi §. in causâ. *pag.* 413. *lin.* 6. & 10.	*l. item*, §. *ſi quis* 1. *&* §. † *in cauſa . . . d.* §. *in* † *cauſa*, pag. 272. lin. 14. *&* 16.
Nou. 121. cap. 3. *ibid. lin.* 23.	*nov.* † 124. *cap.* 3. ibid. lin. 28.
§. vlt. ſupr. de locat. & conduct. *pag.* 414. *lin.* 13.	§. † *penult.* pag. 273. lin. 6.
l. ab initio C. de pact. inter emptor. & vend. *pag.* 415. *lin.* 13.	*l.* † *initio*, ibid. lin. 12. ab infr.
l. 3. C. eod. *ibid. lin.* 19.	*l.* † 13. ibid. lin. 6. ab infr.
Pigneratitia actio duplex eſt, directa & contraria. Directa eſt quæ datur debitori exſoluto debito aduerſus creditorem pignoris recipiendi causâ. Contraria eſt quæ datur creditori ad reppetendos ſumptus neceſſarios, quos fecit in re pignerata l. ſi rem alienam §. omnis ff. de pigner. act. l. creditor l. pen. C. eod. *pag.* 416. *lin.* 8. *& ſeqq.*	Pigneratitia actio duplex eſt, directa, & contraria. Directa eſt quæ datur debitori exoluto debito adverſus creditorem pignoris recipiendi cauſa; † *l. ſi rem alienam* 9. §. *omnis*, *ff. de pignerat. act. l. pen. C. eod.* Contraria, quæ datur creditori ad repetendos ſumptus neceſſarios, quos fecit in re pignerata; *l.* † *ſi neceſſarias* 8. *l. ſi ſervos pigneratos*, *ff. de pignerat. act. l. creditor* 7. *in fin. C. eod. l.* 6. *C. de pignor.* pag. 274. lin. 21. & ſeqq.
l. ſed etſi §. pen. ff. eod. *pag.* 418. *lin.* 1.	§. † *antepen.* pag. 275. lin. 32.
d. l. aſſiduis §. exceptis l. vlt. C. de priuileg. dot. Nou. Iuſt. 61. cap. pen. *pag.* 419. *lin.* 10. *&* 11.	*d. l. aſſiduis*, §. 1. *verſ. exceptis*, *l.* † *unic. C. de privil. dot. nov. Juſtin.* † 91. *cap.* 1. pag. 276. lin. 20. & ſeqq.
l. ait Prætor §. in ſententiis ff. de re iudicat. *pag.* 421. *lin.* 17. *&* 18.	§. † *ſi judex*, pag. 277. lin. 9. ab infr.
§. 4. ſupr. de fidejuſſ. *ibid. lin. ult.*	§. † 5. pag. 278. lin. 8.
l. marito ff. ſolut. matrim. l. ſunt qui & ſeq. de re iudicat. *pag.* 424. *lin.* 7. *&* 8.	*l.* † *maritus* 54. *ſolut. matrimon. l. ſunt qui, & ſeq. l. & exheredatum, de re judic.* pag. 279. lin. 26. & ſeq.
l. debitoris ff. qui bon. ced. *pag.* 426. *lin.* 3. *&* 4.	*l.* † *ſi debitoris*, *ff. de ceſſ. bonor.* pag. 280. lin. 6. ab infr.
d. l. ſi paterf. §. vlt. ff. de Sc. Maced. *pag.* 430. *lin.* 12.	*d. l.* † *ſed ſi paterf.* §. *pen.* pag. 283. lin. 20. ab infr.
d. l. ſed ſi paterf. §. vlt. *ibid. lin.* 19.	*d. l. ſed ſi paterf.* §. † *pen.* ibid. lin. 15. & ſeq. ab infr.
l. 1. §. cum ariete ſi quadrupes pauperiem. *pag.* 431. *lin.* 22. *&* 23.	§. † *cum arietes*, pag. 284. lin. 20.
l. actione ff. ad l. Aquil. *pag.* 434. *lin.* 6.	*l.* † *qua actione*, pag. 286. lin. 6.
d. cap. quia nobis ipſo. *pag.* 436. *lin.* 31. *&* 32.	*d. cap. quia* † *in cauſis*, pag. 287. lin. 15. ab infr.
l. nec ſatiſdatio Ratam rem haber. l. 1. C. de ſatiſdand. . . . l. nec ſatiſdatio ff. rat. rem hab. *pag.* 438. *lin.* 8. 9. *&* 35.	*l.* † *ne ſatisdatio*, *ratam rem haber. l.* † *unic. C. de ſatisdand. . . l.* † *ne ſatisdatio*, *ff. rat. rem haber.* pag. 288. lin. 16. ab infr. & pag. 289. lin. 6.

Source : BIU Cujas

Edit. Tolosan.	*Edit. mea.*
l. 3. in fin. ff. ex quib. caus. in poss. eat. *pag.* 439. *lin.* 1. & 2.	*l.* † 5. *in fin. quib. ex caus. in poss. eat.* pag. 289. lin. 10.
l. vn. §. sed & si quæ leges C. de veter. iur. enucleand. *pag.* 440. *lin.* 25.	*l.* † 1. pag. 290. lin. 15.
§. etsi ita supr. de V. O. *pag.* 441. lin. 5.	§. † *at si ita*, ibid. post cap. lin. 4.
l. obligationem §. 1. de obligat. & act. *ibid. lin.* 6.	*l.* † *obligationum* 44. ibid. lin. 5.
M. Tull. Verr. 3. *ibid. lin.* 18. & 19.	M. Tull. Verr. † 1. 42. *ibid. lin. antepen.*
l. si filiusf. §. milites C. eod. *pag.* 447. *lin.* 24.	*l.* † *filiusf.* §. *veterani, vers. milites, ff. eod. tit.* pag. 294. lin. 30.
l. 2. h. tit. *pag.* 449. *lin.* 11.	*l.* 2. §. 3. † *de except.* pag. 295. post cap. lin. 9.
l. si cum §. qui iniuriarum ff. si quis caut. *pag.* 451. *lin.* 18.	*l. si* † *eum*, pag. 296. lin. 6. & seq. ab infr.
apud Seruium in illud 5. Æneid. *pag.* 453. *lin.* 27.	in illud † 3. Æneid. 334. & seq. *pag.* 298. *lin.* 18.
l. 3. C. de probat. *pag.* 454. *lin.* 25.	*l.* † 2. ibid. lin. penult.
l. is qui destinauit C. de rei vindicat. *ibid. lin.* 27. & 28.	l. is qui destinavit, † ff. de rei vindicat. pag. 299. lin. 2.
l. 6. §. vlt. ff. de his qui not. infam. *pag.* 460. *lin.* 25.	§. † *pen.* pag. 302. lin. 8. ab infr.
Cap. pen. §. quod si super vt lit. non contest. *pag.* 461. *lin.* 14.	*cap.* † *ult.* pag. 303. lin. 15.
l. quæro ff. locat. l. in bonæ fidei C. eod. *pag.* 463. *lin.* 1. & 2.	*l. quæro, ff. locat. l. in bonæ fidei, C.* † *de usur.* pag. 304. lin. 18.
l. fundus qui §. vlt. ff. famil. erciscund. *pag.* 466. *lin.* 4.	*l. fundus qui* † *in princ.* pag. 306. lin. 18. & 19.
l. sicut autem §. sed si quæritur si seruit. vindic. *ibid. lin.* 24.	*l.* † *sicuti autem*, §. *sed etsi quidem*, ibid. lin. 14. & seq. ab infr.
l. 1. ff. h. tit. *pag.* 470. *lin.* 9. *ab infr.*	*l.* † 2. pag. 309. lin. 23.
l. lege Cornelia C. ad leg. Cornel. de Fals. *ibid. lin. pen. & ult.*	*l. lege Cornelia* 30. † *ff. ad l. Cornel. de fals.* ibid. lin. 27.
l. 2. C. Th. ad l. Iul. maiest. *pag.* 472. *lin.* 3.	*C. Th.* † *ne præter crim. majest. &c.* pag. 310. lin. 14.
l. vim passam §. 1. C. ad l. Iul. de adulter. *ibid. lin.* 20.	*l. vim passam*, §. 1. † *ff. ad l. Jul. de adult.* ibid. lin. 30.
l. capitali C. eod. *pag.* 473. *lin.* 10.	*l.* † *castitati*, pag. 311. lin. 1.
l. miles §. si socer ad l. Iul. de adulter. *ibid. lin.* 24.	§. † *socer*, ibid. lin. 14.
Rectius Marcianus in d. l. pen. *pag.* 475. *lin.* 1.	Rectius † Modestinus in *d. l. pen.* pag. 312. lin. 9.
M. Tull. Verr. 3. *ibid. lin.* 10.	M. Tull. Verr. † 1. 42. ibid. lin. 16.
Augustin. in Ioann. cap. 50. *pag.* 476. *lin.* 4.	August. in Joann. cap. † 12. tract. 50. *ibid. lin. pen.*
d. l. in Dardanarios, *pag.* 477. *al. ult. lin.* 19.	† *l. in dardanarios, ff. de pœn.* pag. 313. lin. 5. ab infr.

Source : BIU Cujas

Errata propria editionis meæ.

Pag. 26. lin. 28. *Papinianns*, *Papinianus*. p. 27. lin. 10. filius, filius: p. 28. lin. 3. poteſtate, in poteſtate. p. 32. lin. 33. conſirmandus, confirmandus. p. 43. lin. 15. co, eo. p. 48. lin. 35. *boc*, *hoc*. p. 58. lin. 22. *commilitiones*, *commilitones*. p. 59. lin. 37. infra, intra. p. 76. lin. 31. *Eumque*, *Cumque*. p. 103. lin. antepen. tranflata, translata. p. 105. lin. 3. haruſpic. haruſp. reſponſ. p. 126. σραποπέδα, σραποπέδω. p. 147. §. *ut ſingulis*, §. *vel ſingulis*. p. 167. lin. 6. prohoſa, probroſa. p. 233. lin. 2. §. *mortuo*, §. *morte*. p. 243. lin. 3. *l.* 1. *l.* 5. p. 245. lin. 1. ex contractu, ex contractu vel quaſi contractu. p. 265. lin. 27. jnre, jure. p. 275. lin. 5. interdicto, interdicti. p. 286. lin. 6. da, de.

Quæ ſequuntur currente prelo, typographi ignavia, corrupta ſunt; etſi in majori parte plagularum recte ſe habeant.

Pag. 65. *vultumia*, *vultum in*. p. 89. lin. 38. *Aſia*, *Aſiæ*. p. 128. lin. 25. adoptione, adoptionem. p. 205. *de V. O. de V. S.*

Similia, ſi quæ ſunt, ex te corrige. Vale. Dabam Neapoli die V menſis aprilis M DCC LXXVII.

Source : BIU Cujas

ILLUSTRISSIMO VIRO

DOMINO DOM.

JOANNI BAPTISTÆ COLBERTO

REGI CRISTIANISSIMO

ab intimis consiliis fisci præfecto, Regiorum operum archicuratori, Baroni de Seignelay, &c.



UPER dictata in scholis Tolosanis juris civilis rudimenta tibi offero VIR ILLUSTRISSIME. *Non ingratum, ut spero, erit ea accipere, quæ olim pleno pectore hausisti. Delectat juvenilium studiorum, si quando in animum redeat, memoria. Nec aliena a præsenti in quo versaris culmine offero. Accedenti enim ad rempublicam nihil tam proprium quam juris Romani scientia, cujus pulcherrima pars est reipublicæ gubernandæ magisterium. His artibus in consilium Romanorum Principum assumpti quotquot fuere pene veteres jurisconsulti, & his inter amicos assedere. Quamprimum regni clavum solertia prius quam ætate major suscepit maximus Principum, te in curarum consortium elegit, non casu, vel alieno, sed proprio & altius meditato consilio. Quale fuerit judicium Principis probavit rerum a te gestarum eventus. Jam olim privatus ostendebas qualis quantusve futurus esses in republica, & ubi electus es, te judicio Principis dignissimum facile experimentis docuisti. Tibi* VIR ILLUSTRISSIME *credita est difficillima pars publicorum munerum, præfectura ærarii, in hac qua cum laude te geras tota Gallia prædicat. Non ante magis privatus videbaris, quam a quo regias opes fastus & elationis incentiva in manibus habes. Fiscalem gazam attingis, non ut propriam, sed ut alienam, non ut re-*

L. divi fratres, ff. de jure patron.

Source : BIU Cujas

giam, ſed ut ſacram, & manibus auro ipſo purioribus. Tua cura & induſtria reſtitutum ærarium fere exhauſtum, & ſimul plebs levata majus in dies ſolatium ſperat. Nec te in officio continent priorum exempla, ſed propriæ indolis ſemina, & innatæ continentiæ præcepta, fiſcum non privatis, ſed publicis commodis inſervire debere. Tua cura collectas pecunias gaudes impendi a Chriſtianiſſimo Principe, non proprias in delicias, ſed in regni, & Criſtiani orbis tutelam. Hac ope viris & ſtipendiis defenditur Romanum imperium adverſus Turcas. Hac ope maria purgantur Afris prædonibus, & commercii pæne everſi ſpes reſtituitur. Jam inſtructis claſſibus, utriusque orbis fines penetrantur. Naturæ pæne vis infertur, & flumina hactenus intentata, tutiori alveo navigantur. Jam maria vaſtis terrarum ſpatiis, cælo & ſyderibus diviſa, optato coitu LUDOVICUM *unum dominum ambiunt. Nequaquam tacenda fuit hæc laus magni Principis, nihil ſuavius tibi, quam Regis laudum concentum audire. Et ſi quid in hac re tibi tribuendum ſit, non tibi, ſed Principi tanquam vero hujus conſilii numini, acceptum ferri lætaris. Tot rebus terra marique præclare geſtis, pace armis parta, felicique connubio ſancita, non ultimum famæ Principis decus acceſſurum ſpero, & auguror, literarum, ac maxime civilis jurisprudentiæ, inſtaurationem. Inter arma damnum litterarum, & ſcholarum infrequentiam luxere univerſitates Galliæ, Toloſana maxime, quæ juris utriusque ſtudii principatum merito tuetur. Ea totis viribus exurgens, in antiquæ laudis vindicias, publicum pacis beneficium, peculiare & proprium eo nomine facere nititur. Unum eſt quod ipſius vota moratur, nempe illorum, quos adjutores experiri debebat, infenſus & iniquior animus. Tu quæſo* DOMINE ILLUSTRISSIME, *litterarum hoſtes, velut publicos hoſtes coerce. Univerſitatem Toloſanam veſtri ſtudioſam ama & tuere, & me unum e minimis ipſius profeſſoribus, ſtudio & obſequio in te maximum, in numerum clientum accipere dignare. Hæc ſupplex orat, felix ſi audiatur*

Amplitudini veſtræ

Devotiſſimus, & obſequentiſſimus.

ANT. DADINUS ALTESERRA.

Toloſæ 24. ſept. 1664.

Source : BIU Cujas

ELENGHUS LIBRORUM

& capitum hujus operis.

LIBER PRIMUS.

Cap. I.	DE *Juſtitia & Jure.*	Pag. 1.
II.	*De jure naturali gentium, & civili.*	2.
III.	*De jure perſonarum.*	7.
IV.	*De Ingenuis.*	9.
V.	*De libertinis.*	11.
VI.	*Quibus ex cauſis manumittere non licet.*	14.
VII.	*De Lege Fuſia Caninia tollenda.*	16.
VIII.	*De his qui ſunt ſui, vel alieni juris.*	17.
IX.	*De patria poteſtate.*	18.
X.	*De nuptiis.*	20.
XI.	*De adoptionibus.*	24.
XII.	*Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvitur.*	28.
XIII.	*De tutelis.*	31.
XIV.	*Qui tutores teſtamento dari poſſunt.*	32.
XV.	*De legitima agnatorum tutela.*	35.
XVI.	*De capitis deminutione.*	36.
XVII.	*De legitima patronorum tutela.*	38.
XVIII.	*De legitima parentum tutela.*	39.
XIX.	*De fiduciaria tutela.*	ibid.
XX.	*De † Atilian. tutore.*	40.
XXI.	*De auctoritate tutorum.*	43.
XXII.	*Quibus modis tutela finitur.*	46.
XXIII.	*De curatoribus.*	47.
XXIV.	*De ſatisdatione tutorum, & curatorum.*	51.
XXV.	*De excuſationibus.*	53.
XXVI.	*De ſuſpectis tutoribus.*	61.

LIBER II.

Cap. I.	DE *rerum diviſione, & adquirendo rerum dominio.*	Pag. 65.
II.	*De rebus corporalibus & incorporalibus.*	93.
III.	*De ſervitutibus prædiorum.*	94.
IV.	*De uſufructu.*	98.
V.	*De uſu & habitatione.*	101.
VI.	*De uſucapionibus, & longi temporis præſcript.*	103.

Source : BIU Cujas

VII. *De donationibus.* 108.
VIII. *Quibus alienare licet, vel non.* 112.
IX. *Per quas personas cuique adquiritur.* 114.
X. *De testamentis.* 118.
XI. *De militari testamento.* 125.
XII. *Quibus non est permissum facere testamentum.* 129.
XIII. *De exheredatione liberorum.* 132.
XIV. *De heredibus instituendis.* 136.
XV. *De vulgari substitutione.* 142.
XVI. *De pupillari substitutione.* 145.
XVII. *Quibus modis testamenta † infirmentur.* 149.
XVIII. *De inofficioso testamento.* 151.
XIX. *De heredum qualitate & differentia.* 153.
XX. *De legatis.* 156.
XXI. *De ademptione legatorum.* 167.
XXII. *De lege falcidia.* ibid.
XXIII. *De fideicommissaria hereditate, & ad SC. Trebell.* 169.
XXIV. *De singulis rebus per fideicommissum relictis.* 175.
XXV. *De codicillis.* 176.

LIBER III.

Cap. I. *De hereditatibus quæ ab intestat. deferuntur.* Pag. 178.
II. *De legitima agnatorum successione.* 181.
III. *De SC. Tertylliano.* 184.
IV. *De SC. Orphitiano.* 186.
V. *De successione cognatorum.* 188.
VI. *De gradibus cognationum.* 190.
VII. *De successione libertorum.* 191.
VIII. *De assignatione libertorum.* 192.
IX. *De bonorum possessionibus.* ibid.
X. *De adquisitione per adrogationem.* 196.
XI. *De eo cui libertatis causa bona addicuntur.* ibid.
XII. *De successionibus sublatis quæ fiebant per bonorum venditionem.* 197.
XIII. *De obligationibus.* 198.
XIV. *Quibus modis re contrahitur obligatio.* 199.
XV. *De verborum obligationibus.* 203.
XVI. *De duobus reis.* 207.
XVII. *De stipulatione servorum.* 208.
XVIII. *De divisione stipulationum.* 209.
XIX. *De inutilibus stipulationibus.* 211.
XX. *De fidejussoribus.* 219.
XXI. *De litterarum obligationibus.* 222.
XXII. *De obligationibus ex consensu.* 223.
XXIII. *De emptione, & venditione.* ibid.
XXIV. *De locatione & conductione.* 226.
XXV. *De societate.* 230.
XXVI. *De mandato.* 234.
XXVII. *De obligationibus quæ quasi ex contractu nascuntur.* 238.
XXVIII. *Per quas personas nobis obligatio adquiritur.* 240.
XXIX. *Quibus modis obligatio tollitur.* 241.

Source : BIU Cujas

LIBER IV.

Cap. I.	De obligationibus quæ ex delicto nascuntur.	Pag. 245.
II.	De vi bonorum raptorum.	251.
III.	De lege Aquilia.	252.
IV.	De injuriis.	254.
V.	De obligationibus quæ quasi ex delicto nascuntur.	257.
VI.	De actionibus.	259.
VII.	Quod cum eo, qui in alien. potest. est, negotium gestum esse dicitur.	281.
VIII.	De noxalibus actionibus.	284.
IX.	Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.	285.
X.	De iis per quos agere possumus.	286.
XI.	De satisdationibus.	288.
XII.	De perpetuis, & temporalibus actionibus.	290.
XIII.	De exceptionibus.	292.
XIV.	De replicationibus.	295.
XV.	De interdictis.	296.
XVI.	De pœna temere litigantium.	301.
XVII.	De officio judicis.	303.
XVIII.	De publicis judiciis.	308.

INDEX ALPHABETICUS

eorumdem librorum & capitum.

A.

Actionibus. Pag. 259.
Ademptione legatorum. 167.
Adoptionibus. 24.
Adquisitione per adrogationem. 196.
Assignatione libertorum. 192.
Atiliano tutore. 40.
Auctoritate tutorum. 43.

B.

Bonorum possessionibus. 192.

C.

Capitis diminutione. 36.
Codicillis. 176.
Curatoribus. 47.

D.

Divisione stipulationum. 209.
Donationibus. 108.
Duobus reis. 207.

Source : BIU Cujas

E.

Emptione & venditione. 223.
Eo cui libertatis causa bona addicuntur. 196.
Exceptionibus. 292.
Excusationibus. 53.
Exheredatione liberorum. 132.

F.

Fideicommissaria hereditate & ad SC. Trebellianum. 169.
Fidejussoribus. 219.
Fiduciaria tutela. 39.

G.

Gradibus cognationum. 190.

H.

Heredibus instituendis. 136.
Hereditatibus quæ ab intestato deferuntur. 178.
Heredum qualitate & differentia. 153.
His qui sunt sui vel alieni juris. 17.

I.

Iis per quos agere possumus. 286.
Ingenuis. 9.
Injuriis. 254.
Inofficioso testamento. 151.
Interdictis. 296.
Inutilibus stipulationibus. 211.
Jure naturali gentium, & civili. 2.
Jure personarum. 7.
Justitia & jure. 1.

L.

Lege Aquilia. 252.
Lege falcidia. 167.
Lege Fusia Caninia tollenda. 16.
Legatis. 156.
Legitima agnatorum tutela. 35.
Legitima agnatorum successione. 181.
Legitima parentum tutela. 39.
Legitima patronorum tutela. 38.
Libertinis. 11.
Litterarum obligationibus. 222.
Locatione & conductione. 226.

M.

Mandato. 234.
Militari testamento. 125.

N.

Noxalibus actionibus. 284.
Nuptiis. 20.

O.

Obligationibus. 198.
Obligationibus ex consensu. 223.
Obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur. 238.
Obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. 245.
Obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur. 257.
Officio judicis. 303.

Source : BIU Cujas

P.

Patria potestate. 18.
Perpetuis & temporalibus actionibus. 290.
Per quas personas cuique adquiritur. 114.
Per quas personas nobis obligatio adquiritur. 240.
Pœna temere litigantium. 301.
Publicis judiciis. 308.
Pupillari substitutione. 145.

Q.

Qui tutores testamento dari possunt. 32.
Quibus alienare licet, vel non. 112.
Quibus ex causis manumittere non liceat. 14.
Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur. 28.
Quibus modis tutela finitur. 46.
Quibus modis testamenta infirmentur. 149.
Quibus modis re contrahitur obligatio. 199.
Quibus modis obligatio tollitur. 241.
Quibus non est permissum facere testamentum. 129.
Quod cum eo qui in alien. potest. est negotium gestum esse dicitur. 281.

R.

Rebus corporalibus & incorporalibus. 93.
Replicationibus. 295.
Rerum divisione & adquirendo rerum dominio. 65.

S.

Satisdatione tutorum, vel curatorum. 51.
Satisdationibus. 288.
Senatusconsulto Orphitiano. 186.
Senatusconsulto Tertylliano. 184.
Servitutibus prædiorum. 94.
Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. 285.
Singulis rebus per fideicommissum relictis. 175.
Societate. 230.
Stipulatione servorum. 208.
Successione cognatorum. 188.
Successione libertorum. 191.
Successionibus sublatis quæ fiebant per bonorum venditionem. 197.
Suspectis tutoribus. 61.

T.

Testamentis. 118.
Tutelis. 31.

V.

Verborum obligationibus. 203.
Vi bonorum raptorum. 251.
Usu & habitatione. 101.
Usucapionibus & longi temporis præscriptionibus. 103.
Usufructu. 98.
Vulgari substitutione. 142.

Source : BIU Cujas



BREVIS
ET ENUCLEATA
EXPOSITIO
IN INSTITUTIONUM
Juſtiniani Libros quatuor.

IN LIBRUM PRIMUM.

De Juſtitia & Jure.

CAP. I.



USTINIANUS, juris elementa traditurus, initium cœpit a definitione juſtitiæ, quæ deſumpta eſt ex Ulpiano in *l.* 10. *ff. h. tit.* juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Juſtitia definitur conſtans, & perpetua voluntas, id eſt habitus rectæ voluntatis, & affectio animi jus ſuum cuique tribuendi: conſtans, & perpetua, id eſt quæ ſe habet in omnibus, & per omnia: qui enim juſtitiam colit in uno, & in eam peccat in alio, non poteſt videri juſtitiæ cultor; Auguſtin. de vera, & falſa pœnitent. cap. 14. *etiam alio modo offendens in uno, reus eſt omnium, quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio.* Juſtitia, inquam, eſt voluntas; etſi enim juſtitia maxime verſetur in actu, tamen in ea primum ſpectatur voluntas & intentio agentis. Voluntas eſt regina, quæ regit omnes actus; *l. in conditionibus, ff. de condit. & demon-*

Source : BIU Cujas

ſtrat. prius eſt velle quam agere. Juſtitia tamen, quatenus eſt practica & actualis, definitur ab actu, impletio omnium mandatorum Dei; Jo. Chryſoſtom. homil. 24. ad populum Antiochen.**) Δικαιοσύνη λέγεται τῶν ἐντολῶν πασῶν, ἡ πλήρωσις. *Juſtitia dicitur omnium Dei mandatorum adimpletio.* Ait ſuum cuique tribuendi: hinc unum e tribus præceptis juris eſt ſuum cuique tribuere. Juſtitia eſt extra ſe, tota inſudat alienis commodis: qua de cauſa Traſimachus ludens apud Platon. de legib. libr. 1. juſtitiam vocitat, γενναίαν εὐήθειαν, *generoſam ſtultitiam.*

Ad §. I.

JUriſprudentia eſt rerum divinarum, & humanarum notitia, juſti, & injuſti ſcientia. Rerum divinarum, id eſt juris divini, ſeu pontificii; quod pertinet ad ſacra, ſacerdotia, vota, jusjurandum, & ad religioſa, id eſt jura ſepulcrorum, & funera, cujus juris quamplura veſtigia adhuc extant in libris noſtris: ut in *l. 2. de in jus vocand. l. non diſtinguemus*, §. *ſacerdotio*, *de* † *recept. & qui arbitr. recep. l. hereditas* 50. §. 1. *de petit. hered. l. annua*, *de annuis legat. l. 2. de pollicitat. & in titt. de religioſ. & ſumpt. fun. de mortuo inferend. ne quid in loc. ſacr. fiat*, *de ſepulcro violat.* Inde Atteius Capito celebratur *divini humanique juris ſciens*, apud Tacit. 3. annal. Et Cocceius Nerva, *omnis divini humanique juris ſciens*, apud eundem 6. annal. Juſti, & injuſti ſcientia: unde Scævola ait apud M. Tull. 2. de legib. *neminem bonum eſſe, niſi qui jus civile cognoſſet.*

Ad §. *hujus ſtudii.*

DUplex eſt jus ex Ulpiano in *l. 1. ff. h. tit.* quem ſequutus eſt Juſtinianus *hic*, publicum, & privatum, quam diſtinctionem agnovit & Plin. lib. 8. epiſt. 13. ad Ariſtonem: *Cum ſis peritiſſimus & privati juris, & publici, cujus pars ſenatorium eſt.* Jus publicum eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ, id eſt Romanæ civitatis ſpectat. Publica habentur quæ ad populum Romanum ſpectant; *l. eum qui vectigal*, *de V. S. l.* † *mortuo*, *de fidejuſſ.* Privatum jus eſt, quod ad ſingulorum utilitatem pertinet; ut jus teſtamentorum, donationum, contractuum; etſi enim teſtamenta dicantur publici juris, non privati; *l. 3. ff. qui teſtam. fac.* hoc verum eſt quatenus teſtamenti faciendi jus tribuitur a lege, & teſtamentum fieri debet certis ſolemnibus a lege ſtatutis; *l. nemo de legat. 1.* ſed re vera teſtamentum eſt juris privati, quia eſt actus privatus licet ſolemnior; M. Tull. 2. Philippic. *in publicis actis nihil eſt lege gravius, in privatis firmiſſimum eſt teſtamentum.* Tum quia omne commodum teſtamenti ſpectat ad utilitatem privatorum. Publicum jus in ſacris, in ſacerdotibus, & magiſtratibus conſiſtit †; quia reſpublica continetur religione ſacerdotum, & auctoritate magiſtratuum. Hinc magiſtratus, & ſacerdotia eodem jure cenſentur; M. Tull. Verrin. 4. *Magiſtratus, curationes, ſacerdotia.* Jus privatum tripartitum eſt, naturale, gentium, & civile; de quibus ſigillatim prox. tit.

† v. ſi probat. Faciunt *l. 1. §. 2. de juſt. & jur. & l. 15. de V. S.*

† *d. l. 1. §. 2. de juſt. & jur.*

De jure natural. gentium, & civil.

CAP. II.

JUs naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit quod a natura inſitum eſt omnibus animalibus, & nobis commune eſt cum brutis; ut maris & femi-

Source : BIU Cujas

feminæ conjunctio, procreatio liberorum ; & hoc est quod mox repetitur, cetera quoque animalia istius juris peritia censeri ; *l.* 1. §. *jus naturale*, *ff. de just. & jur.* unde desumptum est *init. h. tit.*

Ad §. I.

JUs gentium est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit : ut religionem erga Deum : pietatem erga parentes : tutelam corporis : vis & injuriæ repulsam ; *l.* 1. §. *jus gentium*, *& dd. ll. seqq. ff. de just. & jur.* unde haustus est *hic* §. Augustin. 83. quæst. cap. 31. *Natura jus est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit ; ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observationem, veritatem &c.* Et hoc est jus, quod natura commune dicitur, inter homines sc. Ambros. 1. de offic. 28. *naturæ igitur jus commune generavit.* Et idem in psalm. 61. *Satis munita sunt omnia naturæ suæ tegmine, nos dum superflua quærimus, tegmen naturæ amisimus, jus commune perdidimus.* Lex scripta in cordibus; Hieron. ad Algasiam, in illud Apost. Rom. 2. *Cum enim gentes, quæ legem non habent ; naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui judicant opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium perhibente illis conscientia. Ista lex*, inquit, *quæ in corde scribitur, omnes continet nationes, & nullus hominum est, qui hanc legem nesciat.* Inde jus gentium dictum est jus naturale secundarium, ut distinguatur a jure naturali primævo, quod commune est hominibus cum brutis. Jus gentium igitur est, quod jus naturale commune inter homines & bruta distinxit, & commune id fecit inter homines, ut liberorum procreationem, quam matrimonium appellamus. Ex jure gentium orta sunt bella, secutæ captivitates & servitutes : eodem jure distincta dominia ; *l.* 5. *ff. de justit. & jur.* Et hoc est quod ait Ambros. priori loco a me laudato : *Usurpatio jus fecit privatum.* Jure naturali sc. omnia erant communia inter homines, at jure gentium distincta dominia, ut quisque proprium sibi haberet, quod ante erat commune.

Ad §. sed jus.

JUs civile est jus proprium cujusque civitatis, ut jus civile Romanorum, quod ipsis rerum potitis, & orbe terrarum pene in provinciam redacto, factum est commune cunctis provincialibus ; Jo. Chrysostom. homil. 35. Ad Antiochen.**) ὁ τῶν Ῥωμαίων χώραν οἰκῶν, ὰ τὴν ἡμετεραν μέτεισι πολιτείαν. *Qui habitat in ditione Romanorum, nonne utitur legibus nostris.* Inde jus civile dictum est jus commune ; Prudent. libr. 2. contra Symmach. Plura ego rer. Aquitanic. lib. 3. cap. 5.

Jus fecit commune pares & nomine eodem. Jus civile Romanorum est propago partim juris naturalis, partim juris gentium ; Ambros. in cap. 6. epist. ad Roman. *Sciunt ergo legem Romani, quia non sunt barbari, sed comprehenderunt naturalem justitiam, partim ex se, partim ex Græcis, sicut & Græci ex Hebræis.* Jus civile constat ex legibus, plebiscitis, senatus consultis, placitis Principum, edictis magistratuum, responsis prudentum. Lex est, quæ sancita est a populo, rogante senatorio magistratu, puta consule, vel prætore. Appellatione populi continentur omnes ordines civitatis, etiam senatores, ut docet Gellius ex Atteio Capitone, *libr.* 10. *cap.* 20. quo se referens Lucanus lib. 2. *atque ipse senatus.*

Pars populi plangentis erat. Plebiscitum est, quod sancitum est a plebe, rogante plebejo magistratu, puta tribuno plebis, & ita plebiscito convenit definitio legis, quam Capitoni tribuit Gellius loco modo laudato : *Lex*, inquit, *est, generale jussum populi aut plebis, rogante magistratu*, legis appellatione venit plebiscitum, quia plebiscita vim legis habent, ex lege Hortensia ; *l.* 2. §. 8.

Source : BIU Cujas

de orig. jur. plebs eſt ceteri cives a ſenatu ; *l. plebs eſt, de V. S.*

Ad §. ſenatus conſultum.

SEnatus conſultum eſt decretum ſenatus. Adaucto populo Romano, cum difficile poſſet in unum convenire legis ſanciendæ cauſa, opportunum viſum eſt ſenatum vice populi conſuli. Exinde ſenatus conſulta vicem legis habuere ; *l. 2. §. deinde quia, de origin. jur. l. cum ſenatus, ff. de reb. dub. l. non eſt ambigendum, de bonor. poſſeſſ.* Sed poſtea rerum ſumma tranſlata ad Principem & ſenatui adempta cura reipublicæ, ei derelictum eſt munus vice ſacra judicandi, quaſi ſolatii cauſa, & ſoli Imperatori integrum fuit leges condere, non ſenatui ; *l. ult. C. de legib. nov. Juſtin. 62. Leon. 78.* & quod Ulpian. ait in *l. non ambigitur, ff. de legib.* non ambigitur ſenatum jus facere poſſe, perperam acceptum miror a viris clariſſimis Guillelmo Marano & Joanne Coſta de legis condendæ poteſtate : hac enim ætate ſenatus amiſerat legis condendæ jus ; quod erat proprium Principis, & hujus legis ſenſus non alius eſt, quam ſenatum ſententiam proferre poſſe, quæ retractari nequeat, & a qua non liceat appellare. Stante rep. ſenatus non judicabat de cauſis privatorum ; M. Tull. Verr. 5. *Ad ſenatum deveniant, qui de Verre ſupplicium ſumat, non eſt uſitatum, non eſt ſenatorium.* Tum adulta jam poteſtate Principum, ſenatus, ne ocioſus eſſet, de certis cauſis cognoſcere cœpit, quæ plerumque ad eum callide remittebantur a Principe, ut a Tiberio ad ſenatum remiſſa eſt cauſa Piſonis de nece Germanici ; Tacit. 3. annal. *Igitur paucis familiarium adhibitis, minas accuſantium, & hinc preces audiit, integramque cauſam ad ſenatum remittit.* Poſtea a Nerone ſenatui tributa eſt cognitio de cauſis appellationum ; Tacit. 14. annal. *Auxitque patrum honorem ſtatuendo, ut qui a privatis judicibus ad ſenatum provocaviſſent, ejuſdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii, qui Imperatorem appellavere.* Inde a ſenatu non appellatum ex oratione D. Adrian. ; *l. 1. ff. a quib. appellar. non licet, l. 1. §. de qua, de poſtuland. l. quominus, de fluminib.* & hoc eſt quod voluit Ulpian. in *d. l. non ambigitur*, non dubitari ſenatum jus facere poſſe, jus fecit ſenatus propter auctoritatem rerum judicatarum, quod a ſenatu non appellaretur.

Ad §. ſed & quod.

COnſtitutiones Principum legum habent vigorem, ex quo a populo poteſtas tranſlata eſt in Principem ; *l. 2. §. noviſſime, de orig. jur.* unde deſump. eſt *hic* §. Hoc lege lata factum eſt in gratiam Auguſti ; de quo Ammian. lib. 14. *Urbs venerabilis, poſt ſuperbas efferatarum gentium cervices oppreſſas, lataſque leges fundamenta libertatis, & retinacula ſempiterna, veluti frugi parens, & prudens, & dives, Cæſaribus tanquam liberis ſuis, regenda patrimonii jura permiſit.* Tædio belli civilis Auguſto delatum imperium interpretatur Ambroſ. in pſalm. 45. *Unde factum eſt, ut tædio bellorum civilium Julio Auguſto Romanum deferretur imperium, & ita prœlia inteſtina ſedata ſunt.* Melioribus & felicioribus auſpiciis Reges noſtri poteſtatem uni Deo acceptam referunt : conſtitutiones vero Principum non habent vim legum priuſquam publicatæ fuerint ; *l. humanum, C. de legib.* hac ratione conſtitutionem Theodoſii junioris de præſcriptione triginta annorum, in auditorio præfecti prætorio Galliarum proquiritatam refert Sidon. libr. 8. epiſt. 6. *Per ipſum fere tempus, ut decemviraliter loquar, lex de præſcriptione tricennii fuerat proquiritata : cujus peremptoriis abolita rubricis lis omnis in ſextum tracta quinquennium terminabatur. Hanc intræ Gallias † an neſciam primus, quem loquimur orator, indidit proſecutionibus, edidit tribunalibus, prodidit partibus, addidit titulis, frequente conventu, raro ſedente,*

Source : BIU Cujas

dente, paucis ſententiis, multis laudibus. Conſtitutiones aliæ ſunt generales, aliæ perſonales, ut privilegia Principis ſunt perſonalia, non egrediuntur perſonam ejus, cui conceduntur ; *l. privilegia, de R. J.*

Lex eſt quod Princeps per epiſtolam conſtituit, id eſt per reſcriptum ad preces ſupplicantium, vel cognoſcens decrevit, & hæc ſunt quæ dicuntur decreta Principum; Principes ſc. extra ordinem cognoſcebant de majoribus cauſis, adhibito juriſperitorum conſilio ; *l. ult. de jur. fiſc. l. ult. de condit. & demonſtr.* & hæc ſunt quæ cognitionis eſſe dicebantur ; Tranquill. in Claudio. *Negantemque cognitionis rem, ſed ordinarii juris eſſe agere cauſam, confeſtim apud ſe coegit*. Capitolin. in Antonino Ph. *Capitales cauſas hominum honeſtorum ipſe cognovit*. Et hujusmodi decreta Principum habent vim legum in ſimilibus cauſis. Legem quoque eſſe conſtat, quod Princeps præcepit edicto ; edicta Principum ſunt leges generales, quæ conſtitutiones dicuntur, inter quas pragmaticæ ſanctiones ſunt, quæ non ad ſingulorum preces ſuper privatis negotiis proferuntur, ſed ad preces curiæ, civitatis, provinciæ, univerſitatis, vel collegii ; *l. ult. C. de diverſ. reſcript.* Auguſt. in brevic. collat. *Tunc Donatiſtæ etiam preces, quibus ab eis illa collatio petita eſt, poſtulare cœperunt. Hic cum eis ipſe cognitor reſponderet, in pragmatico reſcripto preces inſeri non ſolere*. Et Aimoin. lib. 3. cap. 17. *Quibus, & Initiacenſe contulit prædium, & ut ipſi, as poſteri eorum illum poſſiderent locum, per ſuum firmavit pragmaticum*.

Ad §. prætorum.

EDicta prætorum non habent vim legum, quia magiſtratus officium eſt jus dicendi, non legem condendi. Prætor non facit heredes, ſed bonorum poſſeſſores ; *l. 6. §. pen. de bonor. poſſeſſ.* ſola lex facit heredes ; *l. † lege obvenire*, 130. *de V. S.* Prætorum tamen edicta, non modicam habent juris auctoritatem, quia prætor præeſt juriſdictioni ; *l. qui jurisdictioni, ff. de jurisdict. l. cum prætor, de judic.* ex quo juriſdictio ſumitur pro officio prætoris ; *l. inter tutores, de adminiſtr. tutor.* cum tutelæ diviſio, non juris, ſed juriſdictionis eſſe dicitur, id eſt tutelæ diviſio non eſt a lege, ſed juriſdictione prætoris, quia tutela a lege eſt individua, ſed inter tutores dividitur officio prætoris. Et ita leges, & juriſdictio comparantur ; M. Tull. pro Flacco : *Leges, mos majorum, judicia, juriſdictio*. Magiſtratus, puta prætores in urbe, præſides vel proconſules in provinciis, initio magiſtratus proponebant edictum, ex quo jus dicerent, poſitum in albo, id eſt in tabula alba ; *l. ſi quis id quod, de juriſdict.* de quo Seneca epiſt. 48. *per iſtud philoſophiæ ſunt nigræ, & turpes infameſque, etiam ad album ſedentibus exceptiones*. Jus prætorium honorarium dictum eſt, quia venit ab honore prætoræ ; prætura, & omnis magiſtratus eſt honor ; *l. 7. & 8. de juſt. & jur.* inde honorati, qui magiſtratibus functi ſunt ; *l. 1. C. de offic. civil. judic.*

Ad §. reſponſa prudentum.

INter partes juris civilis numerantur & reſponſa prudentum; ea ſunt ſententiæ & opiniones juriſconſultorum, qui de jure conſulti reſponderunt. Ante Auguſtum reſponſa prudentum non habuere vim legum, donec eis ab Auguſto jus reſpondendi de jure datum eſt. Ab eo jus reſpondendi de jure datum eſt a Principe. Hoc jure creatio legum doctorum pertinet ad Principem, nec aliter doctor doctorem creat, quam auctoritate regia, ut docet Jo. Faber *hic*. Juriſconſultorum olim tanta fuit auctoritas, ut veteres conventuri debitores, prius per juriſconſultos eos compellarent de ſolvendo ære alieno ; *l. quidam Hiberus, ff. de ſervit. urban.* vix teſtamentum conderetur ſine juriſperito ; *l. Lucius, §. ult.*

Source : BIU Cujas

de legat. 2. nec modo de jure consulerentur, verum etiam de privatis negotiis, ut de filia collocanda, de solvendo ære alieno ; M. Tull. 3. de orator. *Ad quos olim & ita ambulantes , & in solio sedentes domi sic adibatur , non solum ut de jure civili ad eos , verum etiam de filia collocanda , de fundo emendo , de agro colendo , de omni denique aut officio , aut negotio referretur.* Juris periti dictabant libellos qui Principi offerrentur ; Augustinus in psalm. 129. eo se referens : *Ut possis* , inquit , *libera fronte dicere in precibus tuis , quas tibi juris-peritus cœlestis dictavit , dimitte nobis debita nostra :* Idem causidicis dictabant jura litigantium ; Idem de verb. Domini sermon. 63. *nam & causidici habent hodie Paulum dictantem jura litigatorum , non Christianorum .* Denique responsa prudentum tanti erant ponderis apud judices , ut valerent etiam non adhibita ratione ; Senec. epist. 94. *jurisconsultorum valent responsa , etiam si ratio non redditur .* Et ut a responsis prudentum judici recedere non liceret ; *l.* 2. §. † 47. *vers. primus divus Augustus , de origin. jur. l. unic.* C. *Th. de respons. prudent.* unde Caligulam de adimenda jurisconsultis potestate respondendi de jure cogitasse refert Tranquill. in Caligula cap. 34. *De juris quoque consultis , quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus , sæpe jactavit se mehercule effecturum , ne quid respondere possint præter eum .*

Ad §. ex non scripto.

JUs non scriptum est consuetudo usu comprobata , consuetudo pro lege habetur ; *l. de quibus , ff. de legib.* Augustin. 83. quæst. cap. 31. *consuetudine autem jus est , quod aut leviter natura jactatum aluit , & majus fecit usus ut religionem .* Usu comprobata , id est tacito consensu , quo consuetudo fortior est lege , quod Reges sunt supra leges , consuetudinem autem ipsi quoque sequuntur , lexque comparatur tyranno , consuetudo Regi pio & humano ; Dio Chrysost. orat. 76. Consuetudo vim legis habet modo contradicto judicio firmata sit ; *l. cum de consuetudine , ff. de legib.* Eo magis spectari consuetudinem placet , quod pleraque e consuetudine transierunt in jus , ut jus patriæ potestatis moribus receptum est ; *l. patre , ff. de his , qui sui vel alieni juris sunt .* Jus quoque substitutionis pupillaris moribus introductum est ; *l.* 2. *ff. de vulgar. & pupillar.* Et quod juris est , ut prodigo interdicatur bonorum administratio , & curator detur e moribus deductum est ; *l.* 1. *C. de curat. furios.* Et pariter quod juris est , ut uno e reis electo alter non liberetur , ex usu quotidiano manavit ; *l.* † *ult. C. de fidejuss.*

† *pen.* in edit. Gothofr.

Ad §. ult.

JUs naturale est immutabile , quia semper æquum & bonum est ; *l. pen. ff. de just. & jur.* id est nititur æquitate naturali , quæ ævum & vices nescit : civilis ratio naturalia jura corrumpere non potest ; *l. eas obligationes , ff. de capit. minut.* Et hoc sensu Ambros. in cap. 5. epist. ad Roman. *lex naturalis lex semper est .* Jus civile est mutabile , ac sæpius mutatur , aut tacito consensu populi , puta non usu , & inobservantia legum : quot enim sunt leges quæ non sunt in viridi observantia ? *l.* 5. *C. de hæretic.* vel alia lege lata , ut legem Papiam explosam constitutione Severi , & squalentem silvam legum novis constitutionibus velut securi truncatam ait Tertull. *apologetic. cap.* 4.

De

Source : BIU Cujas

De jure personarum.

CAP. III.

Ad princ. h. tit.

OMNE jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel actiones; *l.* 1. *ff. de stat. hom.* Justinianus, juris civilis institutiones traditurus, prius de personis, quam de rebus agere instituit, quia parum prodest jus nosse, si personæ, quarum causa jus constitutum est, ignorentur; *l.* 2. *ff. eod. & §. ult.* supr. *de jur. natur.* quia per cognitionem personarum facilius pervenitur ad cognitionem rerum.

Summa personarum divisio est in liberos & servos, quia omnes homines liberi sunt, aut servi; *l.* 3. *ff. de stat. hom. & init. h. tit.* Ideo primum in *h. tit.* quæritur de jure personarum, id est quis servus sit, an liber, & servi una cum liberis generaliter continentur nomine personarum; nam proprie servi a se personam, id est statum non habent, sed ex persona dominorum; *l. non minus, ff. de hered. instit. l.* 3. *de capit. minut.*

§. I.

NAtura omnes homines liberi sunt. Libertas est naturalis facultas ejus quod cuique facere licet, nisi si quid vi aut jure prohibetur, ex *hoc* §. *& l.* † 4. *ff. de stat. hom.*

§. II.

JUre gentium alii sunt liberi, alii servi. Servitus est constitutio juris gentium, qua quis alieno † dominio contra naturam subjicitur, ex *hoc* §. *& l.* † 4. §. 1. *ff. de stat. hom.* Libertas jure naturali continetur, servitus jure gentium introducta est; *l. si quod dominus, ff. de condict. indeb.*

§. *Servi autem.*

SErvi autem fiunt jure gentium, aut jure civili; jure gentium servi nostri sunt, domi nati ex ancillis nostris, quos veteres vernas appellabant, quasi vere natos, quæ tempestas proli potissimum est idonea, vel ex captivitate, bello scilicet capti ab hostibus, *ex hoc* §. *l.* 5. §. *servi autem, ff. de stat. homin.* Augustin. de verb. Dom. serm. 48. *Ingenuus est aliquis qui captivatur a barbaris, ex ingenuo factus est servus.* Unde servi & mancipia dicuntur, quod manu ab hostibus capiantur.

Jure gentium, inquam, nostri servi fiunt, qui bello capiuntur ab hostibus, bello sc. quod est cum justis hostibus, cum quibus sunt jura captivitatis & postliminii. Captus enim bello civili, proprie captivus non est, nec servus fit capientis, quia bellum civile non est justum bellum, verius factio & tumultus, & qui alterutrarum partium sunt, vice hostium non sunt, inter eos non sunt jura captivitatis & postliminii; *l. si quis*, §. *in civilibus, ff. de captiv. & postlim. revers.* Tacit. 2. hist. *quo plus cædis fuit, neque enim civilibus prœliis capti in prædam vertuntur.* Et idem 3. hist. *Antonius pudore flagitii crebescente invidia, edixit ne quis Cremonenses captivos detineret, irritamque prædam*

Source : BIU Cujas

militibus effecerat consensus Italiæ emptionem talium mancipiorum asperantis. Ideoque bello civili captus, & sub hasta venundatus, postea manumissus, frustra repetit a Principe ingenuitatem, quam nulla captivitate amisit; *d. l. si quis & l.* 4. C. *de ingen. manumiss.* quæ est de captis in tumultu Palmyrenorum commoto ducibus Odenato & Zenobia.

Jure civili servus efficitur si homo liber, major 20. annis, patiatur se venire pretii participandi causa, *ex hoc* §. *&* §. 1. infr. *de cap. demin. l.* 5. §. *servi autem*, *ff. de stat. hom. l. ult. quib. ad libert. proclam. non lic.* ex cujus inscriptione colligitur id juris introductum SC. Claudiano, in hanc sententiam Augustin. de temp. serm. 47. *Hic namque mos solet inter vendentem ementemque servari, ut is qui se alieno cupit dominio mancipare, aliquid pretii pro jactura propriæ libertatis, & addictione perpetuæ servitutis a suo consequatur emptore*, quod iisdem verbis exscripsit Cassian. collat. 23. cap. 12. Et cum major 20. annis venalem se præbuit cum hujusmodi pacto partitionis pretii, nec post manumissionem, id est si forte manumissus sit, ad libertatem proclamare potest; *l. cum pacto*, *ff. de liberal. caus.* sed efficitur libertinus; *l. homo liber*, *ff. de stat. hom.* Qui se ut servos venales dabant, venditorem apponebant, qui erat pretii particeps, ac deinde in libertatem proclamabant, quasi injuria ut servi veniissent. Constitutum est igitur ne id genus homines, etiam post manumissionem ad libertatem proclamare valeant: & ita in *l. si quis*, §. *irritum*, *ff. de injust. rupt.* testamentum a libero homine rite factum, irritum fieri dicitur superveniente servitute, nempe si major 20. annis se venundari passus sit ad actum gerendum, id est ut esset actor locupletis patrisf. cujus rebus inhiabat, & ad pretium participandum.

Dices pacto vel transactione status personarum, status ingenuitatis lædi vel mutari non potest; *l.* 2. *l. ingenui*, C. *de ingen. manumiss.* nec habetur ratio conditionis, per quam jus libertatis infringitur; *l. Titio centum*, §. *Titio centum* 2. *ff. de condit. & demonstrat.*

Ergo non potest quisquam ingenuus natus proprio consensu officere libertati, quæ est juris naturalis, sed istud pœnæ causa constitutum est, ut coerceretur turpe commercium multorum, qui se ut servos venum dabant, appositio venditore pretii participandi causa. Et hoc in majore 20. annis; etenim minor 20. annis nulla ratione potuit mutare statum, ac evertere ingenuitatem; *l. si ex causa*, §. *Papinianus*, *ff. de minorib. l. si ministerium*, C. *de liberal. caus.* immo hujusmodi civilem constituendæ servitutis modum per venditionem & participium pretii abrogavit Leo *nov.* 59.

Sunt & alii casus quibus jure civili servus constituitur: puta si quis ob delictum pœnæ servus fiat, puta damnatus ad metallum, ad bestias, ad ferrum, id est ad ludum gladiatorium, simul enim libertatem & bona amittit, nec habet testamenti factionem activam, aut passivam; *l. si quis*, §. *si quis*, *de adqu. hered. l. si qua pœna*, *de his qui sui vel alien. jur. sunt*, *l. res uxoris*, C. *de donat. inter vir. & uxor.* Hodie tamen servitus pœnæ sublata est; *nov.* 22. *cap.* 8. *auth. sed hodie*, C. *de don. inter vir. & uxor.*

Item libertus ob ingratitudinem revocatur in servitutem; §. 1. infr. *de cap. deminut.*, *l.* 2. C. *de libert. & eor. liber.* quod a Claudio introductum insinuat Tranquill. in ejus vit. cap. 25. *Libertinos ingratos*, *& de quibus patroni quererentur*, *revocavit in servitutem*. Libertus, inquam, ingratus redigitur in pristinam servitutem, vel saltem in potestatem patroni, & in ministerium domini; *l. alimenta*, *ff. de agnosc. liber.* aliud est servire, aliud esse in servitute, nam mercenarii, qui locant operas suas, serviunt, haud tamen servos esse quis dicat; Quintil. *lib.* 5. *cap.* 10. Hoc jure etiam incensus, id est censum lustralem subterfugiens, ex quo tributum indicebatur, in servitutem redigebatur & venibat sub hasta apud Ulpian. *libr. regul. tit. de tutelis*, §. 11. *& l. vix certis*, *ff. de judic.*

Eodem

Source : BIU Cujas

Eodem jure in servitutem mittebatur qui ad delectum non respondebat, id est qui militiam detrectabat, quasi proditor libertatis; *l.* 4. §. *gravius*, *ff. de re militar. l. si is cum quo*, *ff. comm. divid.* utrumque casum eleganter expressit M. Tull. pro Cæcinn. *Jam populus cum eum vendidit, qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed indicat non esse eum liberum, qui ut liber sit adire periculum noluit. Cum autem incensum vendit, hoc indicat cum is qui in servitute justa fuerit censu liberetur, eum qui cum liber esse censeri voluerit, ipsum sibi libertatem abjudicasse.*

Ex SC. Claudiano in servitutem quoque redigebatur mulier libera, quæ se alieno servo junxisset post denunciationem domini; §. *ult. infr. de succes. sublat. l. unic. C. de SC. Claud. toll.* de quo meminit Tacit. 12. annal. *Inter quæ refertur ad patres de pœna feminarum, quæ servis conjungerentur, statuiturque ut ignaro domino ad id prolapsa in servitutem sui consensisset, & qui nati essent pro libertis haberentur.* Ejusdem SC. auctorem Vespasianum memorat Tranquill. in ejus vit. cap. 11. *Auctor*, inquit, *senatui fuit decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur.* Idem SC. celebrat & Tertull. lib. 2. ad uxor. *Nonne insuper censuerunt servituti vindicandas, quæ cum alieno servo, post dominorum denunciationem, in consuetudine perseveraverunt.* Tandem vero hoc SC. sublatum constit. Justiniani, de qua in *d. l. unic.*

Eleganter *l. pen. C. Th. ad SC. Claud.* ancilla facta est non bello, non præmio, sed connubio.

Lege 12. tab. debitores ob æs alienum creditoribus in servitutem addicebantur, & in nervum ac compedem abducebantur; Gell. *lib.* 20. *cap.* 1. sed Servius Tullius ad conciliandam sibi plebem legem tulit, ne fœneratoribus liceret debitores ob æs alienum in nervum cogere, sed eis consuleretur captione pignorum; D. Halicarnass. *lib.* 4. quam legem repetitam pulsis Regibus favore plebis tradit Liv. *lib.* 8. dec. 1. cap. 24. *Jussique consules ferre ad populum, ne quis, nisi noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur, pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset.* Et cum sævitia creditorum veteres leges spernerentur, constit. Diocletiani rursus cautum, ne liberi debitores ob æs ælienum creditoribus servire compellerentur; *l. ob æs alienum, C. de oblig. & act.* ex quo intelligimus contra jus commune invaluisse consentientem Galliæ & omnium aliarum fere gentium consuetudinem, ut liber homo possit se pignori dare, & proprium corpus obligare æris alieni causa, quod olim tantum admissum in causa fisci ex constit. Ludovici IX. de qua Willelmus Nangius *in ejus vit.*

De Ingenuis.

CAP. IV.

Princ. h. tit.

INgenuus est, qui ex duobus ingenuis vel libertinis natus est, vel altero ingenuo, altero libertino, ut ostenditur *init. h. tit. & l.* 5. *ff. de stat. hom.* Hinc in *l. ingenui*, C. *de ingenuis manumiss.* recte dicitur ingenuos nasci, libertinos constitui manumissione, quæ est fictitia regeneratio; *nov. Just.* 78. *cap.* 5.

Pro ingenuis habentur, qui per sententiam ingenui pronunciati sunt, quia res judicata pro veritate habetur; *l. ingenuum*, *ff. de stat. hom. l.* † 3. C. *de ingen. manumiss.* nimirum propter auctoritatem rerum judicatarum.

Ingenuus est, qui ex matre libera natus est, patre servo, ex ipso *init. h. tit. & l.* 5. *ff. de stat. hom.* ingenuus est etiam, qui ex matre libera &

Source : BIU Cujas

incerto patre natus est, quemadmodum qui ex matre libera & incerto patre natus est, id est qui vulgo conceptus est, ex eodem *init. h. tit.* natus ex libera & servo ingenuus est, sed pro spurio habetur ; *l. 3. C. solut. matrim. l. ex libera, C. de suis, & legit.* quia cum servo non est connubium, sed contubernium ; *l. cum ancillis, C. de incest. nupt. l. servi, C. ad l. Jul. de adulter.* natus ex libera, incerto patre, æque liber est, vulgo enim quæsiti matrem sequuntur ; *l. cum legitimæ, l. lex naturæ, ff. de stat. hom. l. 1. §. ult. ff. ad municipal.* Ulpian. *lib. reg. tit. 5. §. ultim.*

Natus ex libera ingenuus est, sufficitque liberam fuisse tempore partus, licet ancilla conceperit : e contrario si libera conceperit & ancilla pariat, placuit eum qui nascitur liberum nasci. Nec refert ex justis nuptiis, an vulgo conceptus sit, quia non debet calamitas matris nocere ei qui in utero est ; *init. h. tit. & l. 5. §. 2. ff. de stat. hom.* Ingenui nascuntur, libertini fiunt manumissione. Libertini, ut pro ingenuis haberentur, & servitutis labem delerent, jus aureorum anulorum, quod erat proprium senatorii & equestris ordinis, vel restitutionem natalium, id est ingenuitatis, a Principe petebant ; *l. 1. & tot. tit. ff. de jur. aureor. anulor. l. 1. & tot. tit. ff. de natalib. restit. l. libertum, §. sed etsi, ff. de excusat. tutor.* Ac primum Principes jus aureorum anulorum libertis suis dare cœperunt ; Dio *lib.* 48. tum & privatorum libertis consensu patronorum. Liberti donati aureis anulis, vel natalibus restituti, non erant ingenui, sed pro ingenuis habebantur, & jus ingenuitatis adipiscebantur salvo jure patronatus. Sed Justinian. *nov.* 78. jus aureorum anulorum, jus ingenuitatis, quod petebatur a Principe, omnibus libertis datum a lege, ut olim jus civitatis, quod a Principe peti solebat, omnibus, qui erant in orbe Romano, id est cunctis provincialibus, promiscuum factum constitutione Antonini ; *l. in orbe Romano, ff. de stat. hom.* quod Adriano tribuit Chrysost. in act. Apost. hom. 48. ἀπὸ γὰρ Ἀδριανοῦ φάσι πάντας Ῥωμαίους † ὀνομασθῆναι· τὸ δὲ παλαιὸν, οὐκ οὕτως ἦν. *Ab Adriano enim ajunt omnes Romanos esse dictos, hoc autem vetus non sic habebat.*

Duplex est servitus, altera juris, secundum quam vere sunt & dicuntur servi, altera facti, secundum quam non dicuntur servi, sed esse in servitute, quia bona fide serviunt. Et falso habentur pro servis, cum re vera liberi sint vel per vim serviant.

Si ingenuus in servitute fuerit, & postea manumissus sit, manumissio natalibus, id est ingenuitati non officit, *ex hoc* §. Ingenuum, qui pro servo se habuit, neque sumptus educationis, neque servitutis obsequium servum facit, neque manumissio libertinum ; *l. 2. C. de ingen. manumiss.* Adeoque si ingenuus serviat per longum tempus, injusta servitus vel ministerium non lædit ingenuitatem ; *l. si ministerium, l. si tibi testamento, C. de liberal. caus.* quia liberos homines neque usucapio, neque possessio longi temporis servos facere potest, non præcedente titulo, ex quo dominium quæri solet ; *l. scientis, C. de ingen. man.* idem dicendum de falsa professione, si ingenuus fateatur se servum ; *l. parentes, C. de liberal. caus.* Et si ingenuus quasi servus pro libertate pacisatur, non obligatur ; *l. post certi, C. eod.* immo & si ingenuus testamento manumissus sit, agnitis natalibus, & comperto errore, potest provocare ad ingenuitatem, etiam post quinquennium ; *l. ult. C. ubi caus. stat.* Ita & falsa professio non obest liberis, puta si mulier irata ob repudium, filium post divortium editum apud acta spurium professa sit, hæc professio non obest liberis, si veritas probetur ; *l. Imperatores, ff. de probat.*

De

De libertinis.

CAP. V.

OLim, proprie liberti dicebantur, qui a domino manumissi erant, qui manumissione desierant esse servi; *l. Manumissiones, ff. de just. & jur.* libertini non ipsi manumissi, sed e manumissis susceptι; Tranquil. in Claud. cap. 24. *Temporibus Appii & deinceps aliquandiu libertinos dictos, non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.* Hesych. ἐξελευθεροὶ οἱ τῶν ἐξελευθερωμένων υἱοὶ. *Libertini manumissorum filii.* Tum libertini cœpere iidem dici liberti & libertini, qui ex justa servitute manumissi essent, ut ostenditur *init. h. tit. & l. libertini, ff. de stat. hom.* Hac analogia libertini dicti quidam inter Judæos a Romanis libertate donati; Chrysost. in act. Apost. hom. 15. λιβερτῖνοι δε, οἱ Ῥωμαίων ἀπελεύθεροι, ὅτω καλοῦνται, *libertini autem, qui a Romanis libertate donati erant, sic appellabantur.* Dico ex justa servitute; ingenuum enim natum, injusta servitus, vel supervacua manumissio, libertinum non facit.

Manumissio autem est de manu missio, id est libertatis datio. Manus enim est symbolum potestatis & imperii; & hoc est quod significat Pompon. in *l. 2. de orig. jur.* cum ait omnia manu a Regibus gubernata. Effectus manumissionis est, quod manumissus e domini potestate eripitur, & sui juris fit, salvo jure patronatus. Inde triplex hominum status, alii liberi, alii servi, & tertium genus libertini, qui desierunt esse servi.

§. multis autem modis.

VArii fuere modi manumissionis; manumissio fiebat vindicta, censu, inter amicos, per epistolam, testamento, aut per aliam quamlibet ultimam voluntatem, aut ex constitutionibus in SS. ecclesiis. Quæ fierent censu, vindicta, aut testamento celebriores, usuque frequentiores; M. Tull. in topicis: *si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber.*

Vindicta fiebat manumissio inter vivos per virgulam, seu festucam capiti manumittendi impositam, quæ dicta est vindicta a P. Vindice servo, qui libertate simul & civitate donatus, ob indicium conjurationis in remp. de quo Boet. in topica Cicer. & Theophil. *hoc loco*, de hoc genere manumiss. Plaut. in milit. glorios.

Quid? ean' ingenua an festuca facta an serva vel libera est? Et Pers. satir. 5.
Vindicta post quam meus a prætore recessi.

Alia erant & solemnia manumissionis per alapam, & vertiginem seu circumductionem; *l. ult. C. de emancip. liber.* de quib. Pers. *ead. satyr.* & ib. Cornut. Senec. 1. *controv.* 6. Quintil. *decl.* 342. Gregor. Nyssen. *orat.* 3. Ambros. *ep.* 7. Liban. *in panegyr. Julian.* & Claudian. *de* IV. *cons. Honor.* Item aliud erat solemne manumissionis per impositionem pilei; de quo in *l. † directis, C. de testam. manumiss.* & apud D. Halicarnass. *lib.* 4. unde & liberti, funus domini pileati præibant; *l. un. §. sed & qui domini, C. de latin. libert. tollend.*

Manumissio etiam fiebat censu, puta servo nomen deferente in censum, id est tabulas censuales, ac si esset civis Romanus de voluntate domini; Ulpian. *lib. reg. tit.* 1. §. 6.

Manumissio fiebat & testamento, vel per aliam quamlibet ultimam volun-

Source : BIU Cujas

tatem, id est fiebat testamento, vel codicillis testamento confirmatis, vel codicillis ab intestato, & quolibet scripto, vel etiam sine scripto; *l.* † *libertates, de manumiss. testam. l. ult. C. de testam. manumiss.* Manumissio vero testamento fiebat, vel directo, puta hoc modo, Stychus liber esto, vel fideicommissario, puta, rogo hæredem meum, ut Stychum manumittat. Directo manumissus orcinus fit libertus, id est defuncti libertus; *l. si necem, ff. de bon. libert. l.* 5. *de manumiss. testam. l.* 3. §. *sed etsi, de legit. tut. l. duo socii, de hered. instit.* is autem, qui per fideicommissum manumittitur, non est orcinus libertus, sed heredis libertus, id est ejus qui rogatus a defuncto eum manumisit; *l. hi quibus, C. de fideicomm. libert.*

Manumissio fiebat inter amicos adhibitis quinque testibus; *l. un.* §. *sed & si quis, C. de latin. libert. toll.* Plin. 7. epist. 16. *Si voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumisisti.* Proximum genus manumissionis, quod addit Theophilus *hoc loco*, cum dominus manumittendi causa servum adhibebat epulis inter amicos, quasi unum ex ipsis.

Manumissio fiebat etiam per epistolam; *l.* † *qui absenti, ff. de adquir. poss.* quinque testibus adhibitis; *d. l. un.* §. 1. *C. de latin. libert. tollend.* & hoc est genus manumissionis, quod in Gallia dicebatur fieri per chartulam; Gregor. Tur. *lib. 9. cap.* 17. *& lib.* 10. *cap. 9.* unde hoc pacto manumissi dicebantur chartularii; *capitul. lib. 6. cap.* 208.

Sacris constitutionibus, id est constitut. Constantini, manumissio fiebat in ecclesia coram Antistite, & plebe; *l.* 1. *C. de his, qui in eccles. manumitt.* cujus constit. meminit Sozomen. *lib.* 1. *cap. 9.* & Nicephor. *lib. 7. cap.* 16. ex constitut. inquam, manumissio fiebat in ecclesia vel æde sacra; *l. si quis servo, C. commun. de manumiss.* Hujus juris usum testatur Augustin. serm. de vit. commun. cleric. *Diaconus Hipponensis homo pauper est, quid alicui conferat non habet, tamen de laboribus suis antequam esset clericus emerat aliquos servulos, hodie illos in conspectu vestro manumissurus est episcopalibus gestis.* Ejusdem generis manumissionis argumentum extat apud Ennodium *opuscul.* 8. de Gerontio Agapiti servo, quem dominus apud Episcopum manumisit.

§. *servi vero a dominis.*

MAnumissio inter vivos est actio legis, id est actus legitimus, qui fit apud prætorem, proconsulem, vel præsidem; *l.* 2. *ff. de offic. procons.* vel apud consilium Principis; *l. ult. C. de vindict. manum.* vel apud magistratus municipales, quibus hujusmodi jus competit; *d. l. ult.* nec enim fit apud quoslibet magistratus municipales, sed apud eos tantum, qui habent legis actionem; Paul.*) lib. 2. sent. tit. 15. id est jurisdictionem lege vel moribus quæsitam; *l. cum prætor, ff. de judic.*

Servi a dominis semper manumittuntur, id est quocumque die & loco, etiam in transitu prætoris, extra tribunal; *l.* † 5. 7. *&* 8. *ff. de manumiss. vindict.* a proconsule etiam extra provinciam, quia manumissio est voluntariæ jurisdictionis; *l.* 2. *ff. de offic. procons.* etiam die dominica manumittere licet; *l.* 2. *C. de feriis*: etiam nundinis, id est die festo; Macrob. 1. Saturnal. 16. *Trebatius in libro primo religionum ait, nundinis magistratum posse manumittere, judiciaque addicere, id est judicem dare.*

§. *libertinorum.*

LIbertini alii sunt melioris, alii sequioris conditionis. Manumissi inter vivos, aut censu, aut testamento, plenam & majorem libertatem consequebantur, & fiebant cives Romani, ut ostenditur *in hoc* §. & apud Ulpian. *lib.*

Source : BIU Cujas

lib. regular. tit. 1. §. 6. de his M. Tull. 4. in Catilin. *Libertini fortuna ſua civitatis jus conſecuti.*

Manumiſſi per epiſtulam, aut inter amicos minorem libertatem aſſequebantur, & fiebant Latini Juniani ex lege Junia Norbana, id eſt eodem jure cenſebantur, quo Latini colonarii, ut eſt apud Ulpian. *lib. regul. tit.* 1. §. 10. & apud M. Tull. pro Balbo, non ſtatim apiſcebantur civitatem Romanam, ſed apiſci poterant beneficio Principis & aliis certis modis; Ulp. *d. loc.* & hoc ſenſu, aliter quam vindicta manumiſſos, velut vinculo ſervitutis attineri ait Tacit. 15. annal. *Quin & manumittendi duas ſpecies inſtitutas, ut relinqueretur pœnitentiæ, aut novo beneficio locus, quos vindicta patronus non liberaverit, velut vinculo ſervitutis attineri.* Latini Juniani ſoluti erant onere ſerviendi, habebant jus commercii, id eſt jus emendi vendendi, & acquirendi, ſed de partis teſtari non licebat. Bona eorum patronus occupabat, non quaſi heres, ſed jure peculii, vivebant ut liberi, moriebantur ut ſervi; §. *ult. infra* † *de ſucceſſ. libertor.* Et hæc varia genera libertinorum recte obſervavit Salvianus lib. 3. ad eccleſ. Catholic. *Meliore enim conditione quidam relinquunt libertos ſuos, quam tu relinquis filios tuos: in uſu ſi quidem quotidiano eſt, ut ſervi, etſi non optimæ, certe non improbæ ſervitutis Romana a dominis libertate donentur, in qua ſc. & proprietatem peculii capiunt, & jus teſtamentarium conſequuntur, ita ut & viventes cui volunt res ſuas tradant, & morientes donatione tranſcribant, nec ſolum hoc, ſed & illa, quæ in ſervitute poſiti conquiſierant, ex dominorum domo tollere non vetantur. More ergo illorum uteris, qui ſervos ſuos non bene de ſe meritos, quia civitate Romana indignos judicant, jugo Latinæ libertatis addicunt, quos ſc. jubent quidem ſub libertorum titulo agere viventes, ſed nolunt quicquam habere morientes, negato enim iis ultimæ voluntatis arbitrio, etiam quæ ſuperſtites habent, morientes donare non poſſunt.*

Infimæ & deterrimæ conditionis ſunt qui dedititiorum numero habentur. Ex lege *Ælia Sentia*, quæ lata eſt temporibus Auguſti, ſervi, qui ſemel notati fuerunt, id eſt pœnæ cauſa vincti a domino, notis aut ſtigmatis inuſti, damnati ad ferrum, vel ad beſtias, manumiſſione non aſſequebantur juſtam libertatem, nec fiebant cives Romani, ſed erant dedititiorum numero; Ulpian. *lib. reg. tit.* 1. §. 11. id eſt eodem jure cenſebantur, quo ſunt ii, qui bello victi a Romanis dedidere ſe in poteſtatem victorum; Tranquill. in Auguſt. cap. 40. *Adjecit ne vinctus umquam tortuſve quis ullo libertatis genere civitatem adipiſceretur.* Et Auguſtin. in epiſt. ad Galat. in fin. *Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum ſervilium, ut ſi quis verbi gratia ſervus in compedibus fuerit propter noxiam, ideſt propter culpam vel hujuſmodi aliquid paſſus fuerit, ſtigmata habere dicatur: & ideo in jure manumiſſionis inferioris eſt ordinis.*

Conſtitut. Juſtiniani ſublata eſt Latinorum, Junianorum, & dedititiorum conditio, & juſta libertas, civitaſque Romana cunctis data, qui eſſent manumiſſi quoquomodo; *l. un. C. de latin. libert. toll.* immo & *nov. Juſtin.* 78. omnes manumiſſi fiunt ingenui, non libertini, ſalvo jure patronatus. Denique ſublata ſunt ſolemnia manumiſſionis; *l. ult. C. de emancip. liber. l.* 1. *C. de his qui in eccleſ. manumitt. nov.* 81. Manumiſſio fit omiſſis ſolemnibus, & ſolemnia licet omiſſa ſint, peracta præſumuntur; *l. manumiſſio, ff.* † *de manumiſſ. vindict.*

Source : BIU Cujas

Quibus ex cauſ. manumitt. non lic.

CAP. VI.

Pr.

ACTIONE Pauliana revocantur geſta & alienata in fraudem creditorum ; *l.* 1. *ff. quæ in fraud. cred.* Actione Faviana & Calviſiana quæ in fraudem patronorum ; *l.* 1. *&* 3. *ff. ſi quid in fraud. patron. l.* 2. *C. eod.* Ex lege *Ælia Sentia*, is qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit, id eſt hac lege libertas data in fraudem creditorum, ab homine qui ſolvendo non eſt, irrita eſt, ut oſtenditur *init. h. tit. l. in fraudem*, *C. de teſtam. manumiſſ. l.* 1. *C. qui manumitt. non poſſ.*

§. in fraudem.

QUemadmodum alienatio facta in fraudem creditorum revocatur actione Pauliana, ſi conſilium & eventus fraudis ſequatur ; *l. ait prætor.* 10. *§. ita demum*, *ff. quæ in fraud. cred.* ita & libertas data in fraudem creditorum lege *Ælia Sentia* non revocatur, niſi conſilium & eventus fraudis concurrat, *ex hoc §. & l. ſi quis cum haberet*, *ff. quæ in fraud. cred. l.* 1. *& ult. C. qui manumitt. non poſſ.* fraus enim non tantum ex eventu, ſed & ex conſilio, id eſt animo æſtimatur ; *l. fraudis*, *de R. J.* Quintil. decl. 13. *Duo eſſe ſola, quæ in omni crimine ſpectanda ſunt, animum, & eventum.* Ante legem *Æliam Sentiam* cuique, ni fallor, licebat manumittere, quia lege 12. tab. cuique liberum erat de bonis diſponere, *uti quiſque legaſſit ſuæ rei, ita jus eſto :* quæ lex non modo ad hereditates, tutelas, aut legata, ſed etiam ad libertates pertinet ; *l. verbis legis*, *de V. S.*

§. licet autem.

EX lege *Ælia Sentia*, ei qui ſolvendo non eſt, non licet in fraudem creditorum manumittere, niſi forte ſervum unum, quem ſibi neceſſarium heredem inſtituat cum libertate, ut is ſatisfaciat creditoribus, aut eo non faciente, bona ſub haſta veneant a creditoribus, ſervi nomine, non defuncti, ne defunctus injuria adficiatur, ut oſtenditur in *hoc* §. ideoque in *l.* 3. *C. Th. de inoff. teſtam.* ſcriptum eſt ſervum neceſſarium heredem inſtitutum, non magis hereditatem, quam infamiam conſequi videri, nempe quia ad hoc inſtitutus, ut bona ipſius potius quam domini nomine veneant. Aliud in filio ſuo herede, filiuſf. heres inſtitutus a patre, qui ſolvendo non eſt, eſt ſuus & neceſſarius heres, ſed habet beneficium abſtinendi, quoniam filii pudori conſulitur, ut patris potius, quam ipſius nomine bona veneant ; §. *ſui autem*, infr. *de hered. qualit. & diff. l. paterf. ff. de reb. auct. jud. poſſ.* Bonorum proſcriptio eſt famoſa, ideo cum heres ſcriptus adibat damnoſam hereditatem, famæ defuncti tuendæ gratia prius paciſci ſolebat cum creditoribus de remittenda parte debiti ; *l. primo gradu*, *ff. quæ in fraud. cred.*

§. idem-

Source : BIU Cujas

§. *idemque juris.*

DOmino, qui ſolvendo non eſt, licet unum e ſervis heredem inſtituere, adjecta libertate, vel ſine libertate, id eſt omiſſa libertatis datione. Quia cui ſervo hereditas relinquitur, tacite libertas relicta intelligitur, ex *hoc* §. *& l. pen. C. de neceſſ. ſerv. hered. inſtituend.* immo ſervus non aliter inſtitui poteſt, quam ut ſimul libertatem cum hereditate aſſequatur; Ulpian. *lib. reg. tit.* 22. §. 7. *l. ſervus, ff. de hered. inſtit.*

§. *eadem lege*, §. *cum ergo.*

EX lege *Ælia Sentia* minor 20. annis non poteſt manumittere, niſi cauſa cognita & probata apud conſilium prætoris, ex *hoc* §. *eadem lege*, *l. qui filium*, §. 1. *ff. ad Trebell.* Nec movet, quod minor 20. annis, modo ſit pubes, poteſt teſtari de univerſis bonis; §. *cum ergo*, quia minoris intereſt ſervos non manumitti, qui rerum notitiam gerunt; *l. lex quæ tutores*, *C. de adm. tut.* unde columellæ apud veteres dicti ſervi majores domus, id eſt columina familiæ, ut docet Donatus *in Phormione* ex Lucilio. Hac ratione motus Juſtinianus mediam ſententiam ſecutus conſtitutione, quæ non extat, cavit ut dominis, qui 18. annum attigere (quæ eſt plena pubertas) ſervos teſtamento manumittere liceat, ex *eod.* §. *cum ergo*: hæc conſtitutio abrogata eſt ab ipſo Juſtiniano *nov.* 119. qua ſtatutum, ut qua ab ætate teſtari, ab eadem manumittere liceat. Alias minor 25. annis non poteſt donare, quia donatio eſt mera alienatio & perditio, donare eſt perdere; *l.*) donari, ff. de donat.* Et res minoris non poſſunt alienari ſine juſta & neceſſaria cauſa, & decreto prætoris, niſi ex cauſa dotis, vel donationis propter nuptias, minor enim non reſtituitur adverſus dotem vel donationem propter nuptias, ſi facta ſit congruo moderamine pro facultatibus bonorum; *l.* 1. *C. ſi adverſ. don. l.*† *un. C. ſi adverſ. dot. l. fin. C. ſi major factus alien. rat. hab. l. ſive generalis, l. Titia, ff. de jur. dot.* & his caſibus ceſſat *l. prædia C. de præd. minor. ſine decret. non alienand.*

§. *ſemel autem.*

EX lege *Ælia Sentia* minor 20. annis non poteſt ſervum manumittere, niſi cauſa cognita & probata apud prætorem. Cauſa vero ſemel probata ſive vera ſive falſa, puta ſi collactaneum aut alumnum ſuum finxerit, libertas ſemel data non revocatur, ex *hoc* §. nam cauſæ probationis, id eſt dum cauſa probatur & expenditur contradicendum fuit, non autem cauſa jam probata retractanda eſt; *l. juſta cauſa*, §. *ſciendum, ff. de manumiſſ. vindict.* inde libertas ſemel data non revocatur; *l.* 1. *C. de vindict. manumiſſ. l. ſi ex cauſa*, §. *ult. ff. de minorib. l. ult. C. ſi adverſ. libert.* Et in dubio libertas teſtamento data non videtur adempta a teſtatore; *l. ſi peculium*, §. *ult. ff. de manumiſſ. teſtam. l. ſi ſervus, ff. de fideicomm. libert.* Ac demum libertas ſemel data non adimitur, niſi ex cauſa ingratitudinis; §. 1. infr. *de cap. dem. l.* 2. *C. de libert. & eor. liber.* quæ omnia introducta ſunt favore libertatis.

Source : BIU Cujas

De Lege Fusia Caninia tollenda.

CAP. VII.

ANte legem *Caniniam* unicuique licuit quot vellet servos manumittere; testamento, vel inter vivos. Erantque multi qui universam familiam manumittebant, vel hoc animo ut annonas menstruas & sportulas, quæ a Principe egenos in cives erogabantur, per eos acciperent & emungerent, vel ut humanitatis laudem ferrent post mortem, & quamplures cum ipsi efferrentur eorum funus pileati prosequerentur, ut observatur ex. D. Halicarnass. *lib.* 4. Et simile notatur consilium a Dione *lib.* 49. in Pompejana divisione frumenti**) πολλὰς πρὸς τὰς ἀπ αὐτὰ ἐλπίδας ἐλευθερωθτιναῖ. Ideo lex *Fusia Caninia*, quæ lata est temporibus Augusti, manumissionibus modum imposuit, ne ultra centum servos manumittere liceret. Legis auctorem non latorem fuisse Augustum insinuat Tranquill. in ejus vita cap. 40. *Civitatem Romanam*, inquit, *parcissime dedit & manumittendi modum terminavit*. Et ut lex *Cincia* donationibus modum imposuit, ita & lex *Caninia* manumissionibus, quod est genus donationis. Hac lege nihil cautum est de manumissionibus inter vivos, sed de testamentariis, quia quo faciliores sunt morientes ad donandum quam qui vivunt, eo magis coercendi fuere ne res suas perderent, nihil heredibus relicturi, præter nudum & inane nomen heredum, qua ratione *Vellejanum* succurrit mulieri pro alio se obliganti, non donanti, quia ut ait *l.* 4. *ff. ad Vellejan.* mulier facilius se obligat quam donat.

Morientes facile donant; Senec. epist. 77. non est inhumanum quemadmodum cœna peracta, reliquiæ circumstantibus dividuntur, sic peracta vita aliquid porrigi his qui totius vitæ ministri fuissent.

Hac lege qui tres servos habuit, non plures quam duos manumittere potuit, qui decem quinque; denique hæc lex vetuit, ne quis, etiam si majorem familiam habeat, ultra centum manumittat; Ulpian. lib. reg. *tit.* 1. §. *pen.* Paul. *lib.* 4. *sent. tit.* 14. §. *ult.* & eo spectat quod scriptum est in *l. si Judæi*, C. *Th. de Judæis*, rescisso testamento Judæi ob præteritionem, vel exhæredationem filii, qui christianam religionem amplexus sit, libertates datas eodem testamento valere si legitimum numerum non excedant. Legis *Caniniæ* terminis in manumittendo se continuisse Tacitum Imp. testis Vopiscus in ejus vit. *Servos manumisit, intra centum tamen, ne legem Caniniam transire videretur*. Eundem manumittendi modum sibi imposuit Geraldus Comes Aureliacensis apud Arvernos; Odo Cluniacens. lib. 3. ejus vit. *Centum ex mancipiis tantum libertate tunc donavit, monebatur autem a quibusdam suis, quatenus de familia, quæ sibimet affatim superabundabat, majorem multitudinem jugo servitutis absolveret, quibus ait, justum, inquit, est, ut lex mundialis in hoc observetur, & ideo numerum in eadem lege præstitutum prætergredi non debere*.

Tandem vero hanc legem sustulit Justinian. favore libertatis, concessitque ut liceat cuique etiam testamento universam familiam manumittere, ut videre est *h. tit. & l. un. C. de leg. Canin. tollend.*

De

De his qui sunt sui, vel alieni juris.

CAP. VIII.

Pr. h. tit.

ALia est personarum divisio in eos qui sui vel alieni juris sunt, ut *hic & l. 1. ff. h. tit.* qui alieno juri subjecti sunt, alii sunt in potestate parentum, alii in potestate dominorum. In potestate dominorum sunt servi: potestatis verbo significatur in liberis patria potestas, in servis potestas dominica; *l. potestatis, ff. de V. S. l. 1.* † *§. eum, de acquir. possess.*

† §. iste desideratur. Faciunt *l. 1. §. 21. de exercitor. & l. 3. §. 3. de don. int. vir. & uxor.*

§. in potestate, §. sed hoc.

JUre gentium dominus habuit jus vitæ & necis in servos, ex *§. in potestate, l. 1. ff. h. tit.* veteres enim pecudum vice servos habebant, ita ut qui servum alienum occidisset, non alia quam legis Aquiliæ actione, quæ est actio civilis, de damno injuria dato teneretur, perinde ac si alienam pecudem occidisset; *l. 2. ff. ad l. Aquil.* Alienum servum necare non erat crimen, sed noxa & damnum, & mors ipsa servorum nihil aliud videbatur quam damnum; Plin. 8. *epist. 15. Nec ignoro alios hujusmodi casus nihil amplius vocare quam damna.* Servos occidere, & in eos sævire impune erat, sed ex constitutione Antonini jus vitæ & necis in servos dominis ademptum, nec deinceps licuit sævire in servos supra modum, & non cognita causa, quod si dominus supra modum sæviret in servos ex eadem constitutione cogebatur eos vendere bonis conditionibus; §. † 2. *sed hoc, l. 1. & 2. ff. h. tit.* nec Antoninus hujus juris auctor fuit, sed Adrianus ejus decessor; Spartian. in ejus vita. *Servos a dominis occidi vetuit, eosque jussit damnari per judices si digni essent.* Ac demum constit. Constantini cautum, ut qui suum servum sine justa causa necasset, homicidii reus esset; *l.* † *un. C. de emend. serv.* Ex constit. Antonini, si dominus supra modum sæviat in servos, eos bonis conditionibus vendere cogitur, id est æquo & justo pretio; *l. si quis sepulcrum, ff. de religios. & sumpt. funer. l. 1. §. cura carnis, de offic. præs. urb.* vel ita ne servus in provinciam exportandus, vel ancilla prostituenda veneat. Nemo rem suam vendere cogitur; *l. invitum, C. de contrah. empt. l. nec emere, C. de jure delib.* nisi ex justis causis, ut *hic* dominus servum ob sævitiam, quia reip. expedit ne quis re sua male utatur, vel ob causam piam, puta itineris ad sepulcrum præstandi causa ei qui sepulcrum habet, viam autem ad sepulcrum non habet; *l. si quis sepulcrum, ff. de religios. & sumpt. funer.* vel ædis sacræ, aut publicæ inædificandæ causa, quo jure utimur. Ex rescripto quoque Trajani si pater filium contra pietatem male afficiat, cogitur emancipare; *l. ult. ff. si a parente quis manumiss. sit.* Et si magister sæviat in discipulum, quem docendum conduxit, tenetur lege Aquilia vel locati, quia magistris levior tantum castigatio permissa est, & præceptoris sævitia culpæ adnumeratur; *l. 5. §. ult. cum l. seq. ff. ad l. Aquil. l. item quæritur, §. item Julianus, ff. locat.* si maritus pariter in uxorem sæviat, interim pendente lite commendanda est apud probam & honestam matronam, ne ullam vim ferat a marito; *can. Lotharius, 31. qu. 2. cap. ex transmissa, de restit. spoliat.* & si dominus sæviat in colonos, vel novos census eis imponat, jure emphyteutico cadit; *l. cum satis, §. caveant, C. de agricol. & censit. l. 1. & 2. C. in quib. caus. coloni dominos accus. poss.*

Source : BIU Cujas

Quicquid servus adquirit, sive ex stipulatu sive ex alia causa, adquirit domino; §. *in potestate*, *l. adquiruntur*, §. 1. *ff. de adq. rer. dom.* quia servus, qui est in potestate domini, nihil suum habere potest; *d. l. adquiruntur*: immo quicquid servus adquirit, id domino etiam invito & ignoranti adquirit pene ex omnibus causis; *l. etiam inviris*, *ff. eod. l. servus vetante*, *ff. de V.O.* ait pene, quia invito domino non adquiritur per servum ex causa hereditatis, qua de causa servus alienus heres institutus non potest adire hereditatem injussu domini, ne dominus ignorans & invitus obligetur forte damnosæ hereditati; *l. 6. ff. de adquir. hered.*

De patr. potestat.

CAP. IX.

Init.

IN potestate patris sunt liberi ex justis nuptiis procreati, ut exponitur *init. h. tit. & l. 3. ff. de his qui sunt sui, vel alien. jur.* Dico in potestate, cum enim liberi sint, non sunt in dominio patris, sed quasi dominio & possessione: liberi possessio patris; Aristotel lib. 5. eth. cap. 10. τὸ δὲ κτῆμα καὶ τὸ τέκνον. *Possessio & liberi*. Et Augustin. lib. 15. de civit. cap. 17. *Cain autem interpretatur possessio, unde dictum est, quando natus est, acquisivi hominem per Deum*. Et ideo si filius suus negetur, vel abducatur, non agitur actione in rem, sed præjudiciis, id est actionibus præjudicialibus, puta de liberis agnoscendis, vel interdicto de liberis ducendis, & exhibendis, quæ quasi proprietatis causam continent, vel extra ordinem officio prætoris; *l. 1. §. per hanc, ff. de rei vindicat. l. 2. §. quædam, de interdict. l. 1. de liber. exhib. item ducend.* Ait ex justis nuptiis, pater enim naturalis non habet filios in potestate; *l. cum quis*, C. *de naturalib. liber.*

§. nuptiæ.

NUptiæ sunt viri, & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens, ex *hoc* §. congruenter *l. 1. ff. de rit. nupt.* Nuptiæ sunt, inquit, consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio. Nuptiæ dicuntur individuæ, quia inter conjuges nihil debet esse dividuum, ut se habebat melioribus sæculis; Columell. lib. 12. cap. 1. *Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil quod maritus aut femina proprium esse juris sui diceret, sed in commune conspirabatur ab utroque*. Tum quia nuptiæ eo animo contrahuntur, ut individuæ permaneant, licet divortium sæpius sequatur; & causa dotis dicitur perpetua, quia eo voto datur, ut semper apud maritum sit; *l. 1. ff. de jur. dot.* Ait divini & humani juris communicatio, quia mulier est particeps sacrorum, quam ob causam uxor dicitur socia rei humanæ atque divinæ domus; *l. 4. C. de crimin. expilat. hered.*, & mulier sequitur domicilium simul & forum mariti; *l. cum quædam, ff. de jurisd. l. mulieres, C. de dignit.* & feminæ gaudent dignitate maritorum; *l. feminæ, ff. de senat. l. ult. C. de incol. l. mulieres, C. Th. de jurisd.*

§. *jus*

Source : BIU Cujas

§. *jus autem*.

JUs patriæ potestatis est proprium civium Romanorum, ex *hoc*, §. *& l.* 3. *ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Proprium Romanorum, inquam, non quod aliæ gentes careant potestate in liberos, sed quod non habeant talem, qualem cives Romani; Philo Judæus de legat. ad Caium **) ἡ γὰρ οἵᾳ παντελὴς ἐξουσία, κατὰ τὺς τῶν Ρωμαίων νόμυς ἀνάκειται πατρὶ. *Romano jure omnimoda potestas in filium est apud patrem.* Et hoc potestatis fuit etiam in patre adoptivo; M. Tull. pro domo de Clodio a Fonteio adoptato: *Credo quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum auctor ne esses, ut in te P. Fonteius vitæ necisque potestatem haberet ut in filio.*

Præcipua patriæ potestatis hæc sunt. I. quod pater habuit jus vitæ, & necis in liberos; *l. in suis, ff. de liber. & posth.* tanti tamen libertas fuit, ut patribus numquam licuerit filiis tollere libertatem; *l. ult. C. de patr. potest.* nec obstat quod patri filios sanguinolentos, id est recens natos, quos propter inopiam alere non posset, vendere licebat; *l. ult. C. de patr. qui fil. distr.* quia hujusmodi venditio nihil officiebat ingenuitati, nec permittebatur in gratiam patris, sed liberorum, ne alimentis deficerent. Jus vitæ necisque in liberos diu mansit apud Romanos, sed tandem desuetudine sublatum, quia patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere; *l. Divus, ff. ad leg. Pomp. de parricid.*

II. Est quod quicquid filius adquirit, id patri adquirit, excepto peculio castrensi vel quasi castrensi; §. *igitur*, infr. *per quas person. cuiq. adqu. l.* 1. *ff. si a parente quis manumiss. sit.* quidquid filius, inquam, adquirit, patri adquirit etiam invito & ignoranti vel furioso; *l. patre furioso*, in fin. *ff. de his qui sui vel alien. jur.*

III. Est quod jure patriæ potestatis licet patri filium testamento exheredare, si adsit justa causa; *d. l. in suis*: ut & pater filio impuberi testamentum facere potest, id est substituere pupillariter, quod moribus introductum esse dicitur *l.* 2. *ff. de vulgar. & pupillar.* non abs jure, quia substitutio pupillaris fit jure patriæ potestatis, quod & moribus receptum est; *d. l. patre furioso.* Eodem jure & pater filio impuberi tutorem testamento dat, nam lex 12. tab. *Uti legassit suæ rei ita jus esto*, non modo pertinet ad hereditatem, sed etiam ad tutelas; *l. verbis legis, ff. de V. S.*

IV. Est quod filiusf. ex voto sine patris auctoritate non obligatur; *l.* 2. *ff. de pollicit.* Serv. in illum locum ij. Æneid.

ipse pater famulam voveo.

Bene ipse pater inquit, quia auctoramenti potestatem nisi patres non habent.

§. *qui igitur*.

LIberi ex justa uxore nati sunt in potestate patris, nepotes ex filio in potestate avi, ut *hic & l.* 4. *&* 5. *ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* quia per patrem conjuncti sunt avo; *l. dotem, ff. de collat.* nepotes ex filia non sunt in potestate avi materni, quia liberi patrem sequuntur; *l. familiæ, ff. de V. S.* nepoti ex filia avus maternus pro extraneo habetur, quia extraneum intelligimus omnem citra parentem virilis sexus, qui personam de qua agitur in potestate non habet; *l. ult.* §. *simili quoque, C. de jur. dot. l. un.* §. † *accedit, C. de rei uxor. act.*

Source : BIU Cujas

De nuptiis.

CAP. X.

Pr.

UT juſtæ ſint nuptiæ tria requiruntur. I. ut qui nuptias contrahunt ſint cives Romani; connubium enim eſt ſolos inter cives Romanos; inter ſervos non eſt connubium, ſed contubernium; *l. cum ancillis*, C. *de inceſt. nupt. l. ſervi*, C. *ad l. Jul. de adulter.* Plaut. in Caſina:

Quæſo hercle quid iſtuc eſt? ſerviles nuptiæ?
Servine uxorem ducent, aut poſcent ſibi?
Novum attulerunt, quod ſit nuſquam gentium.

Itidem non eſt connubium inter cives Romanos, & peregrinos, quod peregrini non habeant jus connubii; Ulp. *lib. reg. tit.* 5. §. 4. Senec. 4. de benef. 33. *promiſi tibi filiam in matrimonium, poſtea peregrinus apparuiſti, non eſt mihi cum extraneo connubium, eadem lex me defendit, quæ vetat.* II. ut contrahentes ſint puberes, id eſt maſculi majores 14. annis, feminæ viripotentes ſeu majores 12. annis; *l.* 4. *ff. de rit. nupt. nov. Juſt.* 100. *cap.*2. III. In nuptiis filii vel filiæf. requiritur conſenſus patris, cujus in poteſtate eſt; *l. nuptiæ, ff. de rit. nupt. l. ſi ut proponis* 5. *l. nec filium*, C. *de nupt.* de quo noti ſunt loci Apul. *lib.* 6. & Tertull. 2. *ad uxor.* & conſenſus patris nuptias præcedere debet, ut ait Juſtin. *init. h. tit.* ut nuptiæ ſtatim ab initio valeant; nuptiæ tamen, quæ nullæ erant ab initio, ob defectum conſenſus patris, ex poſt facto convaleſcunt, ſi poſt nuptias conſenſus patris ſequatur; *l. ſi uxor*, §. *ſi quis uxorem*, † *ff. ad l. Jul. de adulter.* quod probat & Baſil. *epiſt. ad Amphiloch. c.* 4. & 24. Porro in nuptiis filii non requiritur expreſſus conſenſus patris, ſed ſufficit tacitus conſenſus, ſatis eſt ſi nuptiis cognitis pater non contradicat; *l. ſi ut proponis*, *l.* † *ſi furioſi*, C. *de nupt. l. in ſponſalibus*, §. 1. *ff. de ſponſalib.* pater enim nuptiis conſentire intelligitur, niſi evidenter diſſentiat; *d. l. in ſponſalibus.*

Filius emancipatus, abſque conſenſu patris non vetatur uxorem ducere; *l. filius*, *ff. de rit. nupt.* etiam ſi ſit minor 25. annis; *l. in copulandis*, C. *de nupt.* ſecus in puella emancipata ſi ſit minor 25. annis, immo patre mortuo deſideratur conſenſus tutoris, ſi ſit in poteſtate tutoris, vel matris & propinquorum. Hiſque diſſentientibus in eligendo, interponitur arbitrium judicis; *l.* 1. *l. viduæ*, *l. in conjunctione*, C. *de nupt.* Liv. lib. 4. *Cum res peragi intra parietes nequiſſet, poſtulatu audito matris tutorumque, magiſtratus ſecundum parentis arbitrium dant jus nuptiarum, ſed vis potentior fuit*: cujus rei ſimile argumentum apud Sidon. *lib.* 2. *epiſt.* 5. Quod ſi puella ſit major 25. annis, impune nubit abſque conſenſu patris; *nov.* † 115. *cap.* 3. *auth. ſed ſi poſt*, C. *de inoff. teſtam.* & pater compellitur officio judicis eam dotare; *l. qui liberos*, alias l. 19. *ff. de rit. nupt.*

Si pater furioſus ſit, quæritur an filius vel filia poſſint per ſe nuptias contrahere. Hac de re diſputatum inter juris auctores: quibuſdam videbatur non poſſe, quod pater furioſus non poſſit conſentire, & expectandus ſit ejus conſenſus in nuptiis liberorum, quod patre furioſo liberi non deſinant eſſe in poteſtate patris; *l. patre furioſo*, *ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. l. cum heres*, *ff. de adquir. hered.* de filia furioſi omnes fere conſentiebant, quia ſatis eſſe putabant, quod nuptiis filiæ pater non contradiceret, & pater, etſi furioſus, intelli-

Source : BIU Cujas

intelligeretur consentire nuptiis filiæ, conjectura paternæ pietatis, quasi reliquiis voluntatis in furioso manentibus ; *d. l. patre furioso*, maxime in his quæ pertinent ad commodum liberorum. Et quamvis pater furiosus nuptiis filiæ consentire non posset, publica nuptiarum utilitas exigebat ne furor patris nuptias filiæ moraretur, ut in filia captivi ; *l. in bello*, §. *medio tempore*, *ff. de captiv. & postlim. rev.* In filiof. dubitabatur : quidam existimabant filium furiosi non posse uxorem ducere, donec pater furiosus esset, quia in nuptiis filii expressus consensus patris desideratur, & patris maxime interest ne filius eo invito uxorem ducat, ne invito suus hæres agnascatur ; §. *si ab hostibus*, infr. *quib. mod. jus patr. potest.* longe alia est ratio filiæ, quæ in alienam familiam transit per nuptias, & marito, non patri liberos parit ; *l. pen. ff. de liber. agnosc.* alia filiif. qui remanet in potestate patris, & per quem invito suus heres agnasceretur. Constitutione D. Marci cautum erat, ut liberi dementis, seu mente capti, per se possent nuptias contrahere, sive masculi, sive feminæ, sed an idem juris statuendum esset in liberis furiosi dubitabatur. Alii sunt furiosi a mente captis, mente capti sunt, qui mente prorsus destituti, furiosi vero quædam habent intervalla furoris, & adumbratam quietem ; *l. quod meo nomine*, §. *si furioso*, *ff. de adqu. poss.* Justinianus, ut suppleret constit. D. Marci, sanxit ut liberi tam mente capti, quam furiosi possent nuptias contrahere, adhibita auctoritate curatoris, & propinquorum, nec non magistratus, vel Episcopi ; *l. si furiosi*, C. *de nupt. l. tam dementis*, C. *de episc. aud.*

§. *ergo non omnes.*

NUptiæ prohibentur in infinitum inter ascendentes, & descendentes, inter parentes & liberos, puta inter patrem & filiam, inter avum & neptem, ut *hic*, & *l. nuptiæ* 53. *ff. de rit. nupt.* etiam si per adoptionem conjuncti sint, & per emancipationem adoptio dissoluta sit, ut *hic*, & *l. quinetiam*, *ff. eod.* quod institutum ob reverentiam paterni nominis, & hujusmodi nuptiæ inter parentes & liberos naturales vel adoptivos, sunt nefariæ & incestæ, ex *hoc ipso* §. *& l. ult. ff. eod.*

§. *inter eas.*

INter fratrem, & sororem nuptiæ prohibentur, nisi per adoptionem conjuncti sint, & adoptio per alterutrius emancipationem dissoluta sit, ex *hoc* §. *& l. non solum*, §. † *sed videamus*, *ff. de rit. nupt.* quia adoptio tribuit tantum jus agnationis, quod est juris civilis, & emancipatione dissolvitur ; *l. per adoptionem*, *ff. eod.*

§. *fratris vero.*

FRatris, vel sororis filiam vel neptem uxorem ducere non licet, ex *hoc* §. quia sunt loco parentis ; *l. sororis*, *ff. de rit. nupt.* nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ numero parentum, & liberorum sunt ; *l. nuptiæ* 53. *ff. eod.* patruus fratris, vel avunculus sororis filiam ducere vetatur ; *l. ult. C. de incest. nupt. l. nemini*, C. *de nupt. l. ult. ff. de condict. sine causa* : fratris vel sororis filiam uxorem ducere nihil vetat si sit adoptiva, quia filia sororis nostræ adoptivæ nullo jure nobis conjuncta est, neque jure naturali, quia est ex sorore adoptiva, neque jure civili, quia cognatione juncta nobis non est: cognatio enim per adoptionem non contrahitur ; *l. si qua mihi*, §. *adoptivæ*, *ff. de rit. nupt. l. qui in adoptionem*, *de adopt.* quia cognatio est juris naturalis.

Source : BIU Cujas

§. *duorum*.

CONstit Arcadii & Honorii, nuptiæ permittuntur inter patrueles & consobrinos, ex *hoc* §. *& l. celebrandis*, C. *de nupt.* Diu Romæ abstentum nuptiis inter consobrinos, solo pudore, non lege ulla prohibente; sed jam temporibus Claudii frequentiores fuisse tradit Tacit. 12. annal. *At enim nova nobis in fratrum filias conjugia, sed aliis gentibus solemnia nec lege ulla prohibita, & sobrinarum diu ignorata tempore addito percrebuisse*. Unde usu increbuerunt nuptiæ inter patrueles & consobrinos; *l. 3. ff. de rit. nupt. l. uter, cum seq. de condit. inst. l. 2. C. de instit. & substit.* ubi probatur conditio institutionis, si consobrinæ nupserit, quia non videtur mater sub specie turpium nuptiarum, viduitatem filiæ indixisse, cum eam probabili consilio consobrino matrimonio jungere voluerit. Sed ut pleraque jura pro temporibus variasse constat, Theodosius hujusmodi nuptias inter consobrinos vetuit, nisi contraherentur ex rescripto Principis; *l. un. C. Th. si nupt. ex rescript. pet.* Hanc constit. laudat Ambros. epist. 66. ad Paternum: *Nam Theodosius Imperator etiam patrueles fratres & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora*. Constit. Theodos. vetabantur nuptiæ inter consobrinos, nisi ex rescripto Principis. Hac ætate jus proprium erat Principum dispensandi circa nuptias vetitas; *d. l. un. l. † si senatori, l. qui in provincia, ff. de rit. nupt.* sed hodie solus summus Pontifex id jus sibi ascivit; cap. *litteras de restit. spoliat. cap. quod dilectio, de consang. & affinit.* Tandem vero nuptiæ permissæ inter patrueles & consobrinos ex prælibata constit. Arcad. & Honorii, tamen adhuc sua ætate infrequentiores fuisse ob reverentiam & pudorem sanguinis tradit Augustin. libr. 13. de civit. Dei, cap. 16. *Experti autem sumus*, inquit, *in connubiis consobrinorum etiam nostris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana*. Jure pontificio nuptiæ inter consobrinos prohibentur damnata lege Romana; *can. quædam*, 35. *qu.* 2. Consobrini proprie dicuntur filii duarum sororum, patrueles filii duorum fratrum, amitini filii fratris, & sororis, sed hodie omnes consobrinorum appellatione continentur; §. 4. *infr. de gradib. cognat.*

§. *affinitatis*.

AFfinitatis veneratione vitrico privignam, socero nurum uxorem ducere non licet, quia utraque filiæ loco est, ex *hoc* §. *& l. si qua mihi, ff. de rit. nupt.* Quamvis affinitas morte viri vel uxoris soluta sit; M. Tull. pro Sextio: *Ademit Albino soceri nomen mors filiæ, charitatem illius necessitudinis & benevolentiam non ademit*. Philo Jud. de legat. ad Caium: δεσμὸς γὰρ οἰκῶν ὀθνείων αἱ ἐπιγαμίαι τὴν ἀλλοτριότητα εἰς οἰκειότητα συνάγων ὑ λυθέντος λέλυται, καὶ τὰ τῆς κοινωνίας. *Vinculum familiarum externarum connubii, quo soluto solvitur & affinitas*.

§. *affinitatis*, §. *socrum*.

JUre civili duas uxores eodem tempore habere non licet, *ex utroque* §. Augustin. de bon. conjug. cap. 28. *Propterea sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad unum maritum & unam uxorem redactum est, ut dispensatorem ecclesiæ non liceat ordinare nisi unius uxoris virum*. Et idem libr. de nupt. cap. 9. *Veruntamen magis pertinere ad nuptiarum bonum, non unum & multas, sed unum*

Source : BIU Cujas

unum & unam, satis indicat ipsa prima divinitus facta conjugii copula, ut inde connubia sumerent initium, ubi honestius attenderetur exemplum. Notatur Valentinianus, quod superstite Severa uxore Justinam superduxit, & quo invidiam criminis aboleret legem tulit, ut cuique liceret duas uxores ducere; Socrat. *lib. 4. cap. 26.* & si quis alteram uxorem duxerit, infamia notatur; *l. 1. l. quod ergo*, §. 1. *ff. de his qui not. infam.* & extra ordinem coercetur; *l. 2. C. de incest. nupt. l. eum qui duas*, C. *ad l. Jul. de adulter. l. ea quæ*, C. *de donat. ante nupt.* immo capitale crimen est, quia adulterium inest; *l. uxor quæ*, C. *de repud.* olim mulier absente marito militiæ causa post longum tempus potuit nubere, contestatione prius publice deposita; *d. l. uxor quæ*, *l. miles*, §. *mulier*, *ff. ad l. Jul. de adulter.* sed hodie quantocumque tempore maritus abfuerit, mulier non potest secundo nubere, donec certa sit de morte viri; *auth. hodie*, C. *de repud.*

§. *si adversus.*

VAriæ sunt pœnæ injustarum nuptiarum. I. est quod nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur; ubi non sunt justæ nuptiæ, nulla est dos; *l. incestæ*, *l. a Divo Pio*, *ff. de ritu nupt. l. 3. ff. de jur. dot. l.* † *un. ff. unde vir. & uxor. l. ult.* C. *de donat. ante nupt.* nulla est dos, inquam, sed quasi dos; *l. nec ullam*, §. 1. *ff. de petit. hered.* ubi pro possessore possidere dicitur, qui a puella minore 12. annis sibi nupta sciens quasi dotem accepit, dosque data propter illicitas nuptias fit caduca, id est fisco addicitur, ex *const.* Severi; *l. dote*, *ff. de rit. nupt. l. 2.* §. 1. *de his quæ ut indign. l.* † *manifestam*, C. *de nupt. l. qui contra*, C. *de incest. nupt.* quod si injustæ nuptiæ bona fide contractæ sint, quod dotis nomine datum est repetitur, non actione de dote, quæ nulla est, sed condictione ob causam dotis causa non secuta; *l. 1. C. de condict. ob caus. dat. l. eum qui duas*, C. *ad l. Jul. de adulter.* Ex injustis tamen nuptiis non est omnino locus actioni donationis propter nuptias, etiam si nuptiæ bona fide contractæ sint, puta si mulier decepta nupserit viro cum alia conjuncto, ficto cælibatu; *d. l. eum qui duas*, *d. l. qui contra*, *l. ea quæ tibi*, C. *de don. ante nupt.* II. est quod nati ex hoc coitu non sunt in potestate patris, ex *hoc* §. *l.* † 3. *ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* immo ne liberi quidem censentur; *l. qui contra*, *l. si quis incesti*, C. *de incest. nupt.* sed spurii sunt, & vulgo conceptis comparantur, adeo ut nec patrem habere intelligantur, ex *hoc ipso* §. Si tamen incestæ nuptiæ bona fide contractæ sint, puta si mulier ignara juris adhuc minor 12. annis, collocata sit avunculo, & diu in eo matrimonio steterit, & plures liberos ex ea conjunctione susceperit, ex constitutione D. Marci & Veri status liberorum confirmatur, perinde ac si legitime concepti essent; *l. qui in provincia*, *ff. de rit. nupt.* quam laudat Jo: Sarisbur. *epist. 89.* Et jure pontif. nati ex incestis nuptiis palam & publice contractis insciente viro, vel uxore, legitimi sunt ob bonam fidem alterius conjugum; cap. *cum inhibitio*, *de clandest. desponsat. cap. ex tenore*, *qui fil. sint legitim.*

† *manifestum*, lex, quæ in vulgata non extat.

§. † *si quis incesti.*

† §. iste desideratur in libro meo

III. PŒna incestarum nuptiarum est, quod ex incestis nuptiis susceptis omnino non succedunt patri, nec ex testamento, neque ab intestato, nec ab eo sunt alendi; *l. si quis incesti*, *& auth. ex complexu*, C. *de incest. nupt.* quod Justin. repetiit in *hoc* §. ex æquitate tamen canonica etiam adulterinis debentur alimenta; *cap. cum haberet*, *de eo qui duxit in matrimon.* quo jure utimur. Alia est pœna incestarum nuptiarum, nempe bonorum confiscatio, nisi

Source : BIU Cujas

extent filii legitimi ex prioribus nuptiis, quibus bona conceduntur, ita ut parentes suos alant, amissio patriæ potestatis in liberos legitime antea susceptos, exilium, cinguli, id est militiæ spoliatio, & verberatio si sint viles personæ; *auth. incestas*, C. *de incest. nupt.*

§. *ult.*

LIberi naturales, id est ex concubina suscepti, non sunt in potestate patris, sed in potestatem rediguntur legitimatione, cujus plures sunt modi. I. legitimationis modus est per oblationem curiæ, cum pater filios naturales curiæ offert, ut *hic & l.* 3. *&* 4. C. *de natur. liber. l.* 4. C. *de his qui spont. mun. public. sub. nov.* 89. *cap.* 2. quod favore curiæ, id est senatus municipalis introductum est propter penuriam decurionum, qui sustinebant onera municipalia. II. legitimationis modus est per subsequens matrimonium, si pater eam ex qua suscepit liberos uxorem duxerit, cum qua matrimonium ab initio constare potuit, ut *hic*, *& l. cum quis*, *l. ult.* C. *de natur. liber. cap.* 1. *cap. tanta*, *qui fil. sint legit.* III. legitimationis modus est per rescriptum Principis, absque nuptiis, ex *hoc ipso* §. *& ex nov.* 74. *auth. præterea*, C. *de natural. lib.* Principis est defectos natalibus restituere, seu legitimare; *l.* 1. *& seq. ff. de natalib. restit.* Synes. ep. 22. Gavisus sum, inquit, cum audivi † τὰ χρυσᾶ παιδία τῇ τῆ Βασιλέως φωνῇ, νόμῳ σοὶ παιδία γινόμενα. *Aureos liberos Imperatoris voce, lege tibi factos liberos* Et Hieronym. ad Occean. *Multos videmus ob nimiam paupertatem uxorum sarcinam declinare, & ancillas suas habere pro uxoribus, susceptosque ex his liberos colere ut proprios, qui si forte ditati, ab Imperatore stolam illius meruerint, confestim Apostolo colla submittent, & inviti inter uxores eas recipere cogentur, sin autem principale rescriptum eadem tenuitas impetrare non quiverit, cum Romanis legibus scita ecclesiæ mutabuntur.* Principis vero est spurios legitimos facere, quoad temporalia, id est quoad magistratus, & jura successionum, sicut summi Pontificis est legitimare quoad spiritualia, id est quoad ordines & beneficia ecclesiastica; cap. *per venerabilem*, *qui fil. sint legitim.* IV. Naturales fiunt legitimi, & idonei ad ordines & beneficia regularia, demptis prælaturis & dignitatibus, per professionem monasticam; *cap.* 1. *de filiis presbyter. can. eos qui*, 1. *qu.* 5. quia monachismus omnem natalium labem detergit; *nov.* 5. in pr. V. legitimationis modus est si pater in publico instrumento, vel chirographo munito subscriptione trium testium, vel in testamento, aut apud acta filium simpliciter nominaverit, non adjecta naturalis appellatione, ut *hic*, *& nov.* 117. *cap.* 2. *auth. si quis liberos*, C. *de natural. lib.* ait chirographo firmato subscriptione trium testium, quia tale chirographum habet vim publici instrumenti; *l. ult.* C. *si cert. pet. l. scripturas*, C. *quì potior. in pignor.* In Gallia duo tantum modi legitimationis recepti sunt, nempe per subsequens matrimonium, & per rescriptum Principis, præter illum qui contrahitur per professionem regularem.

De adoptionib.

CAP. XI.

Pr. h. tit.

IN potestate parentum sunt liberi ex justis nuptiis suscepti vel legitimati per subsequens matrimonium, vel quæsiti per adoptionem, ut exponitur *init. h. tit.*

Source : BIU Cujas

tit. filiif. enim non ſolum natura, id eſt naturali generandi ratione, ſed etiam adoptione fiunt; *l.* 1. *ff. h. tit.* Adoptio eſt civilis ratio quærendorum liberorum, & orbitatis remedium; Senec. de conſolat. ad Marciam cap. 25. *D. Auguſtus amiſſis liberis, nepotibus exhauſta Cæſarum turba, adoptione deſertam domum fulſit.* Et hoc eſt quod idem ait 2. controv. 1. *Adoptionem fortunæ remedium eſſe.* Adoptio imitatur naturam, ut quiſpiam ſibi filium habeat quem non genuit; *l. filio quem, ff. de liber. & poſth. l. adoptio,* 16. *ff. h. tit.* Calphurnius Flaccus: *Adoptio,* inquit, *ſancta res eſt quidem, quæ beneficia naturæ & juris imitatur*: inde commentum adoptionis dicitur in *l. fideicommiſſum, ff. de condit. & demonſtr.*

§. *adoptio.*

SPecies adoptionis ſunt duæ, adoptio ſpecialis, & adrogatio. Adoptio eſt qua filiusf. a patre naturali, in cujus poteſtate eſt, alteri auctore magiſtratu, puta apud prætorem vel præſidem, in adoptionem datur. Adrogatio eſt qua paterf. qui ſui juris eſt, ex reſcripto Principis adoptatur ex *hoc* §. *& l.* 2. *ff. h. tit.* Et hoc eſt quod ait *l.* 1. *ff. eod.* adoptari filiosf. adrogari qui ſui juris ſunt. Adrogatio olim fiebat curiatis comitiis, unde ſic dicta, quod per populi rogationem fieret, his verbis ſolemnibus, *velitis, jubeatis Quirites,* ut eſt apud Gell. 5. *noct. Attic.* 19. vel potius quia is qui adoptabat rogabatur, an vellet eum quem adoptabat juſtum ſibi filium eſſe, & is qui adoptabatur rogabatur an id fieri annueret; *l.* 2. *ff. h. tit.* Adrogatio, inquam, jure antiquo fiebat curiatis comitiis, ſeu apud populum. Sed conſtitutione Diocletiani introductum eſt, ut fieret reſcripto Principis; *l.* 2. *C. h. tit.* Adoptio fiebat apud magiſtratum, apud quem legis actio eſſet; *l. magiſtratum, ff. h. tit. l.* 1. *C. eod. l.* † 2. *&* 3. *ff. de offic. proconſ.* id eſt apud quem omnes ſolemnes actus expediri moris eſſet, puta apud prætorem vel præſidem & majores magiſtratus. Olim adoptio fiebat ſolemniter, in jure apud prætorem per mancipationem, id eſt imaginariam venditionem, quæ fiebat per æs & libram; *l. ult. C. h. tit.* & apud Ulpian. *lib. regular. tit.* 19. & Gell. loco modo laudato: præter quos Tranquill. in Auguſto, cap. 64. *Caium & Lucium adoptavit per aſſem & libram emptos a patre Agrippa.* Verum hæc ſolemnia ſublata, & ſatis fuit ut adoptio fieret actis confectis apud competentem judicem, id eſt in judicio, & pro tribunali; *l.* 4. *& ult. C. h. tit. l.* 5. *C. de ſuis & legitim.*

§. *ſed hodie.*

ADoptio eſt actio legis, id eſt actus legitimus, per quem extraneus in alienam familiam, juſque filiif. cooptabatur. Jure civili adoptatus e patris naturalis familia extraneus fiebat, & in adoptantis gentem & familiam tranſibat, eique agnaſcebatur. Adoptio enim jus agnationis tribuit; *l. qui in adoptionem, ff. h. tit. l. pen.* §. *teſtamento, de bonor. poſſeſſ. ſec. tab. l.* 1. §. † 4. *unde cognat.* Denique adoptatus adoptanti heres fiebat nominis pecuniæ, id eſt bonorum & ſacrorum; M. Tull. pro dom. *Quas adoptiones hereditates nominis pecuniæ ſacrorum ſecutæ ſunt.* Et Vopiſcus in Aurelian. ubi adoptionis formulam ponit: *jube igitur, ut lege agatur, ſitque Aurelianus heres ſacrorum nominis & bonorum totiuſque juris.* Conſtitut. Juſtiniani filiusf. a patre naturali extraneo datus in adoptionem, non deſinit eſſe in poteſtate patris naturalis, non amittit jus ſuitatis, nec emigrat in aliam familiam: extraneo autem, cui datus eſt in adoptionem, fit tantum filius in hoc, ut ei ſuccedat ab inteſtato, ceterum nihil acquirit, neque præterito datur querela inofficioſi teſtamenti, vel bonorum poſſeſſio contra tabulas, quia adoptio non ſolvit jura naturalis agnationis. Cer-

Source : BIU Cujas

te si filiusf. detur in adoptionem avo vel proavo, hoc casu transit in potestatem & familiam adoptatoris, ex *hoc* §. *& l. pen. C. h. tit.* §. *sed etsi pater*, infr. *quib. mod. jus patr. potest. solv.*

§. *cum autem impubes.*

IUre veteri non potuit arrogari nisi vesticeps, id est jam pubes, impubes non potuit arrogari etiam tutore auctore, quia non tanta tutoris potestas erat in caput liberorum, quippe quæ versabatur in solo tutelæ gestu; Gell. *loco supr. laudato.* Ex constit. D. Antonini Pii impubes potest arrogari; *l.* 1. §. *si impubere*, *ff. de collat.* & apud Ulpian. *lib. reg. h. tit.* §. 5. nimirum rescripto Principis, causa cognita & probata apud prætorem vel præsidem; *l.* 2. *C. h. tit.* olim adrogatio fiebat causa cognita apud Pontifices; M. Tull. pro domo: *Quæ deinde causa cuique sit adoptionis, quæ ratio generum ac dignitatis, quæ sacrorum quotidie a Pontificum collegio quæri solet.* Hinc Galba ad Pisonem apud Tacit. 1. hist. *Si te privatus lege curiata apud Pontifices, ut moris est, adoptarem.* Adoptio fit apud prætorem, vel præsidem sine causæ cognitione, auctore patre; Adrogatio impuberis fit causa cognita an expediat pupillo adrogari; *l. si paterf.* §. *in adrogationibus, cum dd. seqq. ff. h. tit.* & ob id fit tutore auctore; *l.* 3. §. *si quis minor, ff. de minor. l. ult. C. de auctorit. præstand.*

Ex constitut. D. Pii. adrogatio fit causa cognita, & certis conditionibus; si quis enim impuberem adrogare velit, adrogator cavere debet satisdato, id est datis fidejussoribus personæ publicæ, id est tabulario, se bona adrogati, si impubes decesserit, restituturum iis, ad quos ea bona perventura essent si adrogatus non fuisset, ex *hoc* §. *& l. nec ei, in fin. cum seq. ff. h. tit. l.* 2. *C. eod.*

Ex eadem constitut. si adrogator pupillum emancipet sine justa causa vel eum testamento exheredet, tenetur ei relinquere quartam bonorum, quæ est vice legitimæ, ex *hoc* §. *l. si adrogator*, §. *sed an impuberi*, *ff. h. tit. l.* 2. *C. eodem*, *l. Papinianus*, §. *si quis impubes*, *ff. de inoff. testam. l.* 1. §. *si impubere*, *ff. de collat. l. ult. ff. si quid in fraud. patron.* itidem tenetur ei restituere bona illata tempore adrogationis & postea quæsita; *d. l. ult. & d. l.* 2. Adrogato debetur quarta in bonis adrogatoris, quæ olim fuit legitima portio, nisi causa cognita emancipatus fuerit, forte quod vitæ patris insidiatus sit, quo casu quartam amittit; *d. l. ult.* Dices, si quarta relinquatur adrogato impuberi, adrogatus melioris erit conditionis, quam filius naturalis & legitimus, & plus feret ex bonis patris adoptivi: sed hoc inconveniens curatur, quia jure prohibetur, ne impuberem adroget qui plures liberos habet; *l. nec ei*, §. *præterea*, *ff. h. tit.*

§. *minorem natu.*

MInor natu majorem adoptare non potest, quia adoptio naturam imitatur. Adoptio est imago naturæ; *l. filio quem*, *ff. de liber. & posth.* & monstro simile est, ut filius sit natu major patre, & hoc erat vitii in adoptione Clodii a Fonteio facta; M. Tull. pro domo: *Dico apud Pontifices. Nego, istam adoptionem pontificio jure esse factam: primum, quod hæ vestræ sint ætates, ut is, qui te adoptavit, vel filii tibi loco per ætatem esse potuerit.* Et rursus: *jure Quiritum legitimo tutelarum & hereditatum relicto, factus es ejus filius contra fas, cujus per ætatem pater esse potuisti.* Itaque adoptatus debet adoptatum plena pubertate superare, idest 18. annis major esse debet, quia ea fere ætate, qua pervenitur ad plenam pubertatem, solent patres esse natu majores quam filii, ex *hoc* §. *& l. adrogato*, *ff. h. tit.* Eadem ratione adoptio locum non habet, nisi

in

Source : BIU Cujas

in iis perſonis, in quibus etiam natura poteſt habere ; *l. adoptio* 16. *ff. h. tit.* Et adoptio ad tempus fieri non poteſt, quia naturæ repugnat filium temporalem habere ; *l. quæſitum*, *ff. h. tit.*

§. *licet autem*.

IN nepotis vel pronepotis locum adoptare poteſt etiam is qui filium non habet, ex *hoc* §. *& l. adoptare*, *ff. h. tit.* Adoptio non modo filiorum, ſed & quaſi nepotum fit, ut aliquis nepos noſter eſſe videatur, perinde quaſi ex filio vel incerto natus ſit ; *l. adoptiones*, *ff. h. tit.* ideſt quaſi ex filio fictitio & imaginario natus ſit, quamvis filius nullus ſit, & hoc caſu duplex fictio concurrit, ut qui nec filium nec nepotem habeat, utrumque habere videatur ; *d. l. adoptiones*.

§. *ſed ſi quis*.

NOn licet adoptare in locum nepotis quaſi ex filio ſine conſenſu filii, ne ei invito ſuus heres agnaſcatur : e contrario licet avo dare nepotem in adoptionem ſine conſenſu filii, quia nepos ex filio eſt in poteſtate avi, ex *hoc* §. *l. cum nepos*, *l. ſi is qui*, *ff. h. tit.* Eadem ratione nepos ex filio non poteſt contrahere nuptias ſine conſenſu filii, nec ſufficit conſenſus avi, immo requiritur etiam conſenſus patris *l. † oratione*, §. 1. *ff. de rit. nupt.* ne mortuo avo, ſuus patri heres invito agnaſcatur,

§. *in plurimis*.

ADoptio eſt fictitia & adumbrata ratio ſuſcipiendorum liberorum, ideo in multis caſibus adoptatus vel adrogatus æquiparatur filio ſuſcepto ex juſtis nuptiis ; inde ſi quis non extraneum adoptaverit, poteſt eundem in adoptionem dare, *ex hoc* §. *& l. adoptare*, *ff. h. tit.* Dico non extraneum, quia ea demum adoptio tribuit jus poteſtatis, quæ non extraneæ perſonæ facta eſt, ſed nepotis ex filia vel filio emancipato ; *l. pen. C. h. tit.* Jus in adoptionem dandi patriæ poteſtatis eſt, itaque pater adoptivus extraneum in adoptionem dare non poteſt.

§. *ſed & illud*.

SPadones, ideſt qui vitio vel frigiditate naturæ generare non poſſunt, nam ſpadonum appellatio eſt generalis ; *l. ſpadonum*, *ff. de V. S.* adoptare & arrogare poſſunt, quia non ſunt expertes ſpei fore ut ſublato vitio poſſint generare : ſecus caſtrati, quia generandi ſpes eis adempta eſt damno partium, ex *hoc* §. *l.* 2. §. 1. *l. adrogato* §. *ult. ff. h. tit.*. tamen ſpadonibus indiſtincte, immo & caſtratis jus adoptandi datur ; *nov. Leon.* 26. *&* 27.

§. *feminæ*,

FEminæ neque adoptare, neque adrogare poſſunt, niſi ex ſpeciali beneficio Principis in ſolatium liberorum amiſſorum, quia feminæ liberos in poteſtate non habent, ex *hoc* §. *&* l. 5. *C. h. tit.* Sed & his adoptandi jus impertivit Leo *d. nov.* 27. Alia ratione non licebat feminis adrogare, nimirum quia adrogatio olim fiebat in comitiis, quibus feminæ interdictæ fuere, ex Gellio 5. *noct. Atticar.* 19.

Source : BIU Cujas

§. *pen.*

NOtanda est *hic* differentia inter adrogationem, & adoptionem, quod per adrogationem non solum adrogatus transit in potestatem adrogantis, sed transit ipse una cum liberis quos habebat potestate. Per adoptionem vero solus adoptatus transit in potestatem adoptantis, ejus vero liberi manent in potestate avi naturalis, ex *hoc* §. *&* *l.* 2. §. *ult. l. si paterf. l. adrogato*, *ff. h. tit.* qui se adrogandum dat, cum capite fortunas quoque suas in alienam familiam transfert; *l. pen.* §. 2. *ff. de bonor. poss. sec. tab.* quippe capite minuitur; *l.* 3. *ff. de cap. minut.*

§. *ult.*

SErvus adoptione vel filii apud acta nominatione, non fit filius, sed e servo liber efficitur, & adoptio hujusmodi habet effectum manumissionis, ex *hoc* §. *&* *l. un.* §. *similique modo* 10. *C. de latin. libert. toll.* ut libertinus a patrono adoptatus per adoptionem non fit ingenuus, sed libertinus manet; *l. ult. ff. de stat. hom.* quæ fuit & sententia Massurii Sabini, referente Gellio *loco supra laudato*;

Quib. mod. jus patr. potest. solv.

CAP. XII.

Pr.

JUs patriæ potestatis solvitur morte patris, ut docetur *init. h. tit. l.* 1. §. † *alienatio, vers. sed etsi morte, ff. quand. de pecul. act. annal. est.* Et hoc est quod intelligendum est in *l.* 3. *C. de emancip.* patriam potestatem solvi actu solemni, idest emancipatione, vel casu, idest morte patris. Liberi, qui erant in potestate, morte patris sui juris fiunt, nepotes ex filiof. mortuo avo, in cujus potestate erant, non fiunt sui juris, sed recidunt in potestatem filii, hoc est patris; *l.* † *l.* 5. *ff. hoc tit.* nisi nati sint ex filio emancipato; *l. si pater filium, ff. eod.* quo casu nepotes ex filio emancipato mortuo avo non recidunt in potestatem patris, quia per emancipationem pater amisit omnia jura quæ habebat in liberos. Jure novissimo, si filius de potestate patris exierit per dignitatem, nepos ex filio, morte avi, in patris potestatem recidit; *nov.* 81. *cap.* 2. quia tunc filius migrat e patris potestate sine capitis minutione.

† V. Si probat. Et recurre ad *l.* 10. *h. tit.*

§. *cum autem*, §. *pœnæ servus.*

JUs patriæ potestatis solvitur deportatione & servitute pœnæ, idest damnatione in metallum patris vel filii, quia utraque morti comparatur, ex *his* §§. *l. in insulam, C. de sentent. pass. & restit.* Deportatione quoque solvitur patria potestas, alia speciali ratione, quia deportatio adimit civitatem & ea quæ sunt juris civilis; *l. deportatus, ff. de interdict. & relegat. l. sunt quidam, de pœn.* & consequenter patriam potestatem, quæ est juris civilis. Quod si deportatus beneficio Principis restitutus sit, per omnia pristinum statum recipit, ex *hoc* §. *cum autem*, idest jus patriæ potestatis, non sine speciali indulgentia. Generalis indulgentia Principis damnatum liberat pœna, sed non restituit bonis, militiæ, dignitati: non restituit patriam potestatem, nisi speciali beneficio

Prin-

Source : BIU Cujas

Principis hoc actum sit ; *l. in insulam*, *l. generalis*, *l. si pater*, *C. de sentent. pass. & restitut. l. ult. C. de general. abolit.* Et ita de plena restitutione accipiendum est quod ait Justinianus *hic*, restitutos ex indulgentia Principis, per omnia pristinum statum recipere. Patre deportato in integrum restituto, filius redit in potestatem patris, sed testamentum & alia interim gesta filii non rescinduntur reverso patre ; *l. ult. C. de sent. & pass. restitut.* ut si patre captivo apud hostes interim filius uxorem duxerit, patre reverso matrimonium non solvitur, propter rationem temporis, quo contractum est, & utilitatem publicam nuptiarum ; *l. in bello*, §. 3. *ff. de captiv. & postlim. revers.*

§. *relegati.*

RElegatione non tollitur patria potestas, quia relegatio nec libertatem nec civitatem adimit. Ideoque relegatus retinet liberos in potestate, & testamenti factionem, & alia omnia jura ; *l.* 4. *l. relegatorum*, §. *sive ad tempus*, † *ff. de interdict. & relegat. l. ejus qui*, §. 3. *ff. qui testam. fac.* hujus juris compos Ovid. in Pontum relegatus de seipso ita fatur *lib.* 2. *trist.*

Quippe relegatus non exul dicor in illo Et idem lib. 5.
Nec mihi jus civis nec mihi nomen abest.

§. *filius familias.*

NEque militia nec senatoria aut consularis dignitas solvit patriam potestatem, sed sola patriciatus dignitas, ex *hoc* §. *l. si maritus*, *C. de patr. potest. l. ult. C. de consulib. lib.* 12. quia ferendum non erat, quem sibi Imperator patrem elegit in aliena potestate esse. Patricii, quod genus dignitatis excogitatum a Constantino, ex Zozimo *lib.* 2. sic dicti, quasi patres Principis ; Sozomen. *lib.* 8. *cap.* 7. de Eutropio Eunucho Patricio facto ὑπάτου καὶ πατρὸς Βασιλέως ἀξίαν ἐτιμήθη. quo alludit Claudian. *lib.* 2. *in Eutrop.* postquam ademptis bonis deportatus in Cyprum insulam.

Diremptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras Principis esse pater.

Præter Patriciatum episcopalis dignitas, & præfectura prætoriana & urbana, & magisterium militum solvit patriam potestatem ; *auth. sed episcopalis*, *C. de Episc. & cleric.* Jure veteri pontificio, flamen dialis, & vestales absolvebantur patria potestate, apud Ulpian. *lib. regul. tit.* 10. Gellius lib. 1. cap. 13. *Virgo vestalis simul atque capta, eo statim tempore sine emancipatione, ac sine capitis minutione a patris potestate exit, & jus testamenti faciundi adipiscitur.* Et Tacit. 4. annal. *Quando exiret e jure patrio qui id flaminium apiscceretur, quæque in manum flaminis conveniret.* Obveniente sacerdotio non solvitur patria potestas, sed in his, quæ ad ordinem & ministerium pertinent, presbyter vel clericus si filiusf. sit, pro emancipato & patref. habetur ; *cap. si annum, de judic. in* 6. filiusf. morte patris vel alias, idest dignitate sui juris efficitur sine capitis minutione ; *l.* † *si quis patremfamilias*, §. *ult. ff. ad Maced. nov.* 81. qui per emancipationem capitis minima minutione afficitur, quia in imaginariam servitutis formam deducitur ; *l. liberos*, *ff. de cap. minut.* inde amittit jura agnationis, & extranei loco habetur ; *l. quinetiam*, *ff. de rit. nupt.*

Source : BIU Cujas

§. *si ab hostibus.*

CAptivitate patris vel filii non tollitur patria potestas, sed suspenditur propter jus postliminii, idest spem postliminii, quia captus ab hostibus, si postliminio reversus fuerit, omnia pristina jura recipit, vel potius liberos habet in potestate, ac si non fuisset in potestate hostium: quia fictione postliminii reversus ab hostibus fingitur semper in civitate fuisse. Si vero apud hostes decesserit, fictione legis Corneliæ fingitur decessisse primo captivitatis momento, & ex quo captus est pater, sui juris filius fuisse videtur, ex *hoc* §. cui congruit *l. pen. ff. de suis & legit. l. in bello*, §. 1. *de captiv. & postlim. revers. l. lege Cornelia, qui test. fac.*

§. *præterea.*

PAtria potestas solvitur etiam emancipatione, cujus triplex est genus, legitima, Anastasiana, Justinianea. Legitima fiebat non nudo consensu, sed actu solemni; *l. non nudo*, C. *de emancip.* idest per imaginariam venditionem, & manumissionem; *l. ult.* C. *eod. l.* *) *ult. ff. de injust. rupt. nov.* 81. M. Tull. pro Cæcinna. *Si pater vendidit eum, quem in suam potestatem susceperat, ex potestate dimittit.* Quod genus emancipationis sublatum est; *d. l. ult.* Anastasiana fit ex rescripto Principis apud competentem judicem insinuato; *l. jubemus*, C. *de emancipat.* Justinianea fit sola professione patris, filium se emancipare declarantis apud judicem competentem, cui hoc lege vel moribus datum est, *ex hoc* §. *& l.* 1. *l. ult.* C. *de emancipat.* Emancipatio vero alia est expressa, alia tacita. Expressa est quæ fit actu speciali apud competentem judicem. Tacita quæ fit tacita voluntate patris, si filiusf. decennio a patre seorsim habitaverit, & ut patremf. se gesserit; *l. post mortem, ff. de adopt. l.* 3. *ad Maced. l.* 6. C. *de petit. hered. l.* 1. C. *de patr. potest.* Patria potestas tamen non solvitur matrimonio; *l. si mulier*, §. 1. *ff. de religios. & sumpt. fun. l.* † *si uxorem*, C. *de condit. insert. l. cum te*, C. *de inoff. testam.* filia nupta quantocumque tempore manserit in matrimonio non desinit esse in potestate patris; *l. filiæ licet*, C. *de collat. l. ult.* C. *de bon. quæ liber.* verum pater non potest filiam abducere a viro, ne concordans matrimonium perturbet; *l.* 1. §. *ult. ff. de lib. exhib. cap. non est, de sponsalib.*

Effectus emancipationis est, quod pater manumissor in bonis filii emancipati eadem jura habet, quæ patronus in bonis liberti, ex *hoc* §. idest succedit filio emancipato, ad exemplum patroni succedentis in bonis liberti, & parenti manumissori præterito datur bonorum possessio contra tabulas filii emancipati; *l.* 1. *ff. si a parent. quis manumiss. sit.* E si filius emancipatus sit impubes, pater legitimi tutoris vices sustinet, *ex hoc ipso* §. & infr. *de legit. par. tutel. l.* 3. *ff. de legit. tut. l. si superstite*, C. *de dolo*, & hoc est quod dicitur *in l. ult.* C. *de emancipat.* Patrem qui filium emancipavit, legitima jura integra habere, etiam si ea in emancipatione sibi non servaverit, idest filio emancipato, legitimum heredem & tutorem esse.

Non solebant tamen liberi emancipari ante ætatem legitimam; *l.* 2. C. *Th. de bon. matern.*

§. *ult.*

ne liberi emancipentur ante legitimam ætatem, vetat Syn. Carth. can. 38. apud Balsamon.

PAter non cogitur ullo pæne modo liberos emancipare, ex *hoc* §. *l. non potest, ff. de adopt.* Etiam pater heres scriptus, & rogatus liberos emancipare, non cogitur id facere, quia patria potestas est res inæstimabilis & sancta; *l. filiusf.* §. *sed si liberos, ff. de legat.* 1. si tamen agnoverit relictum ea lege, ut emancipet liberos, extra ordinem, idest auctoritate Principis, cogitur imple-

re

Source : BIU Cujas

re conditionem ; *l.* † *ſi cui legatum*, *ff. de condit. & demonſtr.* Et ſi pater heres ſcriptus, & rogatus reſtituere hereditatem filio, profliget res fideicommiſſarias, non cogitur emancipare filium, ſed cogitur ei repreſentare fideicommiſſum, inflicto damno conditionis propter fraudem ; *l. Imperator*, *ff. ad Trebell.* Immo & pater adoptivus non cogitur emancipare filium heredem ſcriptum a patre ſub conditione emancipationis ; *l. utrum*, *de V. O.* Ait ullo pæne modo, ſunt enim quidam caſus, quibus pater cogitur liberos emancipare, ut ſi pater ſæviat in filium, auctoritate Principis compellitur eum emancipare ; *l. ult. ff. ſi a parent. quis manumiſſ. ſit.* Et ſi pater vel dominus filiam vel ancillam proſtituerit, æque cogitur eam poteſtate ſua dimittere ; *l. ſi lenones*, *C. de epiſc. aud. l. leno.nes*, *C. de ſpectacul.* ut & liberi inviti non emancipantur ; *l. jubemus*, *C. de emancip. nov.* 89. *cap.* 11. immo & nominatim filius debet conſentire emancipationi, niſi infans ſit, cujus nullus eſt conſenſus ; *d. l. jubemus.*

De tutelis.

CAPUT. XIII.

Pr.

PErſonarum, quæ ſui juris ſunt, quædam ſunt in tutela, vel curatione: in tutela ut pupilli : in curatione ut adoleſcentes, furioſi, vel prodigi, quibus bonis interdictum eſt : quædam neutro jure tenentur.

§. I.

TUtela eſt vis & poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit, jure civili data & permiſſa, ex *hoc* §. & *l.* 1. *ff. h. tit.* In capite libero, ideſt in homine libero, qui non eſt ſubjectus patriæ vel dominicæ poteſtati : tutoria enim poteſtas non impedit quominus is qui eſt in tutela dicatur ſui juris, quia tutor magis datur ut proſit, quam ut præſit pupillo ; & tutoris officium magis verſatur in curatione & cuſtodia perſonæ, quam in poteſtate in pupillum : unde pupillus non potuit dari in adoptionem tutore auctore, quia non tanta erat tutoris auctoritas, ut pupillum ſuum alienæ poteſtati ſubjicere ei liceret ; Gell. lib. 5. cap. 19. *Tutoribus in pupillos tantam eſſe auctoritatem, poteſtatemque fas non eſt, ut caput liberum fidei ſuæ commiſſum aliena ditioni ſubjiciant.* Ad tuendum eum, ideſt ad tuendam perſonam, quia tutor datur perſonæ, non rebus, niſi per conſequentiam ſeu acceſſorie, quatenus ad pupillum pertinent ; §. *certæ*, infr. *qui teſt. tut. dari poſſ.* §. *datus*, infr. *de excuſationibus.* Ad tuendum, inquam, quia præcipuum tutoris officium eſt ne pupillum indefenſum relinquat ; *l. tutoris*, *ff. de adm. tut.* unde tutoris nomen quaſi tuitoris & defenſoris ; *l.* 1. §. 1. *ff. h. tit.* & tutor quantum ad providentiam pupillarem domini loco habetur ; *l. tutor qui* 27. *ff. de admiſtr. tut.* propter ætatem, ideſt propter ætatem pupillarem ; nam tutela pubertate finitur jure civili data & permiſſa, jure civili, ideſt lege 12. tab. datur legitima ; *l.* 5. *in pr. ff. de legit. tut.* aut magiſtratus permiſſu legis dat tutorem, tuncque appellatur tutela dativa ; *l. ult. C. de legit. tut.* permittitur teſtamentaria ; *l.* 1. *ff. de teſtam. tutel.* Lex enim 12. tab. *uti legaſſit. &c.* non modo ad hereditates, ſed etiam ad tutelas pertinet ; *l. verbis legis*, *ff. de V. S.*

Source : BIU Cujas

§. *permissum*.

PAter testamento tutorem dare potest liberis impuberibus, quos in potestate habet: item nepotibus & pronepotibus, morte sua non recasuris in potestatem patris, puta natis ex filio emancipato, ex *hoc* §. *&* *l.* 1. *ff. de testam. tutel. l. quo tutela*, §. 1. *de R. J.* quia tutela jure patriæ potestatis mandatur; *l. impuberi*, *ff. de administr. tut.* pater potest tutorem dare filio instituto, vel exheredato; *l.* 4. *l. si pater*, *ff. de testam. tutel.* quia exheredatio non solvit patriam potestatem, & tutor datur personæ non rebus; *l. quia personæ*, *ff. de testam. tutel.* tutor autem datus a patre exheredato indiget confirmatione prætoris; *l. jure nostro*, §. † *propter*, *ff. eod.* Mater non nisi instituto filio tutorem dare potest, quasi in res potius quam in personam tutorem dare videatur; *l.* 4. *ff. eod. l. mater*, C. *eod.* quia mater non habet liberos in potestate; §. † 10. supra, *de adopt.* Liberis naturalibus pater non potest tutorem dare, nisi in his rebus, quas eis dederit vel reliquerit, & dati confirmandi sunt a prætore; *l. ult.* C. *de confir. tutor. l. naturali*, *ff. eod.* Itidem extraneus non potest dare tutorem impuberi, nisi heredi instituto & tutor datus confirmandus est a prætore; *l. si patronus*, *ff. eod.* ut & impuberi liberto patronus tutorem dare potest, sed datus a prætore confirmandus est; l. *qui tutelam*, §. † 2. *ff. de testam. tutel.*

§. *cum autem*.

PAter testamento tutorem dare potest liberis & posthumls: quia qui in utero est pro nato habetur, quoties de ipsius commodo quæritur; *l. qui in utero* 7. *ff. de stat. hom.* Tranquill. in Jul. cap. 83. *Pluresque percussorum in tutoribus filii si quis sibi nasceretur nominavit.* Est autem posthumus suus, qui si vivo parente nasceretur suus fieret, idest non modo in potestate ipsius foret, verum etiam primum ab eo gradum obtineret, veluti filius, aut eo præmortuo napos ex eo, ut *hic*, *&* §. † 2. infra, *de hered. quæ ab intest.*

§. *ult.*

SI pater testamento tutorem det filio emancipato, confirmandus est a prætore omnimodo, idest sine inquisitione, ex *hoc* §. prætor enim, qui tutorem confirmat, defuncti sequitur judicium; *l. Nesennius*, *ff. de excus.* quia paternum testimonium pro inquisitione æquæ ac pro satisdatione est; *l. de creationibus*, C. *de episcopal. aud. l. si filiusf.* 7. C. *ad Macedon. l. ult.* C. *de curat. fur.* & pietas paterna optimum consilium pro liberis capere intelligitur; *l. nec in ea lege*, §. *ult. ff. ad l. Jul. de adulter.* si mater tutorem dederit, confirmandus est causa cognita, cum inquisitione; *l.* 4. *ff. de test. tutel. l.* 1. §. 1. *ff. de confirm. tutor. l.* 1. C. *eod.*

Qui tutor. testam. dar. poss.

CAP. XIV.

Pr.

ETiam filiusf. testamento tutor dari potest, ut edisimus *init. h. tit.* quia in muneribus publicis, quale est tutelæ munus, infr. *de excusat. in pr. l.* non

non tantum, §. *eos*, *ff. eod.* filiusf. pro patref. habetur, veluti ut magiſtratum gerat, ut tutor detur; *l. filiusf. ff. de his qui ſui vel alien. jur.* Et publice intereſt non ſolum patresf. ſed etiam filiosf. admitti ad tutelam, ne pupilli careant defenſore; *l.* 2. §. *Divus*, *ff. qui pet. tut.* Et filiusf. tutor datus obligatur actione tutelæ, quia filiusf. ex omnibus cauſis tamquam paterf. obligatur, excepta cauſa mutuæ pecuniæ; *l. filiusf.* 39. *de oblig. & act.* Et quidem ſi filiusf. tutelam geſſit conſenſu patris, pater tenetur in ſolidum quaſi fidejuſſor pro filio; *l. ſi filiusf. ff. de tutel. l.* 1. *C. quod cum eo qui in alien. poteſt. eſt neg. geſt. eſſe dicetur.* Idem dicendum in aliis muneribus civilibus; *l.* 2. *ff. ad municipal. l.* 7. §. *ult. ff. de decur. l. ſi filiusf. ff. de adminiſt. rer. ad civitates pertinentium.* Quod ſi filiusf. tutelam geſſerit patre nolente & contradicente, pater tenetur de peculio vel de in rem verſo; *d. l.* 1. *& l. tam ex contractibus*, *ff. de judic.*

§. I.

SErvus proprius, id eſt ſervus teſtatoris, recte teſtamento tutor datur cum libertate, vel ſine libertate, id eſt omiſſa libertatis datione, quia tutelam dando, tacite libertas ei relicta intelligitur, ex *hoc* §. *l. quæro in fin. ff. h. tit.* Eadem conſequentia ſervus proprius ſine libertate recte heres inſtituitur; quia cui hereditas, eidem tacite libertas relicta videtur; *l. pen. C. de neceſſ. ſerv. hered. inſtituend.* Servus alienus non poteſt dari tutor pure, ſed ſub conditione cum liber erit: quare ſi pure tutor detur, inutilis erit datio, ex *hoc* §. Inutilem intellige quantum ad hoc, ut pure, id eſt ſtatim tutor exiſtat, non eſt tamen omnino inutilis, quia ineſt hujuſmodi conditio, cum liber erit; *l. ſi hereditas*, §. *ult. ff. h. tit.*

Si ſervus proprius per errorem quaſi liber tutor datus ſit, is neque liber, neque tutor erit, ex *hoc* §. *& l. ſi quis tutorem*, *ff. h. tit.* Error in conditione vitiat actum, cum voluntas teſtatoris ex ea pendeat, ut hoc caſu; quia non aliter teſtator eum tutorem daturus fuit, niſi liberum putaſſet: nec tutela aut libertas dari poteſt ſine voluntate & conſenſu teſtatoris. At conſentire & velle non videtur qui errat; nihil enim tam contrarium conſenſui, quam error; *l. ſi per errorem*, *ff. de jurisdict.*

Servus proprius inutiliter tutor datur ſub conditione, cum liber erit, ex *hoc* §. quia tutor certo judicio dari debet; §. *ſed* † *nec ejuſmodi*, *verſ. tutor*, infr. *de legat.* Certum vero judicium ejus eſſe non videtur, qui libertatem, quam dare poteſt, in incertum eventum conditionis, quæ in poteſtate ejus eſt, confert: & teſtator ipſe, dum ita loquitur, plane ludificari & nihil agere intelligitur; veluti ſi quis dicat, hæc res tibi empta eſt, ſi eam tibi vendidero; *l. hæc venditio*, *ff. de contrah. empt.* quod enim in noſtra poteſtate eſt, inutiliter in caſum conditionis confertur; *l. Lucius ff. de condit. & demonſtrat.*

§. *furioſus*.

SI furioſus, vel minor 25. annis tutor detur, hæc datio non erit omnino inutilis; tutor enim datus, tunc fiet tutor, cum mentis compos, vel major. 25. annis factus fuerit, ex *hoc* §. *l. furioſus*, *ff. de tutel. l. ſi hereditas*, §. 3. *ff. h. tit.* Interim, ut provideatur pupillo, alius tutor dandus eſt, quamdiu enim teſtamentaria tutela ſperatur, legitima ceſſat; §. 1. *infr. de* † *Atil. tut. l. ſi quis ſub conditione*, *ff. h. tit.* vel datur curator; §. †† 4. *infr. de excuſ. tut. l. non ſolum*, §. *ſi libertus*, *ff. eod.* nam qui ad tempus excuſatur, interim eſt tutor; *l. nec ille*, *ff. de tutor. & curat. dat.* & tutorem habenti, tutor non datur, ſed curator; *l. cum jure*, C. *qui pet. tutor.* Ex conſtit.

†† V. ſi probat. Et recurre ad *l.* 12. *de excuſat.*

Source : BIU Cujas

Justiniani minor. 25. annis non potest dari tutor; quia incivile est, eum alterius tutelam gerere, qui tutore ipse indiget, nec potest obligare bona sua tutelæ nomine; §. *ult.* infr. *de fiduciar. tut.* §. *item major, de excus. tut. l. ult. C. de † legit. tutel. & nov.* 118. *cap.* † 5. Itaque quod dicitur in *l. tutela* 16. §. 1. *ff. de tutel. & in l. avo defuncto, & in l. si reliquero, ff. de legit. tutor. l.* 1. *de fidejuss. tutor.* de liberis legitimis tutoribus dandis, si perfectæ sint ætatis, a Triboniano additum est: nam ante constit. Justiniani minor 25. annis tutor dari poterat, ita ut interim in locum ejus daretur curator qui administraret; Cujac. 17. *obs.* 28.

§. *ad certum.*

TUtor testamento dari potest, vel pure, puta Mævius tutor esto, vel ad certum tempus, puta ad biennium, vel ex certo tempore, veluti ex kalendis illis, aut sub conditione, veluti si navis ex Asia venerit, ex *hoc* §. *l. tutor*, 8. §. 1. *l. si quis sub conditione, ff. h. tit. l.* 2. §. *idem erit, de suspect. tut.* Si sub conditione, vel ex die tutor datus sit, interim alius tutor dandus est a magistratu; *d. l. si quis sub conditione.* Tutor dari potest etiam ante heredis institutionem, ex *hoc* §. quia in testamentis non spectatur ordo scripturæ, sed voluntatis ratio, quæ totum facit; *l. si mihi* 12. *in fin. ff. de legat.* 1. *l. cum pater*, §. *fidei tuæ, de legat.* 2. Etiam ante heredis institutionem tutor dari potuit, ex *hoc* §. quia quæ ordine scripturæ posterior est, juris intellectu prior est. Eadem ratione legata & libertates ante heredis institutionem relinqui possunt, quia non spectatur ordo scripturæ, sed voluntas testatoris; §. *ante heredis*, infr. *de legat.* Sub conditione tutor dari a prætore non potest, & si detur, tutoris datio nullius est momenti; *l.* † 6. §. *sub conditione, ff. de tutelis*, quia tutoris datio est actus legitimus, qui non recipit diem vel conditionem; *l. actus, de R. J.* Nec obstat quod furiosus si tutor detur, potest intelligi ita datus si furere desierit, quia actus legitimi, qualis est tutoris datio, non recipiunt conditionem expressam, sed tacitam utique, tum conditio quæ tacite inest, non facit dationem conditionalem; *l. conditiones, de condit. & demonstrat. l. si ita legatum*, §. 1. *ff. de legat.* 1.

§. *certæ.*

TUtor certæ rei vel causæ dari non potest, quia tutor datur personæ non rebus, ex *hoc* §. *l. certarum, cum dd. seqq. ff. h. tit.* & per consequentiam datur universis rebus pupilli; *l.* 4. *ff. hoc tit. l. propter litem*, §. *licet, ff. de excusat.* Ita autem tutor datur personæ non rebus, ut etiam exheredato filio pater tutorem dare possit; *d. l.* 4. Tutor quidem dari potest rei Africanæ vel Syriacæ; *l. si tamen, ff. h. tit.* rebus urbanis vel provincialibus; *l.* † *pupillo, ff. de tutor. dat.* quia si res sitæ sint in diversis provinciis, aliæ in urbe, aliæ in provinciis, nec ab uno tutore possint commode administrari, tutela, quæ est individua, dividi potest a testatore, vel a prætore, vel ex conventione ipsorum tutorum ob utilitatem pupilli, ut commodius res administrarentur: & hoc est quod ait *l. inter tutores, ff. de admin. tut.* divisionem tutelæ non juris esse, sed jurisdictionis, id est non fieri ipso jure, sed officio judicis, & ex usu populi Romani: & hoc est quod additur in fin. *d. l. si tamen*, utilis est datio, hoc enim jure utimur. Tutor etiam dari potest ad adeundam hereditatem; *l. si hereditas, ff. h. tit. l. impuberi, de tutor. dat.* quia tutela & cetera, quæ pendent ex testamento, non valent, nisi adita hereditate; *l. si nemo, ff. h. tit.* Atque ita necesse fuit tutorem dari a prætore ad adeundam hereditatem, quia pupillus hereditatem adire non potest sine aucto-

rita-

Source : BIU Cujas

ritate tutoris; *l. pupillus, ff. de adq. hered.* & curatoris auctoritas ad hoc inutilis est; *l. per curatorem, ff. eod.*

§. *ult.*

TUtor filiisfam. relictus, etiam posthumis relictus intelligitur; non etiam nepotibus, ex *hoc* §. *l.* 5. *&* 6. *ff. h. tit.* in stricta filiorum appellatione nepotes non continentur; *d. l.* 6. *& l. filium habeo, ff. ad Maced.* Licet alias filiorum appellatione nepotes continentur; *l. justa, ff. de V. S.* Tutor liberis datus, & filiis & nepotibus relictus intelligitur; *d. l.* 6. latior est appellatio liberorum quam filiorum, liberorum nomine filii & nepotes ex his continentur; *l. liberorum, ff. de V. S.* etiam nepotes ex filia; *l.* 1. *C. de condit. insert.*

De legitim. agnat. tutel.

CAP. XV.

Pr.

SI tutor a patre testamento datus sit, non est locus legitimo tutori, quamdiu enim testamentaria tutela speratur, legitima cessat; *l. si quis sub conditione, ff. de test. tutel.* Dispositio enim hominis, id est testatoris, facit cessare dispositionem legis: tutela legitima est, quæ ex lege 12. tab. defertur agnatis proximis, qui ad legitimam hereditatem, id est ab intestato, vocantur; *l.* 1. *ff. de legitim. tutor.* hac lege, ut legitima hereditas, ita & tutela agnatis proximis defertur: quo tutela redit, eo hereditas pervenit; *l. quo tutela, de R. J.* Vel quo legitima hereditas redit, eo & tutela pervenit; *l.* 3. §. *proinde, ff. de legit. tutor.* M. Tullius pro Balbo: *Prædiorum nullam esse gentem? emptionibus ea solere sæpe ad alienos homines, sæpe ad infimos, non legibus, tanquam tutelas, pervenire.* Ex lege 12. tab. agnati eodem gradu ad tutelam quo ad legitimam hereditatem vocantur, quod summa providentia legis institutum, ut qui sperarent successionem, iidem curarent bona ne dilapidarentur; *l.* 1. *ff. de legit. tutor.* Ac plerumque ubi est successionis emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. Dico plerumque, quia feminæ, quæ ad legitimam hereditatem admitti possunt, a tutela arcentur; *d. l. quo tutela*, quod sit virile munus; *l. ult. ff. de tutel.* nisi sit mater, & avia, quibus jure novo defertur tutela filiorum & nepotum; *l.* 2. *& auth. matri & aviæ, C. quand. mul. tutel. offic. fung.* Cassiod. 3. var. 6. *Substracto solatio maritali, onus regendi mater gloriosa suscepit.* Antea mater non habebat tutelam liberorum, nisi a Principe eam impetrasset; *d. l. ult.* educatio tamen permittebatur, nisi eis vitricum superduxisset; *l.* 1. *C. ubi pupill. educ.* Senec. de consolat. ad Marciam, cap. 24. *Pupillus relictus sub tutorum custodia usque ad XIV. annum fuit sub matris custodia.*

§. I.

TUtela legitima defertur agnatis, non cognatis, ex *hoc* §. *l. tutelas, ff. de capit. minut.* agnati sunt conjuncti per masculos, cognati per feminas; *l. sunt autem, ff. de legit. tutor. l. ult.* §. † 2. *de gradib. & affinib.* Excipiendus est frater emancipatus, qui propter emancipationem cognatus tantum

Source : BIU Cujas

est, non agnatus, quia emancipatio tollit jus agnationis, hic enim frater emancipatus uti vocatur ad legitimam hereditatem fratris emancipati, vel integri juris constituti, & præfertur ulterioribus agnatis, ex constit. Anastasii, §.*) *ult.* infr. *de grad. cognat.* §. 1. *de succeff. cognat.* ita & vocatur ad tutelam legitimam fratrum, vel nepotum; *l.* 4. *C. de* † *legit. tutel. l. ne lucrum, C. de curat. furioſ. l. ult.* §. *pen. C. de legit. hered.* Hottomann. *obſerv. lib.* 3. *cap.* 9. Hodie, ſublata agnationis & cognationis differentia, tutela æque defertur agnatis atque cognatis; *nov.* 118. *cap.* 5.

§. *quod autem.*

LEge 12. tab. tutela defertur ab inteſtato agnatis proximis, ex *hoc* §. inteſtatus videtur non tantum is qui abſque teſtamento deceſſit, ſed etiam qui teſtamento liberis tutorem non dedit, quoad tutelam enim inteſtatus eſt; *l. inteſtato, ff. de legit. tutor.*

§. *ult.*

JUs agnationis quavis capitis deminutione, etiam minima, plerumque perimitur, ex *hoc* §. puta emancipatione; *l.* 1. *C. Th. de legit. hered.* ex quo ſequitur tutelam legitimam amitti capitis deminutione, quia defertur agnatis, & agnatio ſolvitur capitis minutione; *l. tutelas, ff. de capit. minut.* ait plerumque, quia minima capitis deminutio, qualis eſt emancipatio, perimit jus agnationis quoad tutelam vel legitimam hereditatem; at frater emancipatus admittitur ad legitimam hereditatem vel tutelam fratrum vel ſororum, quia in his fictione legis pro non emancipato habetur; *l. frater, C. de legit. tutel. l. ne lucrum, C. de curat. furioſ.*

De capit. deminut.

CAP. XVI.

CApitis deminutio eſt ſtatus mutatio, ut docemur *init. h. tit.* & *l.* 1. *ff. h. tit.* Caput pro ſtatu perſonæ ſumitur, id eſt pro conditione hominis. Status conſiſtit in libertate, civitate, & familia, ideſt genere; *l.* 3. *& ult. ff. eod.*

§. I.

TRiplex eſt capitis deminutio, maxima, minor ſeu media, & minima. Maxima eſt cum quis ſimul libertatem, civitatem, & familiam amittit, *ex hoc* §. *& d. l. ult.* Liv. lib. 22. *deminuti capite, abalienati jure civium, ſervi Carthaginenſium facti.* Hoc ſenſu Regulum, ut capite minorem, uxoris oſculum & natorum amplexus, quaſi civitatis jura a ſe aliena, reſpuiſſe, eleganter ſcripſit Horat. 3. carm.

Fertur pudicæ conjugis oſculum
Parvoſque natos, ut capitis minor,
A ſe removiſſe;

Amiſſione enim libertatis, civitatis, & familiæ jura extingui neceſſe eſt, quæ ſine libertate retinere non poſſumus. Maxima, inquam, capitis deminutio eſt, quæ omnem ſtatum evertit, quæ libertatem, civitatem, & agnationem

adi

Source : BIU Cujas

adimit, puta cum quis atrocitate ſententiæ ſervus pœnæ efficitur, veluti ſi damnetur ad metallum, ex *hoc* §. *&* §. *pœnæ*, ſupr. *quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv.* vel cum quis ſe venundari patitur pretii participandi cauſa, vel ſi libertus ut ingratus erga patronum condemnetur, ex *hoc ipſo* §. *&* §. *ſervi autem* 4. ſupr. *de jur. perſonarum*, quo caſu revocatur in ſervitutem; *l.* 2. C. *de libert. & eor. liber. l. pen.* C. *de oper. libert.* Tacit. 13. annal. *Per idem tempus actum in ſenatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque eſt, adverſus male meritos revocandæ libertatis jus patronis daretur*, quod & Tranquill. *in Claudio cap.* 25. Eo nomine prodita ingrati actio adverſus libertum, ex *l. Ælia Sentia*, *l. ſciendum*, *ff. de V. S.* quæ erat actio extraordinaria; *l.* 1. C. *de libert. & eor. liber.*

§. *minor.*

MInor ſeu media capitis deminutio eſt, cum civitas amittitur ſalva libertate, cujus duo exempla hic proponuntur: primum eſt aquæ & ignis interdictio, quæ in deſuetudinem abiit, ejuſque loco ſucceſſit deportatio; *l.* 2. §. 1. *ff. de pœn.* ſecundum eſt deportatio, deportatus enim civitatem amittit incolumi libertate; *l. deportatus*, *ff. de interdict. & relegat.* Et magnæ capitis deminutionis appellatione continetur maxima & media, nimirum maxima, quæ conſiſtit in libertatis ademptione, media in aquæ & ignis interdictione, vel deportatione, quæ ei ſucceſſit; *l. pen.* §. *ult. ff. de extraord. cognit. l.* 4. §. *ult. ff. de gradib. & affin.*

Minima capitis deminutio eſt cum libertas & civitas retinetur, familia tantum mutatur, & ſtatus hominis commutatur, id eſt familia & agnatio dumtaxat mutatur, ex *h.* §. *& l. ult. ff. h. tit.* Alias enim capitis minutio generaliter eſt ſtatus mutatio, hujus duo argumenta adducuntur *hic*: primum eſt cum paterf. ſubijcitur patriæ poteſtati, veluti cum adrogatus per adrogationem mutat familiam, & tranſit in gentem & familiam adrogantis; *l.* 3. *ff. h. tit.* ſecundum eſt cum filiuſf. fit ſui juris per emancipationem. Emancipatio inducit capitis minutionem, quia olim fiebat per imaginariam venditionem, & manumiſſionem; *l.* 3. §. 1. *ff. h. tit.* Alias filiuſf. morte patris vel dignitate ſui juris fit, ſine capitis deminutione; *l.* 3. §. *ult. ff. ad Maced. & nov.* 81. Utrumque minimæ capitis deminutionis argumentum complectitur Modeſtinus in *l.* 4. §. 10. *ff. de grad. & affinib.* cum ait in adoptionem datum, aut emancipatum, agnationis jura perdere, cognationis & affinitatis retinere.

§. *ſervus autem.*

SErvus manumiſſus capite non minuitur, quia nullum caput habet, ut ait Juſtinianus *hic*, id eſt perſonam ſeu ſtatum non habet, & ſervile caput nullum jus habet; *l.* 3. *ff de capit. minut.* ſervi perſonam non habent, unde dicuntur ἀπρόσωποι. Theophilo *infr. de ſtipulat. ſerv. init.* adeoque ſervi pro nullis & pro mortuis habentur; *l. quod attinet*, *l. ſervitutem de R. J.*

§. *quibus autem.*

QUibus dignitas magis quam ſtatus commutatur, capite non minuuntur, & ideo ſenatu motus capite non minuitur, ex *hoc* §. quia capitis minutio verſatur tantum in libertate, civitate, & familia; *l. ult. ff. h. tit.* non in dignitate, quæ eſt fortuita, & acceſſoria, nec ad ſtatum perſonæ pertinet, ſenatu motus capite non minuitur, & morandi Romæ jus habet; *l.* 3. *ff. de ſenat.* Senatu motis inſigne veſtis ſenatoriæ, jus ſpectandi in orcheſtra, epulan-

Source : BIU Cujas

dique publice servavit Augustus; Tranquill. *in ejus vit. cap.* 35. & Dio. *lib.* 54. Senatu aut ordine motus existimatione, quæ est dignitatis illesæ status, minuitur non capite; *l. pen. §. minuitur ff. de extraord. cognit.* Hinc senatu motus ob delictum, non potest judex dari vel testis esse; *l.* 2. *ff. de senat. l. eum prætor §. † penult. ff. de judic.*

§. pen.

JUs cognationis tollitur tantum maxima vel media capitis deminutione, puta servitute pœnæ vel deportatione, ex *hoc §. & l.* 3. *ff. unde cognat. l. si cognatis, ff. de reb. dub.* ratio est, quia cognatio est jus sanguinis; *l. qui in adoptionem, ff. de adopt.* jus naturale, quod nulla civili ratione dissolvi potest; *l.* 8. *ff. h. tit. l. jura sanguinis, de R. J.* jus agnationis tollitur quacumque capitis deminutione, etiam minima, ex *hoc §. & l. tutelas † in princ. vers. sed legitimæ, ff. h. tit.* nam agnatio est juris civilis nomen; *l. ult. §. † 2. ff. de grad. & affinib.* & juris civilis institutum, civili ratione facile tollitur. Minima capitis deminutio amittit, id est adimit tutelas & hereditates, quæ ex 12. tab. deferuntur, id est tutelas & hereditates legitimas, quia jure agnationis deferuntur, quæ capitis deminutione perimitur; *d. l. tutelas.*

§. ult.

LEge 12. tab. tutela defertur proximis agnatis, id est proximioribus: quod si plures sint eodem gradu, omnes simul vocantur, ex *hoc §. l. si plures, ff. de legit. tutor.* quia hac lege tutela eodem ordine defertur, quo legitima hereditas; *l. quo tutela, de R. J.* Si plures sint agnati disparis gradus, omnes admittuntur ad tutelam gradatim, id est servata ordinis prærogativa: si plures sint eodem gradu, omnes simul vocantur, sed officio judicis tutelæ administratio solet uni decerni, qui magis idoneus fuerit propter commodiorem unius administrationem; *l.* 3. *ff. de administr. tutor. l. † 5. §. in legitimis, de legit. tutorib. auth. sicut hereditas, C. eod. de legit. tutel.*

De legit. patron. tutel.

CAP. XVII.

LEge 12. tab. tutela ingenuorum defertur agnatis proximis, ut hereditas; *l.* 1. *ff. de legit. tutor.* Eadem lege tutela legitima libertorum defertur patronis, eorumque liberis, quæ & ipsa dicitur tutela legitima, non quod ex verbis legis descendat, sed ex interpretatione legis, ex *hoc §. & d. l.* 1. Ex lege esse dicuntur, non ea modo quæ ex verbis legis descendunt, sed ea etiam quæ ex sententia legis; *l. 6. ff. de V. S.* Tutela libertorum patronis defertur, quia hereditas ab intestato ad eos pertinet, & plerumque ubi successionis emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet, ex *hoc §.* ait plerumque, quia patrona liberti sui heres est, tutrix vero esse non potest; *d. l.* 1. *§.* 1. quia tutela est virile munus; *l. ult. ff. de tutel.* Et ideo regula, quo tutela redit, eo & hereditas pervenit, hanc addit exceptionem, nisi feminæ intercedant, quia mulier arcetur a tutela, excepta matre & avia; *l.* 1. *& auth. matri & aviæ, C. quand. mul. tutel.*

De

Source : BIU Cujas

De legitim. parent. tutel.

CAP. XVIII.

ALia est tutela legitima quæ ex verbis l. 12. tab. defertur proximis agnatis: alia est legitima quæ ex interpretatione ejusdem legis defertur patronis: tertia est legitima quæ parenti manumissori, exemplo patronorum tutelæ, datur.

Si parens filium impuberem manumiserit, id est emancipaverit, ejus tutelam legitimam nanciscitur, ex §. *un. hoc tit. l. si superstite*, C. *de dol.* aut saltem legitimi tutoris vicem sustinet; *l.* 3. §. *ult. ff. de legit. tutor.* Pater idemque manumissor filii impuberis est legitimus ipsius tutor, ut patronus liberti, quia & filio emancipato præmortuo succedit, quasi jure patronatus; §. *ult.* infr. *de legitim. agnat. succeſſ. l.* 2. C. *ad Tertyll.* Ex constit. Justin. pater, qui filium impuberem emancipavit, legitima jura habet, etiam si in emancipatione ea sibi non servaverit; *l. ult. C. de emancipat.* id est legitimam tutelam & hereditatem filii habet. Emancipatio liberorum manumissioni servorum comparatur, & manumissionis nomine intelligitur; *d. l. si superstite, & d. l.* 2. *& l.* 1. *& tot. tit. ff. si a parent. quis manumiss. sit.*

De fiduciar. tutel.

CAP. XIX.

ALia est tutela quasi legitima, quæ olim deferebatur extraneo manumissori, id est extraneo, cui pater naturalis filium impuberem, quem erat emancipaturus, nummo uno vendebat, hac lege fiduciaque, ut is patri naturali eum revenderet manumittendum: qua de causa emptor ille & manumissor imaginarius pater fiduciarius dicebatur, ut est apud Ulpian. *libr. regular. tit.* 11. §. 5. Sed hodie fiduciarii tutoris nomen tribuitur, non parenti manumissori, quia potius obtinuit, ut legitimus tutor appelletur exemplo patroni; *l.* 3. §. *ult. ff. de* † *legit. tutor. & d. l. si superstite*, sublata appellatione patris fiduciarii & emancipatione, quæ fiebat per imaginariam venditionem & manumissionem contracta fiducia, sed tribuitur tantum fratribus filii impuberis emancipati, qui parenti manumissori succedunt in tutelam legitimam: finge si pater filium impuberem emancipaverit, ejus legitimam tutelam nanciscitur: quod si pater decesserit filio emancipato adhuc impubere, & aliis quoque liberis virilis sexus masculis perfectæ ætatis superstitibus, hi vocantur ad tutelam fratris, quæ fiduciaria tutela dicitur in *hoc tit.* & hi fiduciarii tutores fratris impuberis sunt; *l.* 4. *ff. de legit. tutor.* Apul. apolog. 2. *Puerorum avus fato concesſit, relictis filiis ejus heredibus, ita ut Pontianus, qui major natu erat, fratri suo tutor esset.* Cur autem fratres emancipati fiduciarii tutores dicti sint, non alia mihi ratio occurrit, quam quod parentes liberis emancipatis fiduciarii tutores sunt, & patre demortuo fratres succedunt in tutelam, quæ est quasi appendix & sequela parentum tutelæ, quæ fiduciaria dictitabatur. Ex constit. Anastas. frater emancipatus fratris impuberis in potestate retenti heres & tutor est legitimus; *l.* 4. C. *de legit. tutel. l.* 3. C. *de except.*

Source : BIU Cujas

Verſ. ita tamen.

FRater fratris emancipati tutelam non gerit, niſi ſit perfectæ ætatis, ut *hic, & §. item major*, infr. *de excuſ. tut. & l. ult. C. de legit. tutel.* quæ verba a Triboniano adjecta, nam ante Juſtinianum minor 25. annis poterat dari tutor, ſed abſtinebat donec eſſet major 25. annis, interim in ejus locum dabatur curator; *l. non ſolum, §. ſi libertus, ff. de excuſ. §. item major, inſt. eod.* At ex conſt. Juſtin. minor 25. annis non poteſt dari tutor, quia incivile eſt tutorem dari qui ipſe tutore indiget; *l. ult. C. de legit. tutel.*

De † Atilian. tutore.

CAP. XX.

Pr. h. tit.

TUtela alia eſt legitima, alia dativa: legitima eſt quæ defertur lege 12. tab. vel ex interpretatione legis: dativa eſt quæ permiſſu legis datur a magiſtratu, deficiente tutela teſtamentaria vel legitima, a quo datus tutor proprie vocatur dativus; *l. 7. ff. rem pupill. ſalv. fore, l. ult. C. de legit. tutel. l. generaliter, C. de Epiſc. & cleric.* qui & honorarius tutor dicitur apud Ulpian. *lib. regul. tit. de curator.* propterea quod datur a magiſtratu qui honorem gerit; *l. 1. ff. de tutor. dat. l. item apud, §. unde quærit, ff. de injur. §. prætorum*, ſupr. *de jur. natural.* Alias tutor honorarius vocatur qui non adminiſtrationis, ſed honoris cauſa datus eſt; *l. ſi quis tutor, §. quid ergo, ff. de rit. nupt. l. 3. §. ceteri, de adminiſtr. tut. l. quod ſi forte, §. 1. de ſolut.*

Deficiente tutore teſtamentario vel legitimo, tutor in urbe dabatur a prætore urbano & majore parte tribunorum plebis, ex *lege † Atilia*, in provinciis a præſide, ex *lege Julia, & Titia*, ut oſtenditur *init. h. tit. l. 1. ff. de tut. dat.* & apud Ulpian. *lib. regul. tit. de tutel. §. 18.* Hoc jure Feſcenniam Hiſpalam, cujus indicio detecta eſt bacchanalium conjuratio, teſtamentum feciſſe petito tutore a prætore & tribunis plebis, quia nempe mulieres erant in perpetua tutela, nec poterant teſtari niſi tutore auctore, ut ſcribit Livius lib. 39. *Feſcennia eo proceſſerat conſuetudine capta, ut poſt patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a tribunis & prætore petito, cum teſtamentum faceret, unum Ebutium inſtitueret.* Hoc autem favore pupilli inſtitutum eſt, ut conſenſus majoris partis tribunorum in dando tutore prævaleret, ut tutor eligeretur qui plurium niteretur ſuffragiis, quoniam alias interceſſio unius tribunorum plebis, ceteros impediebat, & plus valebat unius contradictio, quam conſenſus ceterorum; Gell. *lib. 13. cap. 12.* Ita & favore religionis SC. cautum, ne templum arave dedicaretur abſque juſſu ſenatus aut majoris partis tribunorum plebis; Liv. lib. 9. *Itaque ex auctoritate ſenatus latum ad populum eſt, ne quis templum aramve injuſſu ſenatus aut tribunorum plebis partis majoris dedicaret.*

§. I.

TUtor ſub conditione vel ex die teſtamento dari poteſt, & ſi hoc modo datus fuerit, interim tutor datur a magiſtratu, ex *hoc §. & l. ſi quis ſub conditione, ff. de teſtam. tutel.* Item ſi tutor teſtamento pure datus fuerit, dum

Source : BIU Cujas

dum hereditatis aditio pendet, tutor dandus est a magistratu ; *l. si nemo* , *l. si hereditas* , *ff. eod.* & in *hoc ipso* §. quia tutela testamentaria iniri non potest, priusquam hereditas ex testamento adita sit ; *d. l. si hereditas*: testamentum vires accipit ab aditione hereditatis, alioquin corruit non adita hereditate, & si conditio vel dies extiterit, vel hereditas adita sit, tutor datus a magistratu tutor esse desinit, ex *hoc* §. *& d. l. si quis sub conditione*. Tutor autem sub conditione dari a prætore non potest, & si datus sit, tutoris datio nullius est momenti ; *l.* † *6.* §. *sub conditione* , *ff. de tutel.*

§. *Sed ex his.*

PRocedente tempore tutores desierunt dari ex *ll.* † *Atilia & Julia, & Titia*, & tutores dari cœpere a consulibus ex inquisitione, ex *hoc* §. quod constitutionib. introductum est ; *l.* 1. §. 1. *ff. de confirm. tut. l. tutores* , §. *tutores* , *de administr. tutor. l. si cui libertas* , *de condit. & demonstrat. l.* *) 1. *C. de consulib.* & a Claudio primum hoc institutum ; Tranquill. in Claud. cap. 23. *Sanxit, ut pupillis extra ordinem tutores a Coss. darentur*: ait extra ordinem, quia Coss. non habebant jus dandi tutores jure magistratus, sed lege speciali & beneficio Principis, exinde consules jure dandi tutores usi sunt ; Plin. lib. 9. epist. 13. *Cornutus datum se a consulibus tutorem Helvidii filiæ , petentibus matre ejus & vitrico*. Et rursus ex constit. Antonini tutorum datio a Coss. rediit ad prætorem, ac prætor unus tutelaris creatus, penes quem esset tutoris datio in urbe ; Capitolin. in Antonino Philosoph. *Prætorem tutelarem primus fecit, quum antea tutores a consulibus poscerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur*. Ab eo tempore jus dandi tutores vel curatores mansit apud prætorem ; *l.* 1. *C. de offic. prætoris* ; quare prætores tutelarum & libertatum præsides vocat Justinianus *nov.* 13. *cap.* 1. Dixi ex constitutione Antonini tutorum dationem collocatam penes prætorem tutelarem, & hoc est quod insinuat Justin. *in hoc* §. cum ait tutores a prætoribus ex constitutionibus dari cœpisse. Cur autem tutores desierint dari ex *ll.* † *Atilia, Julia, & Titia*, in causa fuit, quod essent leges imperfectæ, nec per eas provisum esset, ut tutor satisdaret rem pupilli salvam fore, nec ut tutores dati inviti compellerentur suscipere tutelam, & tutores dabantur sine inquisitione an essent idonei, unde res pupillares jacebant in magno discrimine, ut recte agnovit Justinianus *hic*.

§. *Sed hoc jure.*

JUre novo tutorem Romæ dat præfectus urbi, vel prætor secundum suam jurisdictionem ; id est præfectus urbi tutorem dat illustribus, spectabilibus, vel clarissimis personis, prætor ceteris, ex *hoc* §. *& l.* 1. *C. de tutor. & cur. illustr. personar.* non tamen jus dandi tutorem habent vi jurisdictionis, id est jure magistratus, sed quia hoc eis nominatim concessum est a lege, vel constitutione Principis. Tutoris datio non est imperii, neque jurisdictionis, id est non competit jure magistratus, sed ei soli competit, cui nominatim data est lege vel SC. vel constitutione Principis ; *l. muto*, §. *tutoris datio*, *ff. de tutel. l.* 1. *ff. de jurisdict.* ut olim prætori urbano ex *lege* † *Atilia* , præsidibus provinciarum ex *ll. Julia*, *& Titia* , & utrisque hodie ex constitutionibus Principum , legato proconsulis ex oratione D. Marci ; *l.* 1. §. *legatus* , *ff. de tutor. dat.* & juridico Alexandrino ex constit. D. Marci ; *l.* 2. *de offic. juridic.* Romæ tutorem dant præfectus urbi, vel prætor secundum suam jurisdictionem , in provinciis præsides, ut *hic & l.* 1. *ff. de tutor. dat. l. sancimus* 30. *C. de episc. aud.* Apul. lib. 1. *Tutores juridici provincialis decreto dati*. Præter præsides , magistratus, id est magistratus municipales jussu præsidum, si non sint magnæ,

Source : BIU Cujas

id est si mediocres sint pupilli facultates, ex *hoc* §. jus dandi tutores datum est omnibus magistratibus municipalibus, eoque jure utimur; *l. 3. ff. de tutor. dat. l. 2. §. si mater, ff. ad SC. Tertyll.* sed non alios dare possunt, quam ejusdem municipii, in quo jurisdictionem exercent; *l. 1. & 3. ff. de tutor. dat. l. scire oportet, §. ult. ff. de excusat. l. 5. C. qui dar. tutor. l. 3. C. qui pet. tut.* Magistratus municipales tutores dant jussu præsidum, id est admonitione, & præcepto præsidum; *l. Lucius Titius, §. cum testamento, ff. de administr. tutor.* Sed tamen tutorem dant jure suo, non ex mandata jurisdictione, quia tutoris datio mandari non potest; *l. nec mandante, ff. † de tutor. dat.* cum non competat jure magistratus, sed a lege, & ea quæ dantur a lege mandari non possint; *l. 1. ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisdict.* Magistratibus municipalibus, inquam, tutoris datio non mandatur a præside, sed ad eos remittitur, ut nominatio magistratuum municipalium ad decuriones; *l. 1. §. solent, ff. quand. appell. sit*, quia magistratus municipales habent jus dandi tutorem a lege vel moribus, id est consuetudine præscripta, quæ vim legis habet: & hoc est quod innuunt illa verba *d. l. 3. de tutor. dat. eoque jure utimur*. Et jussus præsidis non tribuit magistratibus municipalibus jurisdictionem seu jus dandi tutores, sed est nudum præceptum continens admonitionem, ut detur tutor, ut mandatum Pontificis emissum ad Episcopum de corrigendis delictis subditorum non tribuit ei jurisdictionem, sed sopitam & torpentem excitat, nec dirigitur ad eum ut delegatum, sed tamquam ordinarium; *cap. licet in corrigendis, de offic. ordinar. cap. cum aliquibus, de rescript. in 6.*

§. *nos autem.*

EX constit. Justin. si pupilli facultates non excedant quingentos solidos, id est aureos, tutorem dare possunt non solum præsides, sed etiam defensores civitatum una cum Episcopo, non expectato jussu præsidum, vel magistratus, id est duumviri, vel juridicus Alexandriæ, ex *hoc* §. qui delibatus est ex *l. sancimus, C. de episc. audient.* Ex eadem constitut. defensores civitatum, vel duumviri non dant tutorem, nisi legitima cautione, id est satisdatione præstita, suo periculo rem pupilli salvam fore, ut subjungitur *in fin. h. §. & in d. l. sancimus.*

§. *pen.*

TUtela impuberum jure civili, id est lege 12. tab. data est & permissa: datur testamentaria & legitima, permittitur dativa. Tamen tutela est juris naturalis, nihil enim magis congruit juri naturali, quam ut impubes, qui per ætatem se defendere nequit, alterius tutela regatur, ut proditum est in *hoc* §. ne maneat indefensus. Præcipuum enim tutoris officium est, ne pupillum indefensum relinquat; *l. tutoris, ff. de admin. tut.* Tutor debet pupillum in judicio defendere, sed quia quasi dominus rem in judicium deducit, non satisdat de rato, vel judicatum solvi; *l. tutores, l. ult. §. 3. C. eod. l. vulgo, ff. eod.*

§. *ult.*

EX administratione tutelæ vel curationis, quasi ex contractu nascitur actio ultro citroque, directa vel contraria tutelæ inter pupillum & tutorem, utilis negotiorum gestorum inter adultum & curatorem. Tutor ex sua administratione tenetur quasi ex contractu; *l. contractus de R. J.* Tutor admittendo tutelam videtur contrahere cum pupillo, in judicio quasi contrahitur; *l. 3. §. idem scribit, ff. de pecul.*

Du-

Source : BIU Cujas

Duplex est actio tutelæ, directa, & contraria: directa quæ pupillo in tutorem datur finita tutela, contraria quæ datur tutori in pupillum.

Tutelæ actio non datur nisi finita tutela; *l.* 1. §. *ult. l.* 4. *ff. de tutel. & rat. distrah.* immo nec actio ex stipulatu rem pupilli salvam fore committitur, nisi finita tutela; *l.* 4. §. *hanc stipulationem, ff. rem pupilli salvam fore.* Aliud est in actione utili negotiorum gestorum, quæ datur in curatorem, nam cum curatore agi potest etiam durante administratione, statim ut quæque res minoris salva esse desierit; *l. cum curatore, ff. de administr. tutor. l. si tutor, §. ult. ff. de tutel. & rat. distrah.* Ratio differentiæ est, quod tutor datur personæ, & habet potestatem in personam pupilli, quam non habet curator, & ideo pupillo non datur actio in tutorem, nisi finita tutela, & soluta potestate tutoris.

Tutor finita tutela tenetur administrationis rationem reddere, ex *hoc* §. nimirum actione tutelæ directa, & contraria actio tutelæ datur tutori in pupillum, si forte pro eo aliquid utiliter impendit, vel pro eo se obligavit; §. *tutores*, infr. *de oblig. quæ ex delict.*

De auctorit. tutor.

CAP. XXI.

Duæ sunt partes seu munia tutelæ, administratio, & auctoritas: ob id de singulis proprii sunt tituli in pandectis & codice. Administratio consistit in cura personæ & rerum pupilli, quam tutor per se gerit sine pupillo. Auctoritas tutoris est expressus consensus tutoris, qui interponitur actibus pupilli, qui animi judicio fiunt; *l. qui tutor, ff. de administr. tut. l. pupillus, de adq. rer. dom. l. pupillus, de R. J.* id est actibus, qui certum animi judicium desiderant, veluti si servus manumittendus sit, si hereditas adeunda, si quid alienandum, aut jure judiciove agendum. Dispar fuit causa muliebris tutelæ, mulieres etiam puberes erant in perpetua tutela, sed tutores mulierum auctoritatem dumtaxat interponebant, administrationem vero penes se non habebant; præter Ulpian. *libr. regul. tit. de tutel.* M. Tull. in topicis: *Non quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipsi mulieri sine tutore auctore solvas, ita quod aut pupillæ, aut pupillo debeas, recte possis eodem modo solvere.* Et idem pro Cæcinna: *Crede huic testi, has comproba tabulas, hoc non potest, cui filius agnatus sit, ejus testamentum non posse, ruptum judica, quod mulier sine tutore auctore promiserit deberi.* Et Apul. apolog. 2. *Adest etiam tutor auctor mulieris, vir gravissimus & sanctissimus, omni cum honore mihi nominandus Cass. Longinus, quære maxime, cujus auctionis auctor fuerit, quantulo pretio mulier locuples agellum suum præstinarit.* Et Livius lib. 34. *Majores quidem nostri, nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, in manu esse parentum, fratrum, propinquorum.* Etiam moribus Longobardorum mulier non potuit nubere sine auctoritate mundualdi, id est tutoris, ut liquet ex *ll. Longobard. tit. de iis quæ sine voluntate mundualdi ad maritum ambulant.* Et Burchard. *lib.* 19. *decretor.* & *cap.* 1. *de consanguinit. & affinit.*

Princ. h. tit.

Pupillus sine tutoris auctoritate non obligatur ex contractu, unde mutua nascitur obligatio, veluti emptione, venditione, locatione, conductione, depositio, mandato, sed qui cum ipso contrahunt obligantur quia pupillus sine

Source : BIU Cujas

tutoris auctoritate ſuam conditionem meliorem facere poteſt, non deteriorem; ex *init. h. tit.* §. *pupillus*, infr. *de inutil. ſtipulat. l. pupillus*, §. 1. *ff. h. tit.* veluti pupillus ſine tutoris auctoritate non poteſt paciſci ne petat, paciſci vero poteſt ne petatur; *l. contra*, *ff. de pact.* pupillus ſine tutoris auctoritate non poteſt adire hereditatem, quamvis lucroſa ſit, nec ullum damnum habeat; *l. obligari*, §. *hereditatem*, *ff. h. tit.* quia hereditatis aditio eſt quaſi contractus, & obligat heredem oneribus hereditariis; §. *heres* infr. *de oblig. quæ quaſi ex contract. naſc. l.* † *ſi quis abſentis*, §. *heres ff. de oblig. & act. l. more noſtræ*, *ff. de adq. hered. l.* 3. §. *ult. ex quib. cauſ. in poſſ. eatur*. Ac pupilli valde intereſt, ne ſine tutore adeat hereditatem quamvis lucroſa appareat, propter latens forte æs alienum, quod poſtea emergere potuit, ut plerumque evenit. Pupillus ſine tutore non obligatur civiliter; *l. obligari*, *ff. de oblig. & act. l. ſi pupillus*, *de V. O.* ſine tutoris auctoritate naturaliter obligatur ex conſtit. D. Pii in quantum locupletior factus eſt; *l.* 5. §. *pupillus*, *ff. h. tit. l.* † 6. *in princ. de neg. geſt.* puta ſi pupillus ſine tutoris auctoritate pecuniam mutuam ſumpſerit, & ex ea locupletior factus ſit, jure naturali obligatur in quantum locupletior factus eſt, & ſolutam pecuniam condicere non poteſt; *l. ſi pupillus*, *ff. ad l. falcid. l. naturaliter*, §. 1. *de condict. indebit.* quia natura æquum eſt, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem; *l. nam hoc*, *ff. eod.* pupillus ſine tutoris auctoritate ex depoſito obligatur, ſi dolum commiſit in depoſito, & doli capax fuit, puta proximus pubertati, & ſi ex cauſa depoſiti locupletior factus eſt; *l.* 1. §. *an in pupillum ff. depoſit.* pupillus etiam ſine tutoris auctoritate obligatur, ubi ex re ſine conſenſu actio venit ex communiter geſto, ut ſi ſocius in communem fundum utiliter impenderit; *l. furioſus*, *ff. de oblig. & act. l. ut in conductionibus*, *pro ſoc. l.* † *heredes*, §. *non tantum*, *famil. erciſc.*

§. *neque tamen.*

PUpillus ſine tutoris auctoritate neque hereditatem adire, neque bonorum poſſeſſionem petere, neque hereditatem ex fideicommiſſo ſuſcipere poteſt, quamvis lucroſa ſit, nec ullum damnum habeat, ex *hoc* §. *& l. obligari*, §. *hereditatem*, *ff. h. tit.* Pupillus ſine tutore conditionem ſuam meliorem facere poteſt, non poteſt tamen adire hereditatem quamvis locuples videatur, ſine tutore, quia aditio hereditatis certum animi judicium deſiderat, quod cum deficiat in pupillo propter ætatem, omnino ſarciendum & adjuvandum eſt auctoritate tutoris; l. *pupillus de R. J.* ne pupillus adeundo hereditatem ſine tutore, temere implicetur oneribus hereditariis; *l.* 8. *ff. de adqu. hered. l. filio pater*, *de legat.* 1. *l.* 4. *ad Trebell.*

Pupillus non poteſt adire hereditatem per tutorem, id eſt miniſterio ſeu facto tutoris, ſed auctoritate ipſius; *l. pupillus*, *ff. de adq. hered. l. ſervo invito*, §. *ſi pupillo*, *ff. ad Trebell.* niſi pupillus infans ſit, id eſt minor ſeptem annis, quo caſu poteſt adire hereditatem per tutorem; *l. ſi infanti*, *C. de jur. delib.* Extra hunc caſum hereditas non poteſt adiri per tutorem, tutor non poteſt adire hereditatem nomine pupilli, ſed pupillus eam adire debet tutore auctore: aliud eſt adire hereditatem per tutorem, aliud tutore auctore: in aditione hereditatis, quæ fit tutore auctore, pupillus ipſe adit hereditatem, & ſolemnia aditionis celebrat, præſente, & auctore tutore. At ſi aditio hereditatis fiat per tutorem, tutor ipſe ſolemnia peragit. Cur vero hereditas non poſſit adiri per tutorem, ratio eſt quia hereditatis aditio eſt actus legitimus, qui non poteſt expediri per procuratorem; *l. per curatorem*, *ff. de adq. hered.*

§. *tu-*

Source : BIU Cujas

§. tutor.

TUtor † ſtatim in ipſo negotio præſens debet auctor fieri: poſt tempus vero aut per epiſtolam auctoritas interpoſita nullius eſt momenti, ex *hoc §. l. obligari*, §. *tutor*, *ff. h. tit. l. pupillus*, *de adq. rer. dom. l. ſi id quod*, §. *ſi pupilli*, *de reſcind. vendit. l. nunquam*, *de uſucap.* Pugnat *l. ſi quis mihi*, §. *juſſum*, *ff. de adq. hered.* quæ ait tutoris auctoritatem interponi perfecto negotio, ſed facile iſta conciliantur. Hæc enim verba idem ſonant, ac ſi ſcriptum eſſet, in perficiendo negotio, & in re præſenti, id eſt in ipſo tractatu & curriculo negotii, ut interpretatur Hotomann. *hoc loco*. Sic accipe quod dicitur in *l.* 1. *ff. de ſolut.* creditorem, cui debetur ex pluribus cauſis, debere conſtituere in quam cauſam ſolutum velit, in re præſenti, hoc eſt ſtatim atque ſolutum eſt, ſeu potius dum pecunia ſolvitur & numeratur.

§. ult.

JUre veteri creditor debitori tutor dari poteſt, ſi ſit creditor ex cauſa anteriori tutelæ, puta ſi fuit creditor patris pupilli, & cum creditor debitori tutor datur, tantum abeſt ut amittat actionem ſuam, quinimmo quod debetur ſibi ſolvere poteſt; *l. fiſtulas*, §. 1. *ff. de contrah. empt. l. quotiens*, §. *ſicut autem*, *de adminiſtr. tutor. l. creditorem*, C. *qui dar. tutor.* & qui litem habet cum pupillo, non excuſatur a tutela, niſi lis fuerit de omnibus bonis, vel maxima parte eorum, vel de ſtatu; *l.* 6. §. *pen. l. ſi pupillum*, *cum ſeq. ff. de excuſat.* Hoc jure ſi tutor litem habeat cum pupillo, quia non poteſt eſſe auctor in rem ſuam, prætorius tutor, id eſt ſpecialis tutor, in litem a prætore datur, ut olim fieri ſolebat, ex Ulpian. *libr. reg. tit. de tutel.* §. 24. ſed datur ſpecialis curator cum quo agatur, ex *hoc* §. *& l.* 3. §. *ſi pupillus*, *ff. de tutel. l.* 1. C. *de in lit. dand. tut.* vel datur contutor; *l. neque a tutela*, C. *de excuſ.* Et tutor datus ſi rem communem habeat cum pupillo, non excuſatur a tutela, quod diviſio fieri poſſit dato curatore; *l. quod res*, C. *eod.* ſed ex *nov. Juſtin.* 72. *cap.* 1. quæ contexta eſt in *auth. minoris*, C. *qui dar. tut.* creditor vel debitor pupilli non admittitur ad tutelam, niſi ſit mater & avia; *nov.* 94. *cap.* 2. *auth. ad hæc*, C. *quand. mul. tutel. offic. fung.* quia affectio utriuſque ſuſpicionem fraudis amovet; *l. non ſolum*, §. 1. *ff. de rit. nupt. l. ſi ſuperſtite*, C. *de dolo*. Quod dixi, ſi tutor litem habeat cum pupillo, dari curatorem in litem, hoc verum eſt ſi ſit unicus tutor, nam ſi habeat contutorem, eo auctore lis peragitur, nec erit opus curatore; *l. ſi plures* † *de teſtam. tut. l.* 1. C. *de in lit. dand. tutor.*

Si plures ſint tutores, unius auctoritas ſufficit, quia tutela ipſo jure eſt individua; *l. inter tutores*, *ff. de adm. tutor.* niſi tutela inter tutores diviſa ſit per regiones vel partes, quo caſu ſinguli tutores auctoritatem præſtant pro ſuis regionibus vel partibus, vel ſi res agatur, quo tutela diſſolvatur, puta ſi pupillus in adrogationem detur, quia hoc caſu omnium auctoritas deſideratur: perabſurdum enim eſt tutelam diſſolvi ignorante vel non conſentiente eo, qui tutor datus eſt; *l. ult.* C. *de auctorit. præſtand.* etſi pluribus datis tutoribus, unius auctoritas ſufficiat, tamen ejus auctoritas rata non eſt, qui non habet adminiſtrationem tutelæ, id eſt qui actu tutelam non gerit; *l.* 4. *ff. h. tit. l.* 7. §. *ult. ff. de curat. furioſ.* puta tutor honorarius, vel notitiæ gratia datus, id eſt ad inſtruendos tutores, tamen etiam his recte ſolvi poteſt, niſi a prætore eis fuerit interdicta adminiſtratio, vel prohibitum eis ſolvi, quia periculum tutelæ ad eos pertinet; *l. quod ſi forte*, §. *ſunt quidam*, *& §. ei*, *ff. de ſolut. l.* 1. C. *de peric. tut.*

Source : BIU Cujas

Quib. mod. tutel. finitur.

CAP. XXII.

TUtela finitur pubertate, quod hodie indistincte certum quoad masculos & feminas: mulieres enim desierunt esse in perpetua tutela, ex Ulpian. *libr. regul. tit. de tutel. in fin.* Olim pubertas varie æstimabatur, Sabinianis ex pube, id est habitu corporis, & hoc est quod ait *l. minor* 32. *ff. de minorib. & l.* 3. *C. si minor se majorem*, pubertatem probari ex aspectu corporis, Proculianis ex annorum numero, id est ex 14. annis in masculis, & 12. in feminis, Prisco Javoleno ex utriusque concursu, id est ex habitu corporis & annis; Ulpian. loco modo laudato. Serv. 7. Æneid. in illum vers.

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Secundum jus, inquit, dictum, in quo ut ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas comprobatur: sed quia inspectio pubis fœdior visa est Justiniano, & indigna castitate suorum temporum, pubertatem ex solis annis æstimari voluit, ita ut post 14. annum masculi, post 12. feminæ censeantur esse puberes, ex constitutione, quæ memoratur *hic*, quæ est in *l.* † *indecoram*, C. *quando tutor. esse desinant.*

§. I.

TUtela finitur si pupillus adrogatus sit, vel deportatus, vel si in servitutem redigatur, vel si ab hostibus captus fuerit, ut *hic & l. si adrogati, ff. de tutel.* Tutela finitur adrogatione, quia adrogatus transit in familiam & potestatem adrogatoris; §. † 2. supr. *de adopt. l. nec ei*, §. 1. *ff. eod.* deportatione pupilli, nam etiam de impubere supplicium sumitur, si sit proximus pubertati, & doli capax; §. *pen.* infr. *de oblig. quæ ex delicto, l.* 5. §. *& ideo, ff. ad l. aquil. l. excipiuntur, ad Silan. l.* † *pupillus, de R. J. cap. referente, de delict. puer.* quod variis exemplis illustrari potest ex Tacit. 5. *annal.* Dione *lib.* 47. Pausan. *in Arcad.* Quintil. *lib.* 5. *instit. cap.* 9. & Apul. *apolog.* 2. Tutela finitur captivitate pupilli, ut *hic*, & §. *item ea* 17. infr. *de rer. divis. & d. l. si adrogati*. Et curator bonis datur; *l. ab hostibus, ff. ex quib. caus. major.* Sed si pupillus revertatur ab hostibus, jure postliminii tutela ejus redintegratur, ut de tutore dicitur; *l. quamvis, ff. de tutel. & rat. distrah.* Tutela finitur servitute pupilli, puta si ingratus sit in patronum, quo casu revocari potest in servitutem, si sit proximus pubertati, & doli capax, quia minori in delictis non subvenitur; *l. si ex causa*, §. *nunc videndum, l. auxilium*, §. 1. *ff. de minorib. l.* 1. C. *si adverſ. delict.*

† Probatur potius ex *l. pupillum* 111. *de R. J.*

§. *sed* † *& si usque.*

SI tutor testamento datus sit sub certa conditione, vel ad diem, tutor esse desinit existente conditione, vel die, ex *hoc* §. *l. tutor* 8. §. 1. *l.* † *si quis sub conditione, ff. de testam. tutel.*

† V. in terminis *l. si adrogati* §. *ult. ff. de tutel.*

§. *si-*

Source : BIU Cujas

§. simili modo.

TUtela finitur morte pupilli, vel tutoris, ut *hic*, *& l. 4. ff. de tutel. & rat. distrah.* quia mors omnia solvit; *nov. 22. cap. 20.* & tutela, cum sit munus personale, non transit ad heredem; *l. tutela 16. ff. de tutel.* & hoc est quod dicitur in *l. 6. §. pen. ff. de his qui not. infam.* in actione tutelæ, vel pro socio, heredem suo nomine non damnari, quia actio tutelæ, & pro socio, est famosa.

§. sed & capitis deminutione.

TUtela solvitut maxima, vel media capitis deminutione tutoris, puta servitute pœnæ, vel deportatione, ex *hoc* §. quia necesse est, ut tutor sit liber, & civis Romanus. Tutela est munus civile, minima capitis deminutione tutoris perimitur legitima tutela, quæ defertur agnatis, quia perit jus agnationis, propter quam defertur legitima tutela; §. *ult.* supr. *de legit. agnat. tutel. l. tutelas, ff. de capit. minut.* Tutela vero testamentaria & dativa non perimitur minima capitis deminutione tutoris, veluti si se in adoptionem dederit, quia filiusf. potest esse tutor: in publicis enim causis non spectatur jus patriæ potestatis; *l. filiusf. ff.* † *de his qui sui*. Etiam minima capitis deminutione pupilli tutela perimitur, ex *hoc ipso* §. puta adrogatione pupilli; quia nemo simul esse potest in potestate patris & tutoris; *l.* *) *pupillus, ff. de V. S.*

§. pen.

SI tutor datus sit ad certum tempus infra pubertatem, eo exacto tutela perimitur, ex *hoc* §. *& l.* † *si quis sub conditione, ff. de testam. tutel.* aliquin tutela non finitur nisi pubertate.

† Recurre ad supr. cit. *l. si adrogati*, §. 2. *de tutel.*

De curatoribus.

CAP. XXIII.

Pr. h. tit.

TUtor datur lege 12. tab. vel permissu legis: hac lege non dabatur curator nisi furiosis & prodigis: exinde lege Lætoria cautum est, ut curatores darentur minoribus causa cognita, id est propter lasciviam, si malis moribus præditi essent, si dissoluti, si luxui dediti: sed quia curationis datione lædebatur adolescentum existimatio, D. Antoninus constituit, ut omnibus adultis indistincte curatores darentur, sine causæ cognitione; Capitolin. in ejus vit. *De curatoribus vero, cum ante nonnisi ex lege Lætoria, vel propter lasciviam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, ut omnes adulti curatores acciperent non redditis causis.* Et hoc est quod ait Ulpian. in *l. 1. §. ult. ff. de minorib.* hodie, id est ex constitutione D. Antonini, minoribus curatores dari usque ad 25. annum, etiam rem suam bene gerentibus, quod nequaquam ita accipiendum, ut curator detur invitis, curator enim non datur invitis, nisi ex certis causis, sed ut ante 25. annum non credatur eis libera bonorum suorum administratio, puta ne possint res suas alienare, vel obligare sine curatore; *l. 3. C. de in integr. rest. minor.*

Source : BIU Cujas

Lege Lætoria curator dabatur minoribus usque ad 25. annum; *l. 2. C. Th. de donat.* Hac lege succursum est minori circumscripto dolo adversarii; M. Tull. 3. off. *Atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela 12. tabulis, & circumscriptio adolescentium lege Lætoria.* Et idem lib. 3. de nat. Deor. *Inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria, inde everriculum malitiarum omnium judicium de dolo malo.* Hanc legem quinam vicenariam, quod subveniret minoribus ad eam usque ætatem, comice vocat Plaut. in Pseudolo.

Perii! an non tum lex me perdit quina vicenaria?
Metuunt credere omnes: eadem est mihi lex, metuo credere.

Curator datur puberibus utriusque sexus, minoribus usque ad annum 25. completum, ex *init. h. tit. & l. 1. ff. de minor.* Curator hodie datur etiam feminis, hæ olim erant in perpetua tutela, nec eis libera erat tutoris optio, sed dabatur eis tutor a prætore & tribunis plebis permissu viri, non sine causæ cognitione. Singulari beneficio Fescenniæ Hispalæ SC. datum, ut ei tutoris optio esset; Liv. libr. 39. *Senatus consultum factum est utique Fescenniæ Hispalæ datio, deminutio, gentis enuptio, tutoris optio ita esset quasi ei vir testamento dedisset, utique ei ingenuo nubere liceret.* Ita testamento viri mulieri dabatur optio tutoris, ut tutorem ipsa sibi eligeret quem vellet, & hoc genus tutorum est, quos potestate mulierum contineri ait M. Tull. pro Muren. *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii, majores in tutorum potestate esse voluerunt. Hi invenerunt genera tutorum, quæ potestate mulierum continerentur.* Liviæ & Octaviæ speciali beneficio ab Augusto datum, ut sine tutore res suas gererent; Dio. libr. 49.**) καὶ τὸ τὰ σφέτερα ἄνευ κυρίου τινὸς διοικεῖν, *sine domino* ideſt sine tutore, qui quantum ad providentiam pupillarem domini loco habetur; *l. tutor qui 27. ff. de adm. tut.* Porro mulieribus dabatur tutor, non rei administrandæ gratia, sed auctoritatis præstandæ causa, quæ finiebatur nuptiis per coemptionem, seu conventionem in manum; auctore Boetio in topic.

Curator datur puberibus usque ad 25. annum, quia licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt, ut sua negotia tueri non possint, ut subditur in *pr. h. tit.* id est res suas idonee gerere non possunt; *l. 1. §. ult. ff. de minor.*

§. *dantur.*

CUratores dantur ab iisdem magistratibus, a quibus tutores, ex *hoc* §. hoc est etiam a magistratibus municipalibus; §. † 4. *supr. de Atil. tut. l. 3. ff. de tutor. dat.* Curator testamento non datur, si datus fuerit confirmatur decreto prætoris vel præsidis, ex *hoc* §. *& l. si furioso, in pr. ff. de cur. fur. l. ult. C. eod.* Curator testamento inutiliter datur; *l.* † *2. C. de confir. tutor. l. tutelæ, C. de testam. tut. l. curatorem, C. de negot. gest.* sed datus confirmatur a præside, vel prætore, sine satisdatione, quia paternum testimonium pro satisdatione est; *d. l. ult.* Curator testamento non datur, quia sc. nulla lex hoc permisit, nec enim lex 12 tab. patriæ potestatis vim, post mortem patris diutius durare voluit, quam usque ad pubertatem filii, ex quo testamentum pupillare, quod pater filio facit, non valet ultra eam ætatem; *l. 2. ff. de vulgar. & pupillar.*

† Melius deducitur ex *l. 1. §. ult. ff. de confirm. tut.*

§. *item inviti.*

CUrator non datur invito, præterquam in litem, ex *hoc* §. *& l. 1. C. qui pet. tutor.* & hoc est quod ait *l. si impuberi*, §. *ult. ff. de tutor. dat.* curatorem dari minoribus desiderantibus, & quod scriptum est in *l. 3. §. si pupillus, ff. de tutel. & l. 2. §. ult. qui pet. tut.* curatorem non dari adolescen-

Source : BIU Cujas

ſcenti ad litem, ſive agat, ſive conveniatur, niſi ipſe petat, civiliter intelligendum eſt, ſi enim monitus curatorem non petat ne conveniatur, compelli poteſt a prætore ut petat; *d. l. 3. §. ſi pupillus, verſ. idem Caſſius*, cui conjunge *l. 1. C. qui pet. tutor.* Curator datur minori etiam invito ad litem, ſive agat, ſive conveniatur, ne ſententia ſit irrita, ſententia enim dicta cum minore ſine tutore vel curatore, nullius eſt momenti; *l. 1. C. qui legit. perſ. ſtand. in judic. hab. l. pen. C. ſi adv. rem judic. l.* † *antepen. C. qui dar. tutor.*

Curator dari poteſt certæ rei, vel certæ cauſæ, ex *hoc ipſo* §. puta curator dari poteſt dotis conſtituendæ, augendæ, vel permutandæ cauſa; *l. non tantum, ff. de tutor. dat. l. ſive generalis, de jur. dot.* Tutor certæ cauſæ dari non poteſt, quia datur perſonæ non rebus. Curator datur rebus non perſonæ. Curator rei familiaris adminiſtrationem ſuſtinet; *l. in copulandis, C. de nupt.*

§. *furioſi*, §. *ſed & mente captis.*

CUrator datur etiam majoribus 25. annis, puta furioſis, prodigis, mente captis, ſurdis, & perpetuo morbo laborantibus, quia rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt, ex *his §§. l. his qui, ff. de tutor. dat. l. ſi furioſo, de curat. furioſ. l. 1. C. eod.* Lege 12. tab. furioſis & prodigis agnati curatores dantur; *l. 1. & l. ſæpe ff. eod.* Varro lib. 1. de re ruſtic. cap. 2. *Mente eſt captus, atque ad agnatos & gentiles eſt deducendus.* M. Tull. Tuſc. 3. *Ajacem, Oreſtem furere dicimus. Qui ita ſit affectus, eum dominum eſſe rerum ſuarum vetant* 12. *tabulæ.* Senec. 2. controv. 3. *Ego ſemper ſcio, nullum patri curatorem dari, quia iniquus pater ſit, aut impius, ſed quia furioſus*: de curatore prodigis dando Horat. lib. 2. ſerm. 3.

interdicto huic omne adimat jus
Prætor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.

prodigis a prætore datur curator; *l. 1. ff. de curat. furioſ.* Valer. Max. lib. 3. de Fabii Maximi filio: *Ei Quintus Pompeius prætor urbanus paternis bonis interdixit.*

Si furioſus in patris poteſtate ſit, curatorem accipere non poteſt, quia ſufficit ei paterna verecundia: quis enim eſt affectus qui vincat paternum, vel cui alii credantur res liberorum gubernandæ, omiſſis parentibus? *l. ult. in pr. C. de curat. furioſ.* ſi vero furioſus ſit minor 25. annis, curator ei datur, non ut furioſo, ſed ut minori, quaſi ætatis eſſet impedimentum, & magis ut ætati, quam dementiæ conſulatur; *l. 3. §. 1. ff. de tutel.*

Furioſi vel prodigi, quibus bonis interdictum eſt, non poſſunt alienare, vel obligari etiam auctore curatore, ſed curatorem ipſum contrahere oportet, ut eos eorumve bona obliget, & ut per alienationem, ſi modo ex juſta cauſa facta ſit, dominium transferatur; *l. Julianus, & ſeq. cum l. ult. ff. de curat. furioſ. l. is cui bonis, de V. O.*

Lege 12. tab. curatio furioſorum datur agnatis, ſed moribus inolevit, ut curatores a præfecto urbis vel prætore in urbe, a præſide in provinciis ex inquiſitione dentur, ex *hoc* §. ait ex inquiſitione, id eſt cauſa cognita, an curator ſit idoneus, alioquin curatio quidem furioſi agnatis relinquitur, ſed adminiſtratio rerum a prætore alteri datur; *l. ſæpe, ff. de curat. furioſ.* vel etiam cauſa cognita, an is cui datur curator vere furioſus ſit, quod plerique furorem vel dementiam fingant, quo onera civilia, id eſt municipalia, detrectent; *l. obſervare, ff. de curat. furioſ.* vel ut ſimulatione dementiæ pœnam ſcelerum defugiant; *l. Divus Marcus, ff. de offic. præſid.*

Ex l. 12. tab. curator datur furioſis & mente captis; *l. nec mandante, l. his qui, ff. de tut. dat.* Mente capti ſunt, qui mente prorſus abalienati ſunt;

Source : BIU Cujas

furiosi, qui habent intervalla; *l. si furiosi, C. de nupt. l. tam dementis, C. de episc. aud.* Curator datur prodigis ut furiosis, id est exemplo furiosorum, quia prodigi, qui non habent modum & rationem expensarum, pro furiosis habentur; *l. his qui, ff. de tutor. dat. l. 1. de curat. furios.*

§. interdum.

TUtorem habenti tutor non datur, ex *hoc §. l.* † *l. si sororis, C. qui dar. tut. l. cum jure, C. qui pet. tut. l. 4. C. in quib. cas. tut. hab.* Neque obstat quod ab initio plures tutores dari possunt; *l. si plures, ff. de legit. tutor. l. simul, de tut. dat.* quia cum omnes simul eodem actu dati sint, & unius ejusdemque personæ tutelam gerant communi periculo, propter negotii & periculi communionem, omnes unius loco habentur; *l. tres tutores, ff. de adm. tut.*

Tutorem habenti curator adjungitur ex certis causis, puta si tutor idoneus non sit propter egestatem; *l. pietatis, C. de suspect. tutor.* vel propter valetudinem, vel senium ætatis; *l. solet, ff. de tutel.* vel propter late diffusum patrimonium; *l. testamento, C. de excus.* puta si bona pupilli sint in diversis provinciis, vel alia in Italia, alia in provinciis; *l. tutores qui post, §. rerum, ff. de administr. tutor.* vel ob incrementum facultatum pupilli; *l. quotiens, in fin. ff. eod. l. ult. C. in quib. casib. tutor. hab.*

Tutorem habenti curator dari potest, curatorem habenti etiam alius curator; *l. ventri, ff. de tutor. dat.* quia curator non personæ, sed rebus datur, quæ cum divisionem recipiant, nihil vetat curatori certæ rei vel causæ adjungi curatorem alterius rei vel causæ.

Tutorem habenti tutor non datur, nisi in locum tutoris absentis reip. causa, licet ille tutor esse non desinat; *l. quæsitum, ff. de tutel. l. 1. C. in quib. casib. tutor. hab.* Neque pugnat *l. in omnem, ff. de tutor. dat.* quæ ait in omnem rem curatorem dari, in ejus tutoris locum, qui reip. causa abest, quia licet ex SC. in locum tutoris absentis reip. causa debuerit alius tutor dari, curator datur, qui est vice tutoris, nec enim ejus officium durat ultra pubertatem; *l. 2. C. in quib.* † *casib. tutor. hab.* & judicio tutelæ seu protutelæ eum teneri quidam existimant; *l. 3. C. de arbitr. tutel.*

Tutori si idoneus non sit, nec tamen fraudulenter administret, curator adjungitur, ex *hoc §.* Tutori in rebus pupilli mala fide versanti, non tutor adjungitur, sed ut suspectus removetur, & alius tutor datur; *l. pietatis, C. de suspect. tutor.*

Vers. item loco tutorum.

TUtori qui ad tempus excusatur, curator datur, ex *hoc vers. l. in omnem, & seq. ff. de tutor. dat. l. 1. & 2. C. in quib. casib. tutor. hab.* ubi curator in locum tutoris ad tempus excusati datus cessante causa excusationis curator esse desinit, totaque administratio redit ad tutorem, & ineunte pubertate curator esse desinit: quod si tutor in perpetuum excusetur, non est locus curatori, sed alius ei tutor substituitur; *l. pen. C. in quib.* † *casib. tut. hab.*

§. ult.

TUtor si tutelæ oneri impar sit, ob valetudinem, vel ætatem, vel molem administrationis, potest constituere actorem suo periculo, ad agendum, & defendendum, id est actorem in litem auctore prætore vel præside, si pupillus absit, vel infans sit, ex *hoc §. & l. decreto, ff. de adm. tut. l. tutor, ff. quand. ex fact. tut. l. actor, rem rat. hab. l. neque, C. de procurat. l.* † *un. C. de actor.*

a tu-

a tutor. dand. l. si actor, C. de appell. quem *l. solet, ff. de tutel.* vocat adjutorem. Actorem, inquam, constituere potest, non procuratorem ; *d. l. neque, & d. l.* 1. quippe procurator ab eo solo constitui potest, qui est dominus litis. Tutor vero non fit dominus litis contestatæ, post litem contestatam, tutor vel curator exemplo procuratoris, alium procuratorem constituere non prohibetur ; *d. l. neque*. Hæc regula limitatur, si pupillus absit, vel infans sit ; nam si præsens sit, vel major infante, potest constituere procuratorem, tutore auctore ; *d. l. neque, & d. l. decreto*.

De satisdat. tutor. & curat.

CAP. XXIV.

Pr.

TUtores vel curatores tenentur satisdare, rem pupilli vel adolescentis salvam fore, ut cavetur *init. h. tit.* Ascon. Verr. 3. *Pupillum dicit, huic jube satisdare Rabonium, hoc est ipsum sibi, nam cum sit tutor pupilli, utrobique res ejus agitur*. Et Sidon. libr. 4. epist. 24. *Fratri nec dum curator, curatori nec dum satisdator inventus est*. Satisdatio rem pupilli salvam fore interponitur, per stipulationem eo nomine comparatam a prætore, qua continetur quicquid in tutelæ judicium venit ; *l. cum pupillus, ff. rem pupill. salv. fore*. Hæc satisdatio est cautio, quæ fit datis fidejussoribus ; *l.* 1. *ff. qui satisd. cog.* nimirum quia est cautio prætoria, fidejussorem desiderat ; *l. prætoriæ* 7. *ff. de prætor. stipulat.*

Tutores testamento dati satisdare non coguntur rem pupilli salvam fore ; *l. testamento* 17. *ff. de testam. tutel. l.* 3. *&* 4. *C. de tutor. vel curat. qui satis non ded.* quia paternum testimonium pro satisdatione est ; *l. ult. C. de curat. furios. l. de creationibus, C. de episc. audient.*

Tutores non jure testamento dati, & confirmati decreto prætoris vel præsidis, puta testamento dati a matre, non tenentur satisdare ; *l.* 2. *l. tutores, l. ult. ff. de confirm. tut. l.* 4. *C. de tutor. vel curat. qui satis non ded.* Tutores vel curatores ex inquisitione dati a prætore vel præside non tenentur satisdare, quod idonei electi sunt, ut discetis ex *princ. h. tit. & d. l.* 4. *l.* 5. *ff. de confirm. tut.* inquisitio pro satisdatione est. Idem in curatore civitatis, ex inquisitione lecto a præside ; *l. ult.* §. † *item rescripserunt, ff. de administr. rer. ad civit. pertinent.*

§. I.

QUod si plures sint tutores testamento vel ex inquisitione dati, is qui satisdare paratus, in administratione præfertur, ne in plures tutela dividatur ; *d. l.* 4. *l. testamento* 17. *ff. de test. tutel.* & hæc est sententia *h.* §. Quod si omnes parati sint satisdare, omnes gerent ; *d. l. testamento* : non semper autem præferendus est is qui satisdat, sed causa cognita ; prætor enim inspicere debet, qualis sit qui satisdationem offert, & quales sint contutores, vel concuratores, num forte ejus existimationis & honestatis sint, ut non debeant satisdationis contumeliam subire ; *d. l. testamento*, §. 1. Quippe contumeliosum est desiderare satisdationem ab honesto & probato viro, & satis iniquum est satisdatione onerari idoneum tutorem vel curatorem, ut de herede dictum est in *l. hæc stipulatio*, §. 1. *ff. ut legat. vel fideic. caus. caveat.* Quod si nullus e

Source : BIU Cujas

tutoribus datis satisdationem offerat, is administrabit, quem pater testamento designavit, ut tutelam gereret, nisi prætor justa de causa consilium testatoris improbet, aliique administrationem credendam censeat, ut subjicitur in *hoc* §. & *l.* 3. §. *si parens*, & §. *quamvis*, *ff. de administr. tut.* Quod si testator non caverit quisnam e pluribus tutelam gereret, tunc ille administrabit, qui a majori parte tutorum vel curatorum lectus fuerit, *ut hic & l. si nemo*, §. *hoc edictum*, *ff. de testam. tutel. & l.* 3. §. *si non erit*, *ff. de adm. tutor.* Quod si in eligendo dissentiant, tunc prætor partes suas interponet, & causa cognita decernet quis tutelam gerat, ex *hoc* §. & *d. l.* 3. §. *si non erit*, & *l. quod si forte*, §. 1. *ff. de solut.* Curator furiosi ex inquisitione datus, nisi idoneam substantiam possideat, tenetur satisdare secundum quod possibile est; *l. ult.* §. *etsi quidem*, §. *sin autem* 6. *C. de curat. furios.* id est tenetur dare fidejussorem pro modo facultatum & tutelæ, id est administrationis. Satisdatio præstanda est pro viribus ejus qui satisdat, & secundum ejus possibilitatem; *l. de creationibus*, *C. de episc. aud.* Satisdatio enim est onerosa, & difficile est invenire fidejussorem; *l. omnes*, §. *præterea*, *C. de Episc. & cleric.* excipitur nisi idoneam substantiam possideat, id est bona immobilia, possessores enim immobilium non tenentur satisdare; *l. sciendum*, *ff. qui satisd. cog.* Legitimi tutores, etiam patroni satisdare debent, rem pupilli salvam fore, sed hoc causa cognita decerni a prætore melius est, an patronus satisdare debeat. Et si persona patroni sit honestior, satisdatio ei remittitur, si sit vilior, ibi satisdatio locum habet; *l.* 5. §. 1. *ff. de legit. tutor.*

§. *sciendum*.

ACtio tutelæ datur in tutores, vel fidejussores eorum, vel subsidiaria etiam datur in magistratus municipales, qui tutores dederunt, si tempore finitæ tutelæ non sint solvendo, vel solidum a fidejussoribus eorum servari non possit, ut *hic & l. in magistratus*, *C. de magistrat. conv.* Hæc autem actio datur in eos, qui omnino fidejussorem non exegerunt, vel non idoneum, ut subjungitur *hic*, nihil enim refert utrum satisdatio exacta non sit, an minus idonea; *l. quotiens*, *ff. qui satisd. cog.* Hæc actio datur etiam in heredes magistratuum municipalium, qui tutores vel curatores dederint, ex responsis prudentum & constitutionibus, ut disces in *fin. h.*§. Hæc actio ex SC. quod factum est auctore D. Trajano, dabatur tantum in magistratus municipales, qui tutores vel curatores dedissent; *d. l. in magistratus*, sed ex interpretatione prudentum & constitutionibus Principum hæc actio etiam in heredes datur; *l.* 4. *ff. de magistrat. conv. l.* 2. *C. eod.*

§. *ult.*

HÆc actio subsidiaria non datur in majores magistratus, qui tutores vel curatores dederint: puta in præfectum urbi, prætorem, vel præsidem, quibus tutores dandi jus est, sed in eos tantum, qui satisdationem exigere solent, ut scriptum est in *hoc* §. id est in magistratus municipales, vel scribam, id est actuarium prætoris, qui satisdationem exigere solent; *l. ult. C. de magistr. conv. l.* † 1. *C. de tutor. vel curator. illustr. personar.* Ratio dubitandi erat, quod magistratus municipales habent jus dandi tutores; *l.* 3. *ff. de tutor. dat.* & tamen tenentur subsidiaria, ergo videbatur majores magistratus eodem jure censendos; sed subsidiaria datur in magistratus municipales, quia moribus satisdationem exigere solent. Si tutores vel curatores non satisdent rem pupilli salvam fore, ad id compelluntur captis pignoribus, ut prius proponitur *initio h.* §. Tutores vel curatores, qui non satisdant, ad id coguntur captis pignoribus,

Source : BIU Cujas

ribus, vel removentur tanquam ſuſpecti ; *l.* 2. *C. de tut. vel curat. qui ſatis non ded.* Capio pignorum eſt executio, quæ fit captis pignoribus : *par ſaiſie de biens*, qua contumaces coercentur ; *l.* 1. §. *quid ergo*, *ff. de ventr. inſpic. l.* 4. §. *an tamen*, *de damn. infect. l. ſi is cum quo*, *comm. divid. l. quemadmodum*, §. *pen. ad l. Aquil. l.* 9. §. *ult. ad l. Jul. peculat.* & hoc eſt quod remedium prætoris appellatur *in d. l.* 1. §. *quid ergo*, & ſtrictius remedium in *l.* 3. *C. de ſuſpect. tutor.* Etiam magiſtratus municipales habent jus compellendi tutores vel curatores, ut ſatiſdent captis pignoribus, habent enim pignorum capionem ; *d. l. quemadmodum*, §. *magiſtratus*, *l.* 3. §. 1. *ff. de reb. eor. qui ſub tut. vel cur. ſunt*, *l.* *) 2. §. *ult. ff. de public. judic.* Ut & Pontifices maximi habebant idem jus in flamines, & alios minores ſacrificulos ; Liv. lib. 37. *Certamen inter P. Licinium Pontificem Maximum fuit*, *& Q. Fabium prætorem flaminem Quirinalem*, *imperia inhibita ultro citroque*, *& pignora capta*, *& multæ dictæ*. Et conſules in ſenatores per contumaciam a ſenatu abſentes ; M. Tull. Philipic. 1. *Quis autem*, inquit, *tanto damno ſenatorem coegit*, *aut quid eſt ultra pignus*, *aut multam?* Et Craſſus apud eund. 3. de oratore, dum in Philippum Coſ. invehitur: *Me his*, inquit, *pignoribus exiſtimas poſſe terreri? Non tibi illæ ſunt cædendæ*, *ſi Craſſum vis coercere : hæc tibi eſt excidenda lingua*.

De excuſationib.

CAP. XXV.

QUia tutela onus & periculum in ſe continet, varias excuſationum cauſas recipit, quarum aliæ perpetuæ ſunt, aliæ ad tempus.

Prima eſt numerus liberorum, quæ excuſat in perpetuum: qui plures liberos habet, id eſt tres in urbe, quatuor in Italia, quinque in provinciis, excuſatur a tutelis & curationibus, exemplo ceterorum munerum, ut legitur *init. h. tit. & l.* 2. §. *remittit*, *ff. h. tit.* Symmach. lib. 1. epiſt. 78. *Sabiniano per impreſſionem nequaquam patior fratris ſui liberorum tutelæ munus imponi*, *duobus enim privilegiis amolitur injuriam*, *maturitate ævi*, *& numero filiorum*. Numerus liberorum excuſat a publicis muneribus, id eſt a muneribus municipalibus ; l. 1. *& 2. ff. de vacat. & excuſ. muner. l. ult. C. qui numer. liber.* nimirum numerus quinque liberorum excuſat a muneribus perſonalibus ; *l.* 3. §. *quamvis*, *ff. de munerib. & honor.* numerus decem & ſex a muneribus patrimonialibus, quæ rei & perſonæ cohærent ; *l. ſemper*, §. 2. *ff. de jur. immunit.*

Numerus liberorum excuſat a tutela & curatione, ſive ſint in poteſtate, ſive emancipati, ut ſubjungitur *init. h. tit. & l.* 2. §. *legitimos*, *ff. h. tit.* cui conjugenda eſt *l. amiciſſimos*, §. 1. *ff. eod.* ubi pater numero trium liberorum non excuſatur a tertii filii emancipati curatione, quia contra naturales ſtimulos pugnat, ſi tali excuſatione utatur.

Ceterum requiritur, ut ſint jam nati : in multis partibus juris, qui ſunt in utero pro natis habentur, tamen ex conſtitutione Severi pro natis non habentur, ut proſint patri ad excuſationem tutelæ & munerum civilium ; *l.* 2. §. *qui autem*, *ff. h. tit.* quoniam qui in utero eſt, pro nato habetur, ut ſibi proſit, non alii ; *l. qui in utero* 7. *ff. de ſtat. hom.* item requiritur, ut ſint naturales & legitimi ; adoptivi non proſunt, ex *init. h. tit. l.* 2. §. *legitimos*, *ff. h. tit. l.* 2. §. *adoptivi*, *de vacat. & excuſat. muner.* Liberi naturales non excuſant patrem a tutelis & aliis muneribus civilibus, quia reip. intereſt liberis civibus remp. augeri ; *l.* 2. *C. de indict. viduit. tollend.* Nepotes ex filio patre præmortuo proſunt avo ad excuſationem a tutela vel curatione, quia patris per-

Source : BIU Cujas

sonam repræsentant ; *init. h. tit. & l.* 2. §. *non solum*, *ff. h. tit. l.* 3. *C. de his qui numer. liber.* itaut quotquot fuerint pro uno censeantur ; *d. l.* 2. §. *non solum* : secus nepotes ex filia non prosunt avo materno, quia liberi sequuntur patrem non matrem, ut additur *init. h. tit.* Item liberi superstites tantum prosunt patri ad excusationem tutelæ vel curæ, nisi bello amissi sint, id est in acie ceciderint, extra aciem defuncti, puta in castris vel metatis vel in itinere, non prosunt patri, sed tantum qui in acie, quoniam in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur ; *init. h. tit. l. bello amissi*, *ff. h. tit. l. ult. de vacat. & excus. muner.* Milites, qui in bello pro rep. cecidissent, in divorum martyrum numerum cooptari voluit Nicephorus Phocas ex Zonar. *in ejus vit.*

§. I.

QUi res fisci administrat, a tutela & cura excusatur, quamdiu est in actu, ex *hoc* §. *l.* † *honorem*, *ff. de munerib. & honor.* etiam qui administrat rem Principis, idest rem privatam Principis citra codicillos, id est sine munii forma, *sans provisions du Prince*, excusatur a tutela & curatione per tempus administrationis ; *l. administrantes*, *ff. hoc tit.* Sic colonus patrimonialis, id est fundi patrimonialis, seu privati Principis, excusatur a tutela & curatione ; *l. ult. C. qui dar. tut.* Idem de exactoribus tributorum ; *l. exactores*, *C.* † *de excusat. tut.* Fiscus a patrimonio, seu privata substantia Principis, distinguebatur, ex instituto Augusti ; Dio. *libr.* 53. & hoc sensu, quod dicitur in *l. ult. C. de quadrienn. præscript.* omnia Principis esse, continet tantum bona fiscalia & patrimonialia seu privata Principis, non subditorum.

§. *item qui reipublicæ.*

QUi reip. causa absunt, a tutela & cura excusantur, quamdiu absunt hac de causa, & post reditum intra annum a tutela & cura suscipienda excusantur, ex *hoc* §. *l. non solum*, §. 1. *ff. h. tit. l.* 1. *& 2. C. si tut. vel cur. reip.* Tutores vel curatores dati a tutela vel cura ante legationem suscepta tamdiu excusantur, quamdiu absunt, & interim curator datur, reversi recipiunt onus tutelæ & curæ, nec habent anni vacationem, ex *hoc* §. Tutor testamento datus, tutelam ante absentiam reip. causa susceptam, statim atque reversus sit, recipit, nec excusatur tamquam a nova tutela, una enim tutela est ; *d. l. non solum*, §. *quas denique*, *l. Titius ff. h. tit.*

§. *& qui potestatem.*

QUi potestatem habent, id est majores magistratus, qui sunt cum potestate & imperio, a tutela se excusare possunt, susceptam semel deponere non possunt, ex *hoc* §. *Lege* 12. tab. etiam majores magistratus testamento tutores dari poterant ; *l. tutor* 20. *ff. de testam. tutel.* & magistratus municipales ; *l. ubi*, §. 1. *ff. de tutor. & cur. dat. l. pen. qui pet. tutor.* Sed moribus obtinuit, ut qui cum potestate aut imperio erant, se excusare possent ; *l.* 6. §. *remittuntur*, *ff. h. tit.* Ædiles quoque tutores dari possunt, sed eis se excusare licet ; *l. non tantum*, §. *is qui*, *ff. h. tit.* quæ pertinet ad ædiles municipales. Erant ædiles etiam in municipiis ; *l. qui insulam*, §. *ædilis*, *ff. locat.* Pers. satyr. 1.

Fregerit heminas Aretj ædilis iniquas.

Denique non modo magistratus, sed etiam omnes, quibus a Principe cura injuncta est, excusantur a tutela vel curatione, donec cura principali funguntur ; *l. geometræ*, §. 1. *ff. h. tit.* veluti is qui extra ordinem vice præsidis provinciam regit ; *l.* 1. *ff. de tut. dat. l. ex consensu*, *de appellat. l.* 1. † *C. de offic.*

Source : BIU Cujas

fic. ejus qui vic. judic. vel præſid. obtinet. Interdum cura provinciæ etiam privato dabatur a Principe vice præſidis vel rectoris ordinarii: & hoc eſt quod in idiotiſmo dicitur *par forme de commiſſion*. Hinc curationes a magiſtratibus recte diſtinxit M. Tull. Verrin. 4. *Magiſtratus, curationes, Sacerdotia.*

§. *item propter litem.*

TUtor vel curator datus non excuſatur propter litem, quam habet cum pupillo vel adoleſcente, niſi ſit de omnibus bonis, vel majori parte, ex *hoc §. l. propter litem, ff. h. tit. l. ſi ut allegas, C. eod.* vel de ſtatu perſonæ pupilli; *l. 6. §. pen. ff. eod.* Hoc jure etiam creditor debitoris, vel debitor creditoris tutela aut curatione non excuſabatur; *l. creditorem, C. qui dar. tutor. l. neque, C. hoc tit.* ſed hodie non jure datur tutor vel creditor debitori, vel e contra; *nov. 72. auth. † minoris, C. qui dar. tut.* niſi ſit mater vel avia; *nov. 94. auth. matri & aviæ, C. quand. mul. tutel. offic.*

§. *item tria.*

NOn affectatum onus trium tutelarum vel curationum excuſat a quarta: qui habet tres tutelas vel curationes, quarum adminiſtratio nondum emenſa eſt, excuſatur a quarta, ex *hoc §. l. 2. §. ult. l. 3. l. ſi is qui tres, ff. h. tit.* ait tres tutelæ non affectatæ, nam ſi quis tres tutelas mediocris vel tenuioris pupilli callide affectarit, ut ab alia excuſationem pararet, nihil proſunt; *l. ſpadonem §. † eſt autem, ff. h. tit.* Item onus trium tutelarum non cenſetur ex numero liberorum, ſed ex onere adminiſtrationum, & diverſitate patrimoniorum, ita ut tutela trium fratrum, quorum patrimonium indiviſum eſt, pro una computetur, ex *hoc §. & d. l. 3. & d. l. ſi is qui tres, §. ult.* Quandoque una tutela excuſat ab alia, ſi tam diffuſa & negotioſa ſit, ut pro pluribus æſtimetur; *d. l. ſi is qui tres, §. ult.* In numero trium tutelarum non imputatur, ſi magiſtratus municipalis tutores dederit, etſi in ſubſidium teneatur, vel ſi ſit fidejuſſor tutoris, vel tutor honorarius, qui non expers eſt periculi tutelæ; *d. l. ſpadonem, §. ſi civitatis, l. ſi quis tutor, §. quid ergo, ff. de rit. nupt.* una tutela veteranos excuſat a ſecunda, in paganis tres requiruntur; *l. ſed & milites, §. quæſitum, ff. h. tit. l. *) 2. C. de veteran.*

§. *ſed & propter.*

TUtor etiam a tutela vel cura excuſatur propter paupertatem, ſi probet ſe oneri injuncto imparem, ex *hoc §. l. paupertas, l. poſt ſuſceptam, §. 1. ff. h. tit.* Tutor excuſatur propter paupertatem, ſi minus in bonis quam 50. aureos habeat; *l. nonnulli, ff. de accuſat.* non removetur quaſi ſuſpectus propter paupertatem, ſi fidelis ſit & diligens, quia mores tutorem ſuſpectum faciunt, non inopia; *§. ult.* infr. *de ſuſpect. tut. l. ſuſpectum, ff. eod. l. in poſtulandis, C. eod.* ſed propter paupertatem adjungitur ei curator locuples decreto prætoris; *l. pietatis, C. eod.* paupertas excuſat a tutela, ſi tutor datus ſit impar oneri ferendo, quia tutoris officium eſt gratuitum. Tutor quidem repetit ſumptus bona fide in tutelam factos, non ſumptus pro ſe factos, nec petit ſalarium vel mercedem, niſi ab eo, qui ipſum tutorem dedit, ei conſtitutum ſit; *l. a tutoribus, §. ult. ff. de adminiſtr. tutor.* Ob paupertatem quis excuſatur etiam ab oneribus patrimonialibus, non ab oneribus quæ corpori indicuntur, id eſt operis; *l. 4. §. inopes, ff. de munerib. l. ult. C. de his qui num. liber.*

Source : BIU Cujas

§. *item propter adversam.*

ADversa valetudo, quæ talis est, ut quis negotiis suis superesse non possit, excusat a tutela, ex *hoc* §. *l. non solum*, §. *ult. ff. h. tit.* nec solum excusat a suscepta tutela, sed etiam a suscipienda; *l. & non tantum, l. post susceptam, ff. hoc tit.* Hæc causa in perpetuum, vel ad tempus excusat, prout est valetudo, & si sit temporaria, interim curator datur; *l. idem, ff. h. tit.*

§. *similiter.*

QUi litteras nesciunt, sive imperiti litterarum excusantur a tutela ex rescripto D. Pii, quamvis ad administrationem negotiorum possint sufficere, ut ait Justinianus *hic*. Ex rescripto D. Pii imperiti litterarum omnino, & absciisse excusantur a tutela, forte propter inscitiam rationum conficiendarum; *l. si is qui tres*, §. *ult. ff. h. tit.* sed ex sententia Pauli, imperiti litterarum non excusantur, si modo non sint expertes negotiorum; *l. 6.* §. *ult. ff. h. tit.* id est rerum agendarum, & hoc est quod Justinianus voluit *hic*, Pauli sententiam sequutus, enarrato rescripto D. Pii: hæc enim dictio, quamvis non est nota ampliationis, sed correctionis, ut recte notat Accurs. *hoc loco*, qnasi dixisset imperitos litterarum excusari a tutela, nisi ad administrationem tutelæ sufficiant, & sint periti rerum, quæ est interpretatio etiam *l. expertes*, C. *de decur. lib.* 10. cum ait expertes litterarum non prohiberi esse decuriones, nimirum si sint periti & callentes negotiorum: magis sc. spectatur peritia rerum, quam imperitia litterarum, quia hæc potest suppleri per scribam, alias imperiti litterarum excusantur tamquam minus idonei & impediti ad res agendas, propter imperitiam litterarum, qua ratione & in magistro pecoris litterarum peritiam desiderat Varro 2. *de re rustic. cap.* 10. is enim sine litteris idoneus non est quoad rationes dominicas pecuarias conficere, nequicquam recte potest: ex quo intelligis rusticum, vel imperitum litterarum esse qui nescit legere & scribere, ut in *l.* 3. §. 2. *ff. de accusat. & in l. jubemus*, C. *de testam.* & hac analogia Cæsar dixit Sullam nescisse litteras qui dictaturam deposuisset, ex Tranquill. *in ejus vit. cap.* 77. & Nerv. *utinam*, inquit, *nescirem litteras*, & litteratura pro arte quæ docet litteras, docere Quintil. 2. *instit. cap.* 1. Augustin. *lib.* 1. *contr.* Crescon. *cap* 14. & Martian. Capell. *lib.* 3. & literator γραμματοδιδάσκαλος. Catullus.

Munus dat tibi Sulla litterator.

§. *item si propter.*

TUtor propter inimicitias a patre pupilli datus, id est malevolo animo ut vexetur, excusatur onere tutelæ, nisi patri pupilli promiserit se tutelam gesturum, ex *hoc* §. *& l. 6.* §. *dat remissionem, ff. h. tit.* quia malitiis non est indulgendum; *l. in fundo, ff. de rei vindicat.* Ex sententia SC. Liboniani, qui sibi in testamento alieno tutelam adscripsit, volente & subscribente testatore, non excusatur numero liberorum, vel alia causa, quia promisisse videtur, nec ut suspectus removetur, quia patris subscriptione confirmatur; *l. ex sententia, ff. de testam. tutel.* Lectus propter inimicitias ad munus civile negotii facescendi causa, potest appellare; *l.* 1. §. 1. *ff. de vacat. & excus. mun. l. un. C. si propter inimicit.*

§. *non*

Source : BIU Cujas

§. *non esse autem.*

TUtor testamento datus non potest se excusare, quod sit ignotus patri pupilli, ex *hoc* §. *& l. spadonem*, §. *qui dixerit*, *ff. h. tit.* Incertus tutor dari non potest; *l. tutor* 20. *ff. de testam. tutel.* quia certum debet esse consilium testantis, & conferri in certam personam, sed aliud est incertum, aliud ignotum tutorem dari. Ignotum dicimus, qui testatori quidem non est notus de facie vel familiaritate, tamen de fama notus est, qua de causa incertus dici non potest: pari ratione ignotus heres institui potest; §. *ult.* infr. *de hered. instit. l. quidam*, *ff. eod. l. extraneum* 11. *C. eod.* quia sufficit ut sit notus affectu: at incertus non potest institui; *l.* 9. §. *heres*, *ff. eod. l. sciendum*, *de V. S.* Ignoto quoque legari potest, incerto non potest; § *incertis*, infr. *de legat.* Ignoto donari potest, incerto non item; *l. in extraneos*, *C. de donat.*

§. *inimicitiæ.*

CApitales inimicitiæ, quas quis cum patre pupilli habuit, excusant a tutela, nisi reconciliatio intercesserit, ex *hoc* §. *& l.* 6. §. *dat remissionem*, *ff. h. tit.* Ita & legatum adimitur intervenientibus post testamentum factum capitalibus inimicitiis, sed si in amicitiam redierint redintegratur; *l.* 3. §. *ult. & l.* 4. *ff. de adimend. legat. l. liberi*, *C. de inoff. testam.* quia mortalium inimicitiæ non debent esse immortales; Homer. Odyss. λ.

ἦ ἀρ᾽ ἔμελλες,
ἀδὲ θάνων λήσεσθαι ἐμοὶ χόλῳ, εἵνεκα τευχέων
ἀλομένων;

nonne ergo eras
Ne mortuus quidem obliturus mihi iræ ob arma
Pernicioſa?

Liv. lib. 40. *amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse.*

§. *item is qui status.*

IS qui a patre pupilli status controversiam passus est, a tutela & cura excusatur, ex *hoc* §. & qui status controversiam movit pupillo, arcetur etiam a tutela & cura, nisi hoc per calumniam fecerit; *l.* 6. §. † *amplius autem*, *ff. h. tit.* nimirum ut causam excusationis pararet. Quæstio de statu, quæ statum personæ oppugnat, an liber sit, an servus, ingenuus, an libertinus, gravissima est, nec dispar est capitis accusare, & in servitutem petere; *l. qui cum*, *ff. de bon. libert.*

§. *item major.*

MAjor 70. annis excusatur a tutela & cura, minores 25. annis tutores dari poterant, sed excusabantur. Ex constitut. Justiniani minor 25. annis nec volens, nec invitus admittitur ad tutelam vel curationem, quia incivile est, eum qui tutore vel curatione eget, alterius curam vel tutelam subire, ex *hoc* §. *& l. ult. C. de legit.* † *tutel.* Major 70. annis excusatur, non modo a tutela, sed & ab aliis muneribus personalibus; *l.* 3. *ff. de jur. immunitat. l.* 3. §. *quamvis*, §. *cura*, *de muner. & honor. l. si ultra*, *C. de decur. l. ult. C. qui ætat.* Jure veteri etiam quinquagesimus annus ætatis excusabat a militia, sexagesimus a senatu; Senec. de brevit. vit. cap. 20. *Lex a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo anno senatorem non citat, diffi-*

Source : BIU Cujas

cilius homines a se ocium impetrant, quam a lege. Et Plin. lib. 4. epist. 23. *Prima vitæ tempora & media patriæ, extrema nobis impertire debemus, ut ipsæ leges monent, quæ majorem annis sexaginta ocio reddunt.*

§. *idem & in milite.*

MIlites nec volentes admittuntur ad tutelam, vel curationem, ex *hoc* §. & *l.* 4. C. *qui dar. tutor.* quia milites, qui discedere a signis sine periculo non possunt, reip. causa absunt; *l. pen. ff. ex quib. caus. major.* Hinc miles datus tutor testamento patris pupilli, & legato relicto, etiam si rejiciat tutelam non amittit legatum, cum nec volens admittatur ad tutelam, & sacramenti militaris religio eum excuset; *l. ab administratione, C. de legat.* quod si miles per errorem tutelam gesserit, non tenetur actione tutelæ, sed negotiorum gestorum; *d. l.* 4. Veterani, qui honeste militiæ tempus implerunt, omnino & in perpetuum excusantur a tutelis privatorum, id est paganorum. Veterani intra annum missionis vacant a tutela & cura commilitonum, post annum excusatione carent, coæqualitas enim honoris militiæ fortior videtur militum privilegio; *l. sed & milites, ff. h. tit.* id est vinculum & quasi necessitudo commilitii fortius est veteranorum privilegio, & commilitium caritatem agnationis, & sanguinis auget; *l. de hereditate, ff. de castrens. pecul.* Aristotel. 8. ethic. cap. 11. ἐν ἁπάσῃ γὰρ κοινωνίᾳ δοκεῖ τι δίκαιον εἶναι, καὶ φιλία δὲ προσαγορεύσει γὲν ὡς φίλους, τὸς σύμπλους, καὶ τὸς συστρατίωτας, *nam in omni societate aliquod jus, & amicitia esse videtur, itaque quasi amicos appellant connavigantes, & commilitiones.* Et Rutilius Numat. itiner. libr. 1.

Præbet equos, offert etiam carpenta tribunus
Ex commilitio carus & ipse mihi.

§. *item Romæ.*

GRammatici, rhetores, philosophi & medici, qui Romæ docent, aut in patria sua has artes exercent, & intra numerum sunt, vacant a tutelis & curis, aliisque muneribus civilibus, ex *hoc* §. & *l.* 6. §. 1. *ff. h. tit.* Ait intra numerum, certus enim esse debet numerus rhetorum, & professorum, in singulis civitatibus pro dignitate cujusque: qui sunt supra numerum non gaudent vacatione a tutelis & curis; *d. l.* 6. §. 2. Et qui intra numerum, non habent vacationem, nisi decreto ordinis vel senatus albo professorum inscripti sint; *d. l.* 6. §. & *utique.* Philosophi vacant a tutelis & curis, & aliis muneribus personalibus, etiam a munere judicandi; *d. l.* 6. §. *est autem.* Plin. lib. 10. epist.† 57. *Cum citarem judices, domine, conventum inchoaturus, Flavius Archippus vacationem petere cœpit ut philosophus.* A tutelis & curis vacant & sacerdotes provinciales; *d. l.* 6. §. *gentium.* Constit. Justin. eodem jure utuntur Episcopi, presbyteri, clerici, & monachi; *l. generaliter, C. de Episc. & cleric.* quod ante moribus introductum; Cyprian. epist. 27. *Non licere presbyterum testamento tutorem nominare; quæ nunc ratio & fama in clero tenetur, ut qui in ecclesia Domini ordinatione clericali promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis & negotiis sæcularibus alligentur &c.* Jure novissimo Episcopi, & monachi etiam volentes non admittuntur ad tutelam, presbyteri, & alii clerici, inviti quidem non suscipiunt tutelam, sed volentes ad eam admittuntur; *nov.* 123. *cap.* 5. *auth. presbyteros, C. de Episc. & cleric. & nov. Leon.* 68.

§. *qui*

Source : BIU Cujas

§. *qui autem.*

QUi vult se excusare, si plures habeat causas excusationis, & de quibusdam non probaverit, aliis uti intra tempora non prohibetur. Qui se excusare vult, statim non appellat a datione, sed intra 50. dies continuos, ex quo cognovit se tutorem vel curatorem datum, se excusare debet; *l.* † *qui autem, l. scire oportet, l. Gajus, ff. h. tit.* Nec adversatur *l. cum in una*, §. 1. *ff. de appellat. & l. tutor* 20. *ff. de administr. tut.* quibus tutor datus, vel se excusare vel appellare potest, hæc enim procedunt secundum ordinem juris, ita ut prius tutor datus proponat excusationem, & si admissa non sit, tunc appellet; *d. l. scire oportet, & l.* † *scire oportet, C. eod. l.* 1. §. *si quis tutor, ff. quand. appelland. sit.* Qui vero ab aliis civilibus muneribus se excusare vult, statim necesse habet appellare; *d. l.* 1. §. *alia causa, l.* 1. §. 1. *ff. de vacat. muner. l. si ad scribatum, l. hi qui ad civilia, l. cives, C. de appellat.* Et hujusmodi appellatio magis querela, quam appellatio dicenda est; *l. si nominatus, C. Th. de appellat.*

† l. ista desideratur. Facit *l.* 38. *eod. tit.*

† Hæc etiam desideratur in C. Recurre ad *l. tutoris* 19. *C. eod.* Cujac. *9. observ.* 35.

Tutor vel curator datus, qui est intra centesimum lapidem, id est milliare, (milliaria enim lapidibus signabantur; Augustin. homil. 50. *Si quisquam viator remeandum sibi esse existimet, cum viderit milliaria lapidea, litteris plena viam docere, & non ambulare.* Rutil. Numat. libr. 1.

Intervalla viæ fessis præstare videtur,
Qui notat inscriptus millia crebra lapis.)

Tutor, inquam, datus, qui est intra centesimum milliare, debet se excusare intra 50. dies continuos non utiles, ex quo cognovit se tutorem vel curatorem datum esse, id est a die denunciationis, vel in faciem vel ad domum: qui vero ultra centesimum lapidem abest, habet singulos dies in singula viginti milliaria, & præterea habet triginta dies, intra quod tempus excusationem proponere debet: sed quia hoc calculo interdum reperiuntur pauciores, quam quinquaginta dies, nempe si tutor aut curator propius quadringentis milliaribus absit, interim tempus producitur, & plures quam quinquaginta dies dantur, videlicet si absit ultra quadringenta milliaria. Interdum præcise reperiuntur quinquaginta dies, nimirum cum non longius abest, quam † quadringenta milliaribus, eo casu quo computatione facta reperiuntur pauciores dies, quam quinquaginta, nihilominus 50. dies conceduntur, alioquin sequeretur absurdum, quod angustius tempus ad proponendam excusationem daretur ei qui longius abesset, quam ei qui propius degeret, & hæc est summa *h.* §. qui contextus est ex *l. scire oportet, ff. h. tit. & l. quinquaginta, C. eod. & l.* 3. *ff. de V. S.* Tutor vel curator datus, qui est intra centesimum milliare, debet se excusare infra quinquaginta dies, hoc tempus idoneum visum est ad tantum iter faciendum, quia singulos in dies justum iter est vicenornm millium passuum; *dd. ll. & l.* 1. *ff. si quis caut.* & dies 50. numerantur a die quo cognovit se tutorem vel curatorem datum esse, id est ex quo ei denunciatum est in faciem vel ad domum; *d. l.* † *scire oportet.* Sic denunciatio, quæ fit vicino, ut caveat de damno infecto, facienda est vel in personam vel ad domum libello foribus affixo; *l.* 4. §. *prætor ait, ff. de damn. infect.* quod & in aliis causis usu tritum est; *l. vim passam*, §. *nupta prius, ff. ad l. Jul. de adulter. l.* 5. §. † 2. *quod vi aut clam, l.* 1. §. 1. *de agnosc. liber.*

§. *datus autem.*

TUtor pupillo datus, universo patrimonio datus intelligitur, ex *hoc* §. *& l. propter litem*, §. 2. *ff. h. tit.* quia tutela principaliter personæ datur, &

Source : BIU Cujas

per consequentiam rebus ; *l.* 4. *l. quia personæ, de testament. tutel.* Et tutela ipso jure est individua ; *l. inter tutores, de administr. tutor.* Hinc si plures conjunctim tutores dati sint, si omnes communiter & pro indiviso tutelam gesserunt, singuli actione tutelæ tenentur in solidum ; *l.* 2. *C. de divid. tutel.* nisi omnes tutores solvendo sint litis contestatæ tempore, quo casu singuli tenentur pro virilibus portionibus, exemplo correorum & confidejussorum ex beneficio epistolæ D.Adriani ; *l.*1. §. *nunc tractemus, & seq. ff.de tutel. & rat.distrah.* quod si omnes solvendo non sint litis contestatæ tempore, hoc casu inopia unius onerat contutores, & qui solvendo sunt tenentur in solidum ; *l. ex pluribus, ff. de administr. tutor. l.*2. *ff. de quib. reb. ad eund. jud. eat.* Quod si tutela sit divisa inter tutores decreto judicis vel voluntate testatoris, unusquisque pro ea parte convenitur, pro qua gessit, non pro parte contutorum, nisi dolus ejus aut culpa arguatur, quod contutorem suspectum non fecerit, vel tardius suspectum postulaverit, re male gesta : si vero ipsi tutores inter se tutelam diviserint, singuli actione tutelæ tenentur in solidum, & pupilli est electio cum quonam experiatur in solidum ; *d. l.* 2. *C. de divid. tutel.* quia conventio tutorum non potest dividere periculum tutelæ, quod est commune & individuum; *l.* 3. *C. eod.*

§. *qui tutelam.*

QUi tutelam pupilli gessit, finita tutela invitus non suscipit ejusdem curationem, *ex hoc* §. *& l. Gaius, ff. h.tit. l. curator, C.eod.* ne duplici onere prægravetur ; *l. fideicommissa*, §. *si quis decem, ff. de legat.*3. *l.honorem, ff. de muner. & honor.* excipe libertum, quem non excusat a cura liberorum patroni eorundem gesta tutela ; *l. libertos, C. h. tit.* ob gratiam accepti beneficii, quod nullo officio pensatur, nulla gratitudine, nisi propria pecunia emptus & manumissus sit ; *l. libertum*, §. *qui propria, ff. eod.* in libertum tamen, qui accepto pretio manumissus est, datur ingrati actio, quia etsi non gratuitum beneficium, magnum accepit ; *l.* 3. *ff. de obseq. par. & patr. præstand.* Quod si quis gesta tutela curationem ultro administraverit, negotiorum gestorum actione tenebitur ; *l. si tutor, ff. de tutel., & rat. distrah.*

§. *iidem rescripserunt.*

MAritus uxori curator datus excusare se potest, quamvis se immiscuerit, ex rescripto Severj & Antonini, ex *hoc* §. Maritus a curatione uxoris excusatur, vel quod verius est removetur. Maritus enim uxori curator dari non potest ; *l. virum, ff. de curat. furios. l.* 4. *l. licet, C. h. tit. l.* 2. *C. qui dar. tutor.* quia non facile conveniretur ad rationes reddendas : & hac ratione etiam tutor pupillam sibi vel filio matrimonio conjungere prohibetur, ne ratio reddendæ tutelæ cohibeatur ; *l. libertum*, §. 1. *l. pen.* §. *sed videamus, ff. de rit. nupt.* ist est ne rationes gestæ tutelæ cohibeantur. Nihil obstat quod maritus sine mandato res uxoris gerere potest ; *l. maritus, C. de procurat. l. ult. C. de pact. convent.* nam maritus quidem ipso jure est procurator mulieris quoad lites & res forenses, ut consulatur pudori mulieris, ne videatur in foro, quæ est ratio *l. maritus* : sed aliud est maritum esse procuratorem mulieris, quod est facti non juris, aliud curatorem, quod est juris.

§. *ult.*

QUi ex falsis allegationibus, id est ex falsis causis a tutela se excusavit, non liberatur onere tutelæ, ex *hoc* §. quia licet tutor non sit, periculum tutelæ ad eum pertinet ; *l. si quis tutor, in pr. ff. de rit. nupt. l.* 1. *& 3. C. si tutor. vel curat. falsi. allegat.*

De

De ſuſpect. tutor.

CAP. XXVI.

SUſpecti crimen deſcendit ex lege 12. tab. ut traditur *init. h. tit. & l.* 1. §. 2. *ff. h. tit.* id eſt ſuſpecti tutoris actio orta eſt *ex l.* 12. *tab.* vel ex ſententia legis, ſicut enim tutela, id eſt tutoris datio lege 12. tab. data eſt vel permiſſa, ita & ſuſpecti tutoris actio petenda eſt ex eadem lege, tamquam ex eodem fonte; M. Tull. 3. offic. *Atque iſte dolus malus, etiam legibus erat vindicatus, ut tutela* 12. *tabulis.*

§. 1.

COgnitio ſuſpecti tutoris competit prætori in urbe, præſidi in provinciis, quo nomine veniunt & proconſules & alii qui provincias regunt; *l.* 1. *ff. de offic. proconſ.* & legatus proconſulis, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *damus*, *ff. h. tit.* Legatus proconſulis habet cognitionem ſuſpecti tutoris, poſtquam proconſul ei mandaverit juriſdictionem; *l.* 1. §. *an autem*, *ff. h. tit. l.* 4. *ff. de offic. ejus cui mand. eſt juriſdict.* Legatus proconſulis, etſi non gerat magiſtratum, ſed vicem magiſtratus, mandata juriſdictione habet jus dandi tutoris, vel judicis; *l. legatus*, *l. pen. ff. de offic. proconſ. l.* 1. *de tutor. & curat. dat.* & jus quoque removendi ſuſpecti tutoris. Legatus proconſulis nihil proprium habet, niſi mandata ſibi juriſdictione a proconſule, ſed ſemel mandatam, quaſi propriam exercet; M. Tull. pro Flacco: *M. Gratidius legatus, ad quem eſt aditum, actionem ſe daturum negavit.* Legatus proconſulis mandatam juriſdictionem ita propriam habebat, ut proconſul omnino cogeretur ei mandare juriſdictionem, quia legatum non eligebat ſuo arbitrio, ſed ei dabatur a ſenatu, vel a populo Romano, ut Servilio proconſuli in Italia, quæ tum proconſularis erat, Fonteium a ſenatu legatum datum ſcribit Appian. 1. de bell. civil. ἐπανῃρέθη δ' αὐτῷ καὶ Φοντήϊος, ὃς ἐπρέσβευεν αὐτῷ· καλεῖσι δ' ἔπως τοὺς τοῖς ἡγεμόσι ἐθνῶν ἐκ δ βυλῆς ἑπομένους ἐς βοήθειαν. *Simul cum illo ſublatus eſt Fonteius ipſius legatus, ſic vocant præſidibus provinciarum a ſenatu adjutores datos.* Et Pompeio proconſuli in Italia legatos a ſenatu datos decem & quinque tradit Dio. lib. 36. τῷ δὲ Γναλίῳ αὐτὰ ὑπάτῳ ἐπὶ τρία ἔτη προσέταξαν αὐτῷ ὑποστρατήγους πέντε καὶ δέκα. *Et in Italia proconſuli decreverunt ei legatos quindecim.* Piſonem, quod proconſule legatos ſine ſenatu ſibi aſſumpſiſſet, perſtringit M. Tull. pro Sextio: *Quid? ſua ſponte homines in amicorum periculis veſtitum mutare non ſolent, pro te ipſo Piſo, nemo ne mutavit, ne iſti quidem, quos legatos, non modo nullo ſenatuſconſulto, ſed etiam repugnante ſenatu, tute tibi legaſti?* Et Vatinium, quod C. Coſconii proconſulis ulterioris Hiſpaniæ legatus ſine ſenatuſconſulto fuiſſet, notat idem Tull. in Vatin. *At quoniam legationis tuæ acta mentio eſt, volo etiam audire de te, quo tandem SC. legatus ſis, ne hoc quidem ſenatui relinquebas, quod nemo umquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur?* Quinto fratri proconſuli Aſiæ Tuberonem, Halienum, & Gratidium legatos datos a ſenatu, teſtem habemus ipſum Tull. libr. 1. epiſt. 1. ad Quintum fratrem: *Eos quos tibi comites & adjutores negotiorum publicorum dedit ipſa reſpublica.* Immo & jam adulto imperio legati a ſenatu proconſulibus dati; Capitolin. in Gordian. *Gordiano Africæ proconſuli filius legatus patris exemplo Scipionum gladii poteſtate ſuccinctus eſt.* Apertius Vopiſc. in Prob. *permiſit patribus, ut proconſules crearent, legatos conſulibus darent.* Cognitio ſuſpecti tutoris mandari poteſt, & ve-

Source : BIU Cujas

nit mandata a prætore vel proconſule juriſdictione ; *l.* 1. §. *an autem*, *ff. h. tit.* videlicet ſi ſuſpecti agatur civiliter, quod ſi criminaliter mandari non poteſt, ſuſpecti tutoris accuſatio pro tribunali tantum examinari poteſt, nec alius de ſuſpecto tutore removendo pronunciare poteſt, quam præſes ; *l.* 1. §. *ſuſpecti*, *ff. ad Turpillian.*

§. *oſtendimus.*

OMnes tutores etiam teſtamentarii vel legitimi, ſuſpecti poſtulari poſſunt, ex *hoc* §. *l.* † 1. §. *oſtendimus*, *ff. h. tit. l.* 4. C. *eod.* Etiam curator adulti, furioſi, vel prodigi, ut ſuſpectus poſtulari poteſt ; *l.* 3. §. 2. *ff. eod.* de teſtamentario dubitabatur, quod judicium paternum videatur omnem ſuſpicionem de eo amovere : teſtimonium paternum pro ſatiſdatione & inquiſitione eſt. Sed magis ſpectatur utilitas pupilli, quam judicium patris decepti, cum decipi humanum ſit. Patronus ſi tutor datus ſit liberto, ſuſpecti poſtulari poteſt, ita ut remotus a tutela ob dolum, non fiat infamis ; *d. l.* 1. §. *oſtendimus*, *l. ſi tutor*, *eod. tit.* famoſæ actiones non dantur in parentes patronoſve, nec hæ quidem quæ doli vel fraudis continent mentionem ; *l.* 5. *ff. de obſeq. parent. & patron. præſtand. l. non debet*, † C. *de dolo*. Ob dolum remotus a tutela famoſus efficitur, remotus ob negligentiam, vel ruſticitatem, in hac cauſa eſt, ut integra exiſtimatione diſcedat a tutela vel cura ; *l.* 3. §. *ult. & l.* 4. *ff. h. tit.*

† Corrig. *ff. de dolo*. Et adde *l.* 4. §. 16. *de dol. mal. & met. except.*

§. *conſequens.*

ACtio ſuſpecti tutoris eſt quaſi publica, hoc eſt omnibus patet, *ex hoc* §. *& l.* † 1. §. *conſequens*, *ff. h. tit.* non proprie publica eſt, quia non deſcendit ex ulla lege publicorum judiciorum ; *l.* 1. *ff. de public. judic.* ſed eſt quaſi publica, quia patet parentibus utriuſque ſexus, cognatis, affinibus, libertis, & extraneis ; *l.* 3. §. *liberti*, *ff. h. tit. l. pietatis*, C. *eod. l. is qui*, *ff. de negot. geſt.* Etiam mulieribus, ut matri, aviæ, ſorori, vel aliis quamvis extraneis, quas pietate ad ſuſpecti accuſationem adductas intellexit ; *l.* † 1. §. *quin. immo*, *ff. h. tit.* Hæc actio quaſi publica eſt, unde cognitio ſuſpecti tutoris ſemper pro tribunali habenda eſt, nec poteſt mandari ; *l.* 1. §. *ſuſpecti*, *ff. ad Turpill.* non tamen, ut in publicis judiciis, qui ab hac accuſatione deſiſtit tenetur pœna SC. Turpilliani ; *d.* §. *ſuſpecti*. Tamen licet in publicis judiciis nemo ſine accuſatore damnetur ; *l. reſcripto*, §. *ſi quis accuſatorem*, *ff. de muner. & honor.* tutor etiam ſine accuſatore poteſt removeri, tamquam ſuſpectus officio prætoris, ſi prætori liqueat ex apertiſſimis rerum argumentis eum ſuſpectum eſſe ; *l.* 3. §. *præterea*, *ff. h. tit.*

§. *impuberes.*

IMpuberes tutores ſuos ſuſpecti accuſare non poſſunt, adulti curatores accuſare poſſunt ex conſilio neceſſariorum, ex *hoc* §. *l. impuberibus*, *ff. h. tit. l. pietatis*, C. *eod.* Ratio diverſitatis eſt, quod pupillo non datur actio in tutorem, niſi finita tutela, cum impuberes non habeant legitimam perſonam ſtandi in judicio ; *l.* 1. *&* 2. C. *qui legit. perſ.* At puberes ſtatim ut quæque res eis ſalva eſſe deſierit, etiam manente adminiſtratione cum curatore ſuo agere poſſunt ; *l. cum curatore*, *ff. de adminiſtr. tut. l. ſi cum adhuc*, *in fin. ff. de tutel. & rat. diſtrah.* Quod ſi propinqui rem diſſimulent, adultus poteſt implorare officium judicis, tutor enim vel curator ſuſpectus poteſt removeri officio judicis ; *l.* 3. §. *præterea ff. h. tit.*

§. *Suſ-*

Source : BIU Cujas

§. *Suspectus autem.*

TUtor suspectus potest postulari, quamvis sit solvendo, ex *hoc* §. vel etiam quamvis satisdederit, vel offerat satisdare rem pupilli salvam fore, quia satisdatio malevolum tutoris animum non mutat, sed diutius grassandi in rebus pupilli facultatem præbet; *l. suspectus, cum seq. ff. h. tit.* Tutius est rem pupilli salvam facere, quam ei reservare actionem adversus tutorem, melius est occurrere in tempore, quam post vulneratam causam remedium quærere; *l. ult. C. in quib. caus. in integr. rest. l. 1. C. quand. lic. unicuique sine jud. se vindic. l. 2. C. Th. ad. l. Cornel. de sicar.* Et suspectus tutor non iisdem modis quibus suspectus heres æstimatur, tutorem non facultates, sed fraudulenta & callida in rebus pupilli conversatio suspectum faciunt, heredem vero sola paupertas; *l. si creditores*, §. 1. *ff. de reb. auct. judic. possid.*

Tutor ante tutelam initam quasi suspectus potest removeri, ex *hoc* §. puta ex quo cognovit se tutorem datum esse, si dolo cesset in administratione tutelæ, strictioribus remediis, id est captis pignoribus, compellitur administrationem suscipere, vel si in eadem contumacia perseveret, removetur tamquam suspectus; *l. 2. & 3. C. h. tit.* & hoc est quod Ulpian. scribit in *l. 4. §. ult. ff. eod.* non posse suspecti postulari eum qui nihil gessit, verum ob ignaviam & negligentiam vel dolum posse removeri. Tutor quoque vel curator datus si non satisdet, removetur tamquam suspectus sine infamia, si propter inopiam hoc faciat, vel cum infamia si dolo malo hoc faciat; *l. 2. C. de tutor. vel curat. qui satis non ded.*

§. *Suspectus autem 2.*

SUspectus tutor remotus ob dolum famosus est, si ob culpam non æque, ex *hoc* §. suspectus remotus ob negligentiam, vel rusticitatem, idest imperitiam, in hac causa est, ut integra existimatione discedat a tutela vel cura; *l. 3. §. ult. & l. seq. ff. h. tit.* Ob latam culpam, id est graviorem negligentiam, quæ dolo æquiparatur, tutor removetur ut suspectus; *l. impuberibus*, §. 1. *ff. h. tit.* non fit tamen infamis, sed nota quadam apud bonos & graves viros non caret; *l. ult. ff. ubi pupill. educar. deb.* id est notatur infamia facti non juris. Suspectus removeri debet decreto prætoris, cui causam remotionis apponi oportet, quæ si omissa sit, remotus est integræ existimationis, id est removetur absque infamia; *l. 4. ff. h. tit.*

§. *si quis autem.*

TUtori suspecti postulato, pendente judicio, tutelæ administratione interdicitur a prætore vel præside, & interim ei adjungitur curator ad administrandum, ex *hoc* §. *& l. eum quem, C. h. tit.* sed & suspecti postulato ipso jure interdicta videtur administratio, & si quis sciens huic solvat, non liberatur; *l. quod si forte*, §. 1. *ff. de solut.* Eadem ratione Episcopus de dilapidatione suspectus factus, interim removetur ab administratione; can. *quia ea*, 3. *qu.* 2. & datur ei coadjutor quoad temporalem administrationem; cap. *venerabili, de offic. delegat.*

§. *sed si suspecti.*

IN publicis judiciis morte rei crimen extinguitur, & actio criminalis solvitur, nec perpetuatur lite contestata; *l. 3. l. defuncto, ff. de public. judic. l.*

Source : BIU Cujas

† *defunctis & passim*, C. *si reus vel accus. mort. fuer.* Excipitur crimen majestatis ; *l. in senatusc.* §. *si propter*, *ff. ad SC. Turpill.* & crimen peculatus, de residuis, & repetundarum ; *l. ult. ff. ad l. Jul. peculat. l. ex judiciorum, de accusat. & d. l. in senatusc.* Extra hos casus morte rei crimen extinguitur, id est pœnæ persecutio non datur in heredem, sed persecutio eorum, quæ ex delicto defuncti ad eum pervenerunt ; *l. un. C. ex delict. defunct.*

† V. si probat. Faciunt *l.* 12. *C. arbitr. tut. & tot. tit. C. de hered. tutor.*

Actio suspecti tutoris est quasi publica, si tutor suspecti accusatus decesserit, pendente judicio, morte rei suspecti judicium solvitur, ex *hoc* §. Tutelæ autem actio adversus heredem durat ; *l.* 1. §. 16. *& l.*† 3. *ff. de tut. & rat. distrah.*

§. *Si quis tutor.*

SI tutor copiam sui non faciat, id est latitet, ne alimenta pupillo decernantur, in possessionem bonorum propriorum ejus pupillus mittitur, & quæ mora deteriora futura sunt distrahi jubentur, & si perstet in contumacia, ut suspectus removetur, ex *hoc* §. *l.* 3. §. *tutor*, *l. impuberibus*, §. 1. *ff. h. tit. l. ult. ubi pupill. educar.* Ita si debitor latitet, & a nemine defendatur, creditor mittitur in possessionem bonorum debitoris, crediti servandi causa ; *l.* 1. *ff. ex quib. caus. in possess. eatur.*

§. *Sed si quis.*

SI tutor falso, quasi per inopiam, alimenta neget pupillo, non quasi suspectus removetnr, id est non satis est quasi suspectum removeri, sed remittitur ad præfectum urbi puniendus, sicut & qui tutelam pecunia redemit, ex *hoc* §. qui repetendus est ex *l.* 3. §. *sed si non latitet*, *ff. h. tit. l.* 1. §. *solent*, *de off. præfect. urb.*

Source : BIU Cujas



IN INSTITUTIONUM JUSTINIANI LIBRUM SECUNDUM

De rer. divis. & adq. rer. domin.

CAP. I.

In princ.



ERUM aliæ in patrimonio noſtro ſunt, aliæ extra patrimonium, id eſt aliæ ſunt in bonis noſtris, aliæ extra bona: ut ſubſtitutio nondum delata extra bona eſt; *l. ſubſtitutio, ff. de adquir. rer. domin.* id eſt ſpes ſubſtitutionis pendente conditione nondum eſt in bonis. Hac analogia Macrob. lib. 2. cap. 1. **) *Neque ego ſum neſcius*, inquit, *nos nec triſtitiam nec nubilum vultum in bonis ducere.*

Jure naturali res ſunt communes, vel publicæ, vel univerſitatis, vel nullius, vel ſingulorum, ex *init. h.tit. & l.* 2. *ff. eod.* Ait jure naturali, id eſt jure gentium, nam primævo naturali jure omnia erant communia inter homines, jure gentium dominia diſtincta ſunt; *l.* 5. *ff. de iuſtit. & jur.* Jus gentium juris naturalis appellatione continetur, quia naturali ratione nititur; *l.* 1. *ff. de adq. rer. dom.* Quarumdam rerum dominium nanciſcimur jure gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peræque ſervatur: naturalis enim ratio, quæ primum communionem rerum inter homines fovit, eadem, cum lapſis moribus hominum non convenire commu-

Source : BIU Cujas

nionem intellexiſſet, & inde rixas & bella oriri, dominia diſtinxit, ut diſcordiæ ſedarentur, quas materia communionis ſolet parere; *l. cum pater*, §. *dulciſſimis*, *ff. de legat.* 2. *l. in re communi*, *ff. de ſervit. urb.* Ex quo ſatis arguitur non omnia Principis eſſe: quod enim ait *l. bene a Zenone*, *C. de quadrienn. præſcript.* omnia eſſe Principis, ita accipiendum eſt, ut intelligantur eſſe Principis, non tantum res patrimoniales, id eſt res privatæ Principis, ſed etiam res fiſcales. Omnia ſunt Principis imperio, ſingulorum dominio, ut eleganter ait Senec. lib. 7. de benefic. cap. 4. & ſeq. idem Dio Chryſoſtom. orat. 31. ἡ γὰρ ἡ χώρα τ̃ πόλεως, ἀλλ' ὑδὲν ἧττον τ̃ κεκτημένων ἕκαστος κύριος ἔστιν τ̃ ἑαυτ̃ *Et regio civitatis eſt, nihilominus tamen poſſidentium quiſque dominus eſt rerum ſuarum.*

§. I.

NAturali jure, id eſt jure gentium, communia ſunt omnium, quorum uſus omnibus hominibus communis eſt, ut aer, aqua profluens, mare & per hoc litora maris, ex *hoc* §. *& l.* 2. §. 1. *ff. h. tit.* Auguſtin. in pſalm. 131. *Numquid propter illa, quæ communiter poſſidemus, litigamus, aerem iſtum communiter ducimus, ſolem communiter omnes videmus.* Communia alia ſunt a publicis: communia ſunt quorum uſus communis eſt omnibus hominibus, proprietas nullius eſt: publica ſunt quæ uſu communia ſunt, ſed proprietate ſunt populi, vel civitatis, ſeu univerſitatis. Aqua profluens communis eſt omnibus, hæc differt a flumine, ut pars a toto, eſt quaſi corpus fluminis. Aquam eſſe ποταμ̃ σ̃μα ait Chæremon Tragicus *apud Athen. lib.* 2. *cap.* 6. Aqua profluens communis eſt; Ovid. 6. Metamorph.

Quid prohibetis † aquis? uſus communis aquarum.

Flumen vero non eſt commune, ſed publicum.

Mare eſt commune omnibus hominibus, id eſt natura omnibus patet, maris communis uſus ut aeris; *l.* 3. §. 1. *ff. ne quid in loc. public.* Inde fundo maritimo ſervitus ipſo jure imponi non poteſt, ne contra eum thynnaria piſcatio exerceatur, quia mari, quod natura omnibus patet, ſervitus imponi privata lege, id eſt pactis privatorum, non poteſt, ſed tamen pacto & ſtipulatione confirmatur; *l. venditor*, *ff. commun. præd.* id eſt ſi is, qui habebat duos fundos maritimos, vendendo alterum depactus ſit, ne præter illum quem retinebat piſcatio fieret, ſervitus ipſo jure impoſita non eſt, ſed tamen emptor tenetur actione ex pacto vel ſtipulatu, ut legem venditionis ſervet.

Eadem ratione ſi quis in mari piſcari, vel ſagenam, ſeu everriculum, quod eſt retis piſcatorii genus, ducere prohibeatur a domino prædii ad oram maris pertinentis, injuriarum adverſus prohibentem agere poteſt, quia mare commune omnium eſt, ſicut aer; *l. injuriarum*, §. *ult. de injur.* Tamen maris dominium Principis beneficio vel longa conſuetudine adquiri poteſt, & ſi maris proprium jus, id eſt proprietas ſeu dominium, ad aliquem pertineat, datur ei interdictum uti poſſidetis, poſſeſſionis ſuæ tuendæ gratia, ſi prohibeatur jure ſuo uti, quoniam ad privatam jam cauſam pertinet, non ad publicam hæc res, utpote cum de jure fruendo agatur, quod ex privata cauſa contingat, non ex publica; *l. ſane ſi maris*, *ff. eod.* Hoc jure Veneti Adriatici maris dominium longa conſuetudine ſe quæſiiſſe contendunt, qua de re gravis quæſtio mota eſt temporibus Gregorij X. inter Anconitanos, Bononienſes, & Venetos, teſte Platin. *in ejus vita*. Quod dicitur ſi maris proprium jus ad aliquem pertineat, intelligendum eſt de ſinu maris vel æſtuario, quod in fundum privatum ducitur opere manufacto, quale factum a Lucullo, qui perfoſſo monte juxta Neapolim, Eurippum & mare admiſit in villam; Plin. *lib.* 9. *cap.* 54. Varr. *de re ruſtic. lib.* 3. *cap. ult.* & a Sergio Orata, qui peculiaria ſibi maria excogitavit

Source : BIU Cujas

tavit æstuariis intercipiendo fluctus ; Valer. Max. *lib. 9. cap. 1.* Hoc jure maria jure mancipii possideri ait Ambros. lib. 5. hexamer. *Deficit terra hominibus, spacia maris sibi vindicant jure mancipii, piscium ve jura sicut vernacularum, conditione sibi servitii subjecta commemorant, ille inquit sinus maris meus, ille alterius, dividunt elementa sibi potentes.*

Mare omnium commune est, & per hoc, id est propter hoc, litora maris, ex *hoc §. & d. l. injuriarum*. Ob id litora, quæ fundo vendito conjuncta sunt, in modo fundi non computantur, quia nullius sunt, & jure gentium omnibus vacant ; *l. litora, ff. de contrah. empt.* tamen litus maris conceditur occupanti ; Servius in illum locum 1. Æneid.

Hospitio prohibemur arenæ.

Occupantis enim, inquit, *est possessio litoris*. Quamvis litus maris sit commune, tamen occupari potest vel in totum ab universo populo, tuncque fit publicum ; *l. 3. ff. ne quid in loc. public.* vel pro parte ab aliquo privato, & ita occupanti conceditur, ut in mari piscanti liberum sit casam in litore ponere, qua se recipiat, & qui in litore casam ædificavit, non modo ædificii, sed & soli dominus constituitur, non in perpetuum, sed donec ædificium manet : proinde collapso vel diruto ædificio, quasi jure postliminii locus recidit in pristinam causam, ac perinde publicus est jure gentium, ac si in eo numquam ædificatum fuisset ; *l. 5. & 6. in pr. ff. h. tit.* Quod in litore quis ædificat ejus est, nam litora non ita publica sunt, ut ea quæ sunt in patrimonio populi R. sed ut ea quæ primum a natura prodita sunt, & in nullius adhuc dominio fuere ; *l. quod in litore, ff. de adquir. rer. domin.* Nec obstat *l. litora, ff. ne quid in loc. public.* quæ ait litora, in quæ populus R. imperium habet, populi R. esse, quia litora, quæ sunt in orbe Romano, sunt populi Romani, imperio & potestate, sed tamen jure gentium usus litorum, ut maris, communis est omnibus, & in eo casam ædificare licet, dummodo usus maris vel litoris ex hoc deterior non fiat, ut ostenditur in *d. l. litora, & seq.*

§. *flumina.*

FLumina omnia & portus publica sunt, ex *hoc §. & l. 7. §. quod si toto, ff. de adquir. rer. dom.* Abscisse Justinianus flumina omnia publica esse, Marcianus *in l. 4 §. 1. ff. h. tit.* addit pene, non abs re : fluminum enim quædam publica sunt, quædam privata, quæ nihil differunt a ceteris locis privatis ; *l. 1. §. hoc interdictum, ff. de fluminib.* Flumen publicum est, quod perenne est, id est jugiter fluit ; *d. l. 1. §. fluminum*. Flumen vivum ; Virgil. 2. Æneid.

donec me flumine vivo
Abluerim.

Ubi Servius: *semper fluenti, id est naturali.* Flumina & portus publica sunt, ideoque jus piscandi in portu & fluminibus commune est omnibus hominibus, ex hoc §. Fluminum publicorum communis est usus, sicut viarum publicarum ; *l. fluminum, ff. de damn. infect.* fluminum usus communis est, vel piscandi vel navigandi causa, tamen jus piscandi in diverticulo, seu flexu fluminis publici, longo usu & possessione præscribi potest ; *l. si quisquam, ff. de diverf. & temporal. præscript.* Pugnans videtur *l. præscriptio, ff. de usucap.* ubi præscriptio longi temporis non datur ad obtinenda loca juris gentium publica, quod probatur duobus exemplis. Primum est, si quis diruto aut derelicto ædificio, quod in litore posuerat, alteri postea eundem locum occupanti, & in eodem ædificanti præscriptionem opponat, quod ibi ipse longo tempore ædificium habuit, præscriptio non admittitur. Secundum est, si quis quod in fluminis publici diverticulo solus pluribus annis piscatus sit, alterum eodem jure uti prohibeat, hoc

Source : BIU Cujas

casu etiam præscriptioni locus est . Sed facile est conciliare *has ll.* Lex enim *præscriptio* est de eo qui ædificium in litore desiit possidere , ædificio diruto , vel derelicto , is sane non potest opponere præscriptionem longi temporis ei qui vacuum litus occupavit , & in eo ædificium posuit , quia diruto vel collapso ædificio posito in litore, quasi jure postliminii locus rediit in pristinam causam ; *l. quod in litore*, §. 1. *ff. de adquir. rer. domin.* & occupanti liberum fuit ibi ædificium ponere . Eadem lex etiam loquitur de eo , qui in fluminis publici diverticulo longo tempore piscatus erat , sed nunc piscari desiit , is alterum eodem jure uti nequit prohibere opposita præscriptione . At lex *si quisquam* est intelligenda de eo qui est in possessione piscandi in fluminis publici diverticulo , qui alium eodem loco a piscatu submovere potest opposita præscriptione longi temporis .

§. *est autem.*

LItus definitur quatenus hybernus fluctus maximus excurrit, *ex hoc* §. Aquilii definitio est quatenus fluctus eluderet , teste M. Tullio *in topic.* id est qua fluctus alluderet . Prius idem Tull. cum esset arbiter , ita litus constituit , quousque maximus fluctus a mare pervenit ; *l. litus* , *ff. de V. S.*

§. *riparum.*

RIparum usus publicus est , quemadmodum usus fluminis : proprietas eorum est quorum prædiis hærent , qua de causa arbores quoque in his natæ eorumdem sunt , ex *hoc* §. *l.* 5. *ff. h. tit.* si in ripa fluminis, quæ secundum meum agrum sit , arbor enata sit , mea erit , quia solum ipsum meum privatum est , usus autem ejus publicus intelligitur ; *l. ergo* , §. 1. *ff. de adqu. rer. dom.* e contrario tabernarum , quæ in solo publico, puta in foro , positæ sunt, proprietas est publica , usus ad privatos pertinet . Unde qui tabernas argentarias vel negotiatorias, quæ in solo publico positæ sunt, vendit, non solum , sed jus quod habet vendit , cum hujusmodi tabernæ publicæ sint , quarum usus ad privatos pertinet ; *l. qui tabernas*, *ff. de contrah. empt.* Erant tabernæ in urbe circa forum signis distinctæ ; Quintil. libr. 6. instit. cap. 3. *Tabernæ autem erant circa forum, ac scutum illud signi gratia positum.* Et hæ sunt , quæ ergasteria publica *l.* 9. *&* 42. *C. Th. de oper. public.* Erant & tabernæ in foro etiam ludi litterarii gratia ; de quib. Liv. lib. 3. *Virgini venienti in forum , ibi namque in tabernis litterarum ludi erant .*

§. *universitatis.*

VNniversitatis sunt , non singulorum , theatra , stadia , & cetera hujusmodi , quæ civitatum communia sunt , ex *hoc* §. *l.* 6. §. 1. *ff. h. tit.* Universitatis sunt , quæ sunt propria alterius quam Romæ urbis , ea sola propriè dicuntur publica , quæ populi Romani sunt , id est quæ sunt in patrimonio populi Romani : quæ vero aliarum civitatum abusive publica , & verius universitatis dicuntur ; *l. bona* , *ff. de V. S.* Civitates enim , aliæ a Romana , privatorum loco habentur ; *l. eum qui vectigal* , *ff. eod. l.* † 2. *C. de jur. reip.* universitatis sunt, quorum usus est communis civibus & municipibus ; M. Tull. 1. offic. *Multa sunt civibus inter se communia , forum , fana , porticus , viæ , leges , jura , judicia, suffragia, consuetudines , &c.* Idem 3. de finib. *Theatrum, cum commune sit , recte tamen dici potest civium esse eum locum , quem quisque occuparit.* Unde si quis prohibeatur in campo publico ludere , vel in balneo publico lavare , aut in theatro spectare , datur ei actio injuriarium ; *l.* 2. §. *si quis*

† Faciunt potius l. 15. *ad SC. Maced.* *l.* 1. §. 4. *de ædilict. edict.* *l.* 81. *de furt.*

Source : BIU Cujas

quis in mari, ff. ne quid in loc. public. l. injuriarum, §. ult. ff. de injur. Quæ sunt universitatis non sunt propria singulorum ut sociorum, vel consortum, sed universitatis & civitatis. Loca enim publica utique privatorum usibus deserviunt, jure sc. civitatis, id est in commune, non quasi propria cujusque ; *l. 2. §. 2. ff. ne quid in loc. public.* Et servus communis civitatis, non intelligitur servus singulorum pro parte, sed universitatis, & contra civem vel municipem torqueri potest ; *l. 6. §. universitatis, ff. h. tit.* Hac ratione pro debito universitatis singulos conveniri incivile est ; *l. unic. C.† ut nullus ex vican.* quia quod universitas debet, singuli non debent, sed eo nomine syndicum vel alios curatores civitatis conveniri par est.

§. *sacræ.*

SAcræ res sunt quæ rite, id est solemniter, per Pontifices Deo consecratæ sunt, veluti ædes sacræ & donaria ministerio Dei dedicata, ex *hoc* §. Sacræ res sunt quæ publice, id est publica auctoritate, dedicatæ sunt, non privatim ; *l. 6. §. sacræ 3. l. sacra loca, in pr. ff. h. tit.* quia consecratio non poterat fieri a privato. Olim consecratio fiebat per Pontifices, auctor est M. Tull. *pro domo.* Postea Imperatores, ex quo pontificatum sibi assumpserunt, jus consecrandi suum fecere, ita ut non aliter locus sacer fieret, nisi quem ipsi dedicarent vel dedicandi Pontificibus darent potestatem ; *d. l. sacra loca, §. 1. l. ult. ff. ut in poss. legat.* Eodem jure nec reliquiæ transferri potuere sine decreto Pontificum vel jussu Principis ; *l. ossa quæ, ff. de religios. & sumpt. fun. l. pen. C. eod. l. ult. C. Th. de sepulcr. violat.* & hoc est quod ait *l. 3. §. non perpetuæ, ff. eod.* λείψανα seu reliquias non posse transferri sine permissu eorum, quibus permittendi jus est, id est Pontificum vel Principis ; & ita Plinius Junior, a Provincialibus aditus de transferendis reliquiis, hac de re consuluit Trajanum tamquam Pontificem Maximum epist. 73. lib. 10. *Quia sciebam*, inquit, *in urbe nostra ex ejusmodi causis collegium Pontificum adiri solere, te Domine Maximum Pontificem consulendum putavi.*

Res sacræ vel religiosæ vendi non possunt, quia non sunt in commercio, nullius in bonis sunt ; *l. 6. §. sacræ res, ff. h. tit. l. 6. ff. de contrah. empt.* Res sacræ per se, id est seorsim, alienari non possunt, sed cum universitate bonorum transeunt in emptorem vel heredem ; *l. quædam, ff. de adquir. rer. domin. l. in modicis, de contrah. empt. l. 1. §. 1. de fund. dotal.* Quo jure & statuæ Deorum & Principum recte venierunt cum ædibus, quibus hærebant ; & cum Rubrius eques R. reus postularetur, quod statuam Augusti cum hortis vendidisset, Tiberius sub initia Imperii scripsit Coss. apud Tacit. 1. annal. *non contra religiones fieri, quod effigies ejus, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum & domuum accedant.* Et pariter jus patronatus per se vendi non potest, cum sit spirituali annexum, sed cum universitate bonorum transit in emptorem ; *cap. ex literis, de jur. patronat. cap. cum Bertholdus, de re judicat.*

Res immobiles ecclesiæ alienari non possunt, & si alienentur, emptor pretium amittit, & res cum fructibus medii temporis restituitur ; *l. jubemus 14. C. de SS. eccles.* Et quidem res immobiles ecclesiæ, ex liberalitate Principis profectæ, omnino alienari vetantur, ceteræ nonnisi urgente ære alieno, quod aliunde ex mobilium distractione dissolvi nequit ; *auth. hoc jus porrectum, C. eod.* Res ecclesiæ non possunt alienari ab Episcopo, nisi ex causa necessaria vel utili, idque de consilio capituli ; *cap. dudum, de rebus eccles. alienand. in 6. clem. monasteriorum, eod. tit.* ex causa necessitatis, puta urgente ære alieno ; *d. auth. hoc jus porrectum* ; pro redemptione captivorum, vel alimentis pauperum ; *l.† sancimus 22. C. de SS. eccles.* ex causa utilitatis, si sterile & in-

Source : BIU Cujas

fructuosum sit solum ; *can. sine exceptione, can. terrulas*, 12. *qu.*2. *cap. ad aures, de reb. eccles. non alienand.*

Privatus rem sacram facere non potest : si quis auctoritate sua quasi sacrum sibi constituat , sacrum non est , immo profanum manet , ex *hoc* §. *l.* 6. §. *sacræ autem* , *ff. h. tit.* Festus ex Ælio Gallo in verb. facer : *Quod autem privati suæ religionis causa, aliquid earum rerum Deo dedicent , id Pontifices Romanos non existimare sacrum* . Sola destinatione privati hominis res non fit sacra , sed consecratione, quæ rite fit per Pontifices : unde si rem a te templo destinatam vel traditam, nondum consecratam , quis furto abstulit, non templo vel sacerdoti , sed tibi datur actio furti , ut domino ; *l.* 3. *C. de furt.*

Locus , in quo ædes sacræ inædificatæ , etiam diruto edificio sacer manet , ex Papiniano , ut refertur in *hoc* §. *& l.* 6. §. *sacræ autem* , *ff. h. tit.* quod desumptum est ex *l. æde sacra* , quæ est Papiniani, *ff. de contrah. empt.* Æde sacra terræ motu diruta , locus ædificii non definit esse sacer , & ideo venire non potest , ut rescripsit Trajanus Plinio epist. 76. lib. 10. *Si facta ædes esset , licet collapsa sit , religio ejus occupavit solum* . Locus sacer , ruina collapso ædificio , sacer permanet , area , quæ est maxima pars ædificii , sacra permanet ; *l. qui res* , §. *aream* , *ff. de solut.* Occupatione hostium vero locus sacer vel religiosus desinit esse quod erat , quod si ab hostibus receptus fuerit, quasi quodam postliminio revertitur in pristinum statum : *l.* † *cum loca, ff. de religios.* quod innuit M. Tull. libr. de signis : *Has tabulas* , inquit , *Marcellus cum omnia victoria sua profana fecisset , tamen religione impeditus non attigit.* Et Virgil. 12. Æneid.

Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.

Hujus juris ratio est , quia in oppugnatione urbium sacra certis solemnibus evocabantur ; *l.* 9. §. 2. *ff. h. tit.* Macrob. *lib.* 3. *cap.* 3. qui hoc vers. usus est hoc loco .

§. *religiosum* .

REligiosus locus fit illatione mortui : quilibet locum religiosum sua voluntate facit, inferendo mortuum in locum, ex *hoc* §. *l.*6. §. *religiosum ff. h. tit.* Illatione mortui non totus qui sepulturæ destinatus est locus religiosus efficitur, sed quatenus corpus humatum est ; *l.* 2. §. *sepulcrum* , *ff. de religios.* Nam hac ætate corpora solebant humari relicto usu cremandi , ut ostenditur in *l. funeris , & l. Divi fratres , ff. eod.* Macrob. lib. 7. Saturnal. cap. 7. *Licet urendi corpora defunctorum usus nostro tempore nullus sit* . Ait quatenus corpus humatum est , non in circum † porticationes , id est porticus , vel maceria , qua sepulcrum communitum est , vel ager sepulcro cohærens ; *d. l. funeris* , §. 1. *l. locum* , *C. eod. l. æde* , §. 1. *ff. de contrah. empt.* Si diversis locis corpus sepultum sit , uterque locus religiosus non fit , quia una sepultura plura sepulcra efficere non potest , sed ille locus religiosus est , ubi quod est principale conditum est , cujus imago fit , & inde cognoscimur ; *l. cum in diversis, ff.*† *eod. de religios.*

In locum communem purum , id est non sacrum vel religiosum, non licet mortuum inferre invito socio , ex *hoc* §. *& l.* 6. *ff. h. tit.* In commune sepulcrum invito socio inferre licet , ex *iisd. loc.* Quod si quis mortuum intulerit in locum communem purum invito socio , cogitur tollere actione in factum ; *l.* 6. §. *si quis in communem , ff. comm. divid.* vel actione pro socio ; *l. si fundus , pro soc.* Socius tamen non vetatur mortuum inferre in locum communem purum , si non habeat quo inferat , quod propter publicam utilitatem introductum est , ne cadavera insepulta jaceant , & potest agere interdicto de mortuo inferendo , ut sinat mortuum inferri in locum communem , nec tamen fiet locus religiosus , quia factum est invito socio ; *l. sunt personæ , ff. de religios.*

Pro-

Source : BIU Cujas

Proprietarius, si ususfructus alienus est, non potest mortuum inferre invito fructuario, ex *hoc* §. *l.* 2. §. *si usumfructum*, *l. sunt personæ*, *ff. de religios.* quia proprietarius non potest facere deteriorem conditionem fructuarii; *l. locum*, §. 1. *ff. de usufr.* Excipe nisi hæres in eum locum inferat testatorem ipsum, qui usumfructum legavit, cum in alium locum tam commode inferri non posset; *d. l.* 2. §. *si usumfructum*, *& d. l. locum.*

In alienum locum consentiente domino mortuum licet inferre: immo etiam si dominus ab initio non consenserit, sed postea ratum habeat, illatione mortui locus fit religiosus, ex *hoc* §. ubi demenda est negativa, ex lectione *l. 6.* §. *pen. ff. h. tit.* unde desumptus est *hic locus*. Nihil interest an dominus consenserit ab initio, vel postea ratum habeat, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur; *l. pen. ff. rem rat. hab. l. donationes* 25. *C. de donat. inter vir. & uxor.* In alienum locum non licet mortuum inferre invito domino, & si quis intulerit, cogitur actione in factum mortuum tollere, aut loci pretium præstare; *l. is qui intulit*, *ff. de religios.* quæ vero illata sunt ossa, vel corpus, non licet domino loci effodere vel eruere sine decreto Pontificum vel jussu Principis; *l. ossa*, *ff. eod.*

§. *sanctæ.*

RES sanctæ, veluti muri & portæ urbis Romæ, quodammodo divini juris sunt, & ideo nullius in bonis sunt, ex *h.* §. *& l.* 1. *ff. h.tit.* M. Tull. 3. de nat. Deor. *Est enim mihi tecum pro aris & focis certamen, & pro Deorum templis atque delubris, proque urbis muris, quos vos Pontifices sanctos esse dicitis, diligentiusque urbem religione, quam ipsis mœnibus, cingitis.* Nec solum muri urbis, sed etiam muri municipiorum sancti sunt: ideoque muros municipales, nec reficere licet sine Principis vel præsidis auctoritate, nec aliquid eis immittere, id est superponere, vel conjungere; *l. sanctum*, §. *in municipiis*, *l. sacra*, §. *muros*, *ff. h. tit. l.* 2. *ff.* † *ne quid in loco sacr.* Et si quis muros violaverit, id est transcenderit, capite punitur; *l. ult. ff. h. tit.* ut & si quis vallum transcendat, aut per murum castra ingrediatur; *l.* 3. §. *nec non*, *ff. de re milit.*

Leges sanctæ sunt, quia sanctione munitæ sunt: sanctio est pars legis, qua pœna irrogatur iis, qui in leges commiserint, ex *hoc* §. *l. sacra*, §. *proprie*, *ff. h. tit.*

§. *singulorum.*

SIngulorum, id est privatorum, sunt res, quæ cuique jure naturali, id est jure gentium, puta occupatione, bello, & aliis modis adquisitæ sunt, vel jure civili, puta hereditate, emptione, ex *hoc* §. Dominium rerum adquiritur jure gentium, vel civili; *l.* 1. *ff. de adquir. rer. domin.* M. Tull. 3. officior. *Sunt autem privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti sunt, aut lege, pactione, conditione, sorte.*

§. *feræ.*

JUre naturali, id est jure gentium, feræ statim, id est simul atque captæ sunt, conceduntur occupanti, quia nullius sunt: quod enim nullius est, ratione naturali occupanti conceditur; *l.* 3. *ff. de adquir. rer. domin.* Occupatio est modus adquirendi domninii jure gentium, quia dominium rerum ex naturali possessione cœpit; *l.* 1. *ff. de adquir. possess.* Feræ conceduntur occupanti, quia

Source : BIU Cujas

quamdiu naturalem libertatem retinent nullius sunt, & natura hominum gratia omnia animalia procreavit; *l. in pecudum, ff. de usur.* Quintil. decl. 13. *Multa nihilominus, quæ libera fuerunt, transeunt in jus occupantium, sicut venatio, & aucupatio. Nam ut cetera animalia hominum caussa finxerit providentia, quod omnibus nascitur, industriæ præmium est.* Nec interest utrum in suo fundo quis eas capiat an in alieno: plane si dominus præviderit, potest prohibere ne quis fundum suum venandi vel aucupandi gratia ingrediatur, ex *hoc §. & l. 3. §. 1. ff. de adquir. rer. domin.* Feræ captæ in proprio fundo duplici jure conceduntur occupanti, jure gentium, quia cœpisse videtur ut extraneus quilibet, jure civili, quia venatio est in fructu; *l. item si, §. aucupiorum, l. usumfructuarium, ff. de usufr. l. venationem, de usur.* & dominus capturam ex venatione sicut alios fructus prædiorum suos facit. Fera capta est occupantis, donec ejus custodia coercetur, quam ubi evaserit, naturali libertate seu laxitate recepta, capientis esse desinit, & rursus occupantis fit, naturalem autem libertatem recipisse intelligitur, cum capientis oculos effugit, vel ita est in ejus conspectu, ut persecutio ejus sit difficilis, ex *hoc §. & l. 3. 4. & 5. l. Pomponius, l. in laqueum, ff. de adquir. rer. domin.*

§. *illud.*

QUæsitum est an fera, quæ ita vulnerata est, ut capi possit, statim nostra esse intelligatur? Trebatio placuit statim nostram esse, & eo usque nostram videri, donec eam persequamur, quod si desierimus eam persequi, desinere nostram esse, & rursus fieri occupantis. Plerique putaverunt, feram non aliter nostram fieri, quam si eam ceperimus, quia multa accidere possunt ut eam non capiamus, quod verius est; *l. 5. §. 1. l. in laqueum, ff. de adquir. rer. domin.* unde repetitus est *hic §.* Non sufficit feram letaliter vulnerasse, sed necesse est capi ut nostra fiat, quia sæpius e manibus elabitur. Jure gentium dominium rerum non adquiritur sine naturali possessione, id est prehensione; *l. 1. l. 3. §. Neratius, ff. de adquir.* † *possess.* Rem aliter distinxit Fridericus apud Radevic. *lib. 1. de gest. ipsius.*

§. *apium.*

APium fera natura est, apes suapte natura feræ sunt, sed consuetudine mansuescunt: itaque apes, quæ in arbore nostra consederint, antequam alveo inclusæ sint, non magis nostræ esse intelliguntur, quam volucres, quæ in nostra arbore nidum fecerint, ideo si alius eas incluserit, earum dominus erit, ex *hoc §. & l. 5. §. apium, ff. de adquir. rer. domin.* si apes feræ in arbore tua consederint, & favos fecerint, si quis eas vel favos abstulerit, non tenetur furti, quia nullius sunt, & fiunt occupantis; *l. si apes, ff. de furt.* quod si apes alveo inclusæ sint, & habeant consuetudinem evolandi ex alveis, & redeundi, in possessione & patrimonio nostro sunt; *l. 3. §.* † *quidam recte, ff. de adquir. poss.* & earum furtum committitur; *l. Pomponius, §. 1. ff. famil. erciscund.* Hinc apes formula vindicari ait Quintil. declam 13. *Et tamen quis indignatur apes formula vindicari, cum venenis etiam flosculi vindicentur?* Et paulo post: *Age, si mei alvei furto abessent, utrum nulla daretur actio? An viminis modo vilisque texti pretium formula taxassem, & perinde agerem, quasi inanes perdidissem? Nisi fallor, esset æstimatio & apum.* Hinc & apes vectigales, & vectigal ex cera apud quasdam gentes; Plin. *lib. 20. cap. 13.* Liv. *lib. 40.*

§. *pa-*

Source : BIU Cujas

§. *pavonum*.

PAvones, columbæ, cervi, & aliæ feræ manſuefactæ, quæ abire & redire ſolent, hactenus tua eſſe intelliguntur, donec habent animum redeundi, id eſt conſuetudinem abeundi & redeundi, qua amiſſa tua eſſe deſinunt, & fiunt primi occupantis, ex *hoc* §. *l.* 4. *&* 5. §. *pavonum*, *ff. de adquir. rer. dom.* ex quo in his domini ambigua poſſeſſio eſſe dicitur; Quintil. decl. 13. *Quicquid jure poſſidetur injuria auſertur, ut volucres mites & aliæ quæ per ruſticas villas, quæque ditibus cellis ſaginantur, in quibus tamen domini ambigua poſſeſſio eſt*. Pavones, columbæ, & aliæ hujuſmodi feræ manſuefactæ, ſunt in noſtro patrimonio, & veniunt in judicium familiæ erciſcundæ, & in his furtum committitur; *l. Pomponius*, §. 1. *ff. famil. erciſ. l.* 3. §. *quidam recte*, *de adquir. poſſeſſ. l. ſi pavonem*, *de furt.*

§. *gallinarum*.

GAllinarum & anſerum non eſt fera natura, hujuſmodi ſunt animalia manſueta, quæ alterius ſunt juris, ac feræ manſuefactæ, ferarum dominium in naturali poſſeſſione & occupatione conſiſtit, quandiu ſc. in poteſtate noſtra ſunt, & quaſi manu tenentur. Gallinæ & anſeres etiam ſi evolaverint, ita ut ignoretur ubi ſint, quocumque loco ſint tamen in dominio noſtro tenentur, ita ut in his furtum committatur, ex *hoc* §. *l.* 5. §. *gallinarum*, *ff. de adqu. rer. domin.* Gallinæ & anſeres ſi ſint manſuetæ, tamen ſi in ſilvas avolaverint & fiant agreſtes, quod contigiſſe anno Chriſti 1086. narrat Sigebert. eodem jure cenſentur ac feræ manſuefactæ, quæ ſi ad naturalem feritatem redierint deſinunt eſſe noſtræ, & occupanti conceduntur; quia etiam in manſuetis latet animi feritas, quæ facile in animum redire ſolet; Ariſtotel. *libr.* 1. *de hiſt. animal. cap.* 1. & Gaius, quem ſecutus eſt Juſtinianus.

§. *item ea*, 1.

JUre gentium introducta bella, diſtincta dominia; *l.* 5. *ff. de juſt. & jur.* ſecutæ captivitates, & ſervitutes. Hoc jure liberi homines bello capti fiunt ſervi hoſtium, ſed ſi ab hoſtibus redierint, poſtliminio recipiunt priſtinam libertatem, civitatem, & omnia jura; *l.* 7. *in pr. ff. de adq. rer. domin. l. ſi quos*, C. *de captiv. & poſtlim. reverſ.* Quintil. lib. 5. inſtit. cap. 10. *Ideo captivos ſi in patriam ſuam redierint, liberos eſſe, quia bello parta nonniſi eadem vi poſſidebantur*. Idem juris eſt ſi capti ab hoſtibus redempti fuerint; *l. ſi captivus*, *ff. eod.* & redemptus aliena pecunia protinus eſt redimentis, quoad pretium redemptionis ſolverit; *l. in bello*, §. † *ſi quis ſervum*, *ff. eod.* non fit ſervus redimentis, ſed ei vinculo pignoris naturalis obligatur quoad ſe ipſum luiſſet; *l. ſi patre*, *ff. eod. l.* 2. C. *eod. l. ſenatus*, §. *ult. ff. de legat.* 1.

Eodem jure omnia quæ ab hoſtibus capiuntur ſtatim capientium fiunt, ex *hoc* §. *&* *l.* 5. §. *ult. ff. de adq. rer. domin. l.* 1. §. 1. *ff. de adquir. poſſeſſ.* Jure gentium bellum eſt legitimus modus adquirendi dominii, πολεμικὴν, id eſt belli gerendi artem inter modos acquirendi dominii natura, id eſt jure gentium, conſtitutos, refert Ariſtotel. lib. 1. de rep. cap. 8. *διὸ καὶ ἡ πολεμικὴ φύσει κτητικὴ πως ἔσται. Quapropter etiam belli gerendi ars natura eſt comparata ad adquirendum*. Hoc jure legatis Romanorum a Gallis reſponſum apud Livium libr. 5. *Se in armis jus ferre, & omnia vivorum fortium eſſe*. Plerumque res immobiles, puta agri ab hoſtibus capti, publicantur, id eſt in fiſcum redigunrur; *d. l. ſi captivus*, §. 1. Hac ratione Africa per Juſtinianum recepta a Vandalis.

Source : BIU Cujas

& militibus agros hostiles sibi vindicantibus, Salomon PP. Africæ eos denegavit apud Procop. lib. 2. de Bell. Vandalic. sic fatus: captivos quidem & cetera mobilia militi cedere in prædam, at agros ex hostibus captos in publicum redigendos, e quibus milites annonas & stipendia ferrent: ὡς τὰ μὲν ἀνδράποδα καὶ τὰ ἄλλα πάντα χρήματα τοῖς στρατώταις ἐς λάφυρα ἰέναι ἐκ ἀπεικὸς, εἶναι γῆν μέν τοι αὐτῶν Βασιλεῖ τε, καὶ τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ προσήκειν.

Ut captivi, ita & agri ab hostibus capti, si ab his recepti sint, postliminio pristinum statum & jus omne recipiunt, & eorum dominium redit ad priores dominos; *d. l. si captivus*, §. 1. Loca capta ab hostibus desinunt esse sacra vel religiosa, sed si ab hac calamitate fuerint liberata, quasi postliminio pristino statui redduntur; *l. cum loca, ff. de religios. & sumptibus funer.* Et si ager, cujus ususfructus alienus erat, occupatus ab hostibus, liberatus fuerit, postliminio restituitur ususfructus; *l. si ager 26. ff. quib. mod. ususfruct. amitt.* A Vandalis recepta Africa, statuit Justin. *nov. 36.* ut Afri paterna vel avita vel profecta a cognatis bona repeterent intra quinquennium, quod & pariter constitutum ab Italia pulsis Gothis; *pragmatic. Justinian. cap. 8 & 11.* Hoc jure Israelitæ terram Chananæorum olim occupatam adversus posteros Sem, non ut alienam occuparunt, sed ut suam postliminio receperunt; Augustin. *de tempore serm. 105.* Res quæ sunt apud hostes nullo tempore usucapi vel præscribi possunt, ex 12. tabul. adversus hostes æterna auctoritas est; M. Tull. 1. *offic.* & jure pontificio præscriptio non currit adversus ecclesiam tempore hostilitatis; *can. prima, can. porro, 16. qu. 3. cap. ex transmissa, de præscript.*

§. *item lapilli.*

LApilli, gemmæ, & cetera, quæ in litore maris inveniuntur, jure naturali statim inventoris fiunt, ex *hoc* §. *l. 3. ff. h. tit. l. 1.* §. *1. de adquir. possess.* quia has in litus maris expositas natura inventori offerre & quasi tradere videtur. Alia est ratio earum, quæ naufragio amissæ, & fluctibus ad litus projectæ sunt, si quis enim inventas retineat, furtum committit; §. *ult. infr. h. tit.*

§. *item ea, 2.*

QUæ ex animalibus dominio nostro subjectis nascuntur, jure naturali, id est jure gentium, nostra sunt, ex *hoc* §. *& l. 6. ff. de adquir. rer. domin.* ut fœtus pecoris ejus est, cujus & pecus; *l. 5.* §. *2. de rei vindic. l. vaccæ, de evict.* & partus ancillæ ejus est, cujus ancilla; *l. 7. C. de rei vindicat.* Fœtus pecoris in fructu est, & statim pleno jure adquiritur, non tantum domino, sed etiam bonæ fidei possessori, & fructuario; *l. in pecudum, ff. de usur.* ita ut fructuarius gregem suppleat, & in locum demortuorum capitum alia submittat; *l. vetus, ff. de usufr. l. plerumque,* §. *sed fœtus, ff. de jur. dot.* Partus vero ancillæ ad fructuarium non pertinet, sed ad proprietarium, quia non est in fructu; *d. l. vetus & d. l. in pecudum*, sed quasi pars dominii, pars ipsius ancillæ: partus est portio matris, vel viscerum; *l. 1.* §. *1. ff. de inspic. ventr.* Quintil. declam.† 338. *Filium matri eripere conaris, & partem viscerum avellis.* Et Niobe de septimo partu gloriabunda apud Ovid. 6. metamorph.

Uteri pars est hæc septima nostri.

§. *Præ-*

§. *præterea*.

ALluvio est modus adquirendi dominii jure gentium : quod per alluvionem agro nostro flumen adjicit, jure gentium nobis adquiritur : alluvio mutat dominium, quia mutata forma prope interit substantia rei ; *l. Julianus*, §. *sed si quis*, *ff. ad exhibend.* Alluvio est incrementum latens, quod ita paullatim accedit, ut intelligi non possit quantum quoquo momento temporis adjiciatur, ex *hoc* §. *&* *l.* 7. §. 1. *ff. de adquir. rer. domin. l.* 1. *C. de alluvionib.* & alluvionis ususfructus pertinet etiam ad fructuarium ; *l.* 9. §. *huic vicinus*, *ff. de usufruct.* Et si alluvione ager auctus esset, alluvionis commodum cedit fideicommissario ; *l. sæpe legatum*, *ff. de legat.* 3. Jus alluvionis jure gentium constitutum est, ut hoc quasi capto pignore coerceantur qui in muniendis ripis suis negligentes sunt ; Agenn. Urbicus de limitib. agror. *De alluvione observatio est, si hæc in occupatoriis agitur agris, quicquid jus aquæ abstulerit, repetitionem nemo habet, quæ res necessitatem ripæ muniendæ injungit, ita tamen ut sine alterius damno quicquam fiat.* Et mox : *Cassius Longinus vir prudentissimus juris auctor hoc statuit, ut quicquid aqua lambendo abstulerit, id possessor amittat, quoniam scilicet ripam suam sine alterius damno tueri debet.*

Si ager vi, id est inundatione, fluminis, vel paullatim occupatus eodem impetu, vel paullatim recedente flumine restituatur, ad priorem dominum redit : flumina enim censitorum vice funguntur, ut ex privato in publicum addicant, ex publico in privatum ; *l. ergo si*, §. *alluvio*, *ff. de adquir. rer. domin.* Alluvione his adimuntur prædia, illis donantur, ut de pado, quod flumen frequenter alveum mutat, dixit Lucan. lib. 6.

Illos terra fugit dominos, hic rura colonis
Accedunt, donante pado.

Atque ita Ægyptus, quia est accessio Nili, dicta est donum fluminis ; Herodot. lib. 2. ἔστι Αἰγύπτου ἐπίκτητος τε γῆ, καὶ δῶρον τοῦ ποταμοῦ · *Ægyptus est accessio terræ, & donum fluminis.* Jus alluvionis locum non habet in lacubus aut stagnis, quia licet interdum crescant vel decrescant, tamen suos terminos retinent ; *l. lacus*, *ff. de adquir. rer. dom. l. Rutilia Polla*, *de contrah. empt.* nec in agris limitatis ; *l. in agris*, *ff. de adquir. rer. domin. l.* 1. §. † 6. *&* 7. *ff. de fluminib.* id est in agris militibus assignatis, qui erant distincti certis limitibus.

§. *quod si vis*.

ALluvione mutatur terræ dominium, non vi fluminis, id est abreptione terræ, quæ fit repentino impetu fluminis, nempe si vis fluminis partem aliquam ex tuo prædio detraxerit, & vicini prædio adjecerit, ea tua permanet. Plane si diutius vicini fundo inhæserit, & arbores quas secum traxit in eo fundo radices egerint, adquiruntur vicino, ex *hoc* §. *&* *l.* 7. §. *quod si vis*, *ff. de adquir. rer. domin.* Arbor vi venti vel tempestatis radicitus eruta, & in alienum fundum translata, priusquam coaluerit, id est in eo radices miserit, prioris domini, ubi coaluit, agro cedit, nam alio terræ alimento alia facta est ; *l. sed si meis*, §. † 2. *ff. eod.* nec arbor est priusquam radices egerit ; *l.* 3. §. *sed si quis*, *ff. arbor. furt. cæsar.* & ita si agri crusta, id est gleba terræ, vi fluminis in agrum vicini translata sit, potest vindicari, si nondum coaluerit, secus ubi coaluit ; *l.* 9. §. *Alfenus*, *ff. de damn. infect.* Nec obstat *l.* 5. §. *de arbore*, *ff. de rei vindicat.* ubi de arbore, quæ in alienum agrum traslata coaluit & radices immisit, priori arboris domino utilis in rem actio datur, ex

Source : BIU Cujas

ſententia Vari & Nervæ, ab Ulpiano enim *hic* refertur Vari & Nervæ ſententia quaſi exploſa, ac multo probabilior eſt prior ſententia, quæ eſt Pauli & Alfeni, quam ſecutus eſt Juſtinianus, arborem, quæ in vicini fundo coaluit, & radices egit, fundo vicini cedere, quia coalitione & alio terræ nutrimento, alia facta eſt; §. *arbor*, *d. l. ſed ſi meis*.

§. *inſula*.

INſula in mari enata, quod raro accidit, occupanti conceditur: inſula in flumine nata, quod frequenter accidit, ſi medium fluminis tenet, communis eſt eorum, qui utrinque prope ripam prædia poſſident, pro modo latitudinis cujusque prædii, quod ſi alteri parti proximior ſit, eorum eſt tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia poſſident, ex *hoc* §. *l.* 7. §. *inſula*, *ff. de adquir. rer. domin. l.* 1. §. *ſi inſula*, *de fluminib.* Inſula, quæ ſurrexit in medio fluminis, non pro indiviſo communis eſt eorum, qui ſecundum ripam prædia poſſident, ſed regionibus diviſis, id eſt certis regionibus pro modo ripæ cujusque prædii; *l. inter eos*, *ff. de adquir. rer. domin.* Atque ita his, qui prope ripam fluminis prædia poſſident, aquam de flumine publico ducere licet, pro modo poſſeſſionum ad irrigandos agros; *l. Imperatores*, *ff. de ſervit. ruſtic.* Inſula in flumine enata occupantis eſt, ſi agri objacentes limitati fuere; *l.* 1. §. *ſi inſula*, *ff. de fluminib.* ſicut alluvio non habet locum in agris limitatis, ita nec hujusmodi acceſſio, quæ contingit enata inſula in flumine: item inſula, quæ non alveo fluminis cohæret, ſed virgultis aut alia qualibet levi materia, ita ſuſtinetur in flumine, ut ſolum ejus non tangat, atque ipſa movetur, ut creditum eſt de Delo inſula, hæc non accedit proximis prædiis, ſed eſt publici juris, quemadmodum & flumen, & ipſius fluminis eſt inſula; *l. pen.* §. *ſi qua inſula*, 2. *ff. de adquir. rer. domin.* Jure noſtro inſula in flumine nata non cedit proximis prædiis, ſed Principi, ſi flumen eſt navigabile, id eſt navium patiens, vel ex quo fiat navigabile, quia flumina navigabilia, vel ex quibus fiunt navigabilia, numerantur inter regalia; *cap. unic. quæ ſint regaliæ in libris feudor.* quod carmine expreſſit Guntherus lib. 8. Ligurini.

Vectigal, *portus*, *cudendæ jura monetæ*,
Eumque molendinis, *telonia*, *flumina*, *pontes*.

Nec abs jure inſnla nata in flumine navigabili ejusdem eſt juris ac flumen ipſum, nam & jure civili prohibetur aquam ducere e flumine publico, ſi aut navigabile eſt, aut ex eo aliud navigabile fit; *l.* 2. *ff. de fluminib. l. ſi autem*, §. *ult. ff. de aqu. & aqu. pluv. arcend.*

Alluvione mutatur dominium, circumluvione non item: ſi flumen in duas partes, id eſt in duos rivos, diviſum, deinde infra in unum collectum, alicujus agrum in formam inſulæ redegerit, is ager ejusdem permanet cujus fuit, ut oſtenditur in *fin. h.* §. *& l.* 7. §. *quod ſi uno*, *l. ergo* §. ‡ 2. *ff. de adquir. rer. domin. l.* 1. §. † *item ſi amnis*, *ff. de fluminib.*

§. *quod ſi naturali*.

SI naturali alveo in univerſum relicto flumen alio fluere cœperit, prior quidem alveus eorum eſt, qui prope ripam ejus prædia poſſident, pro modo ſc. latitudinis cujusque prædii, quæ prope ripam ſit, novus autem alveus ejus juris eſſe incipit, cujus & flumen ipſum, id eſt publicus jure gentium: quod ſi poſtea ad priorem alveum flumen redierit, rurſus novus alveus eorum eſſe incipit, qui prope ripam ejus prædia poſſident, ex *hoc* §. *l.* 7. §. *quod ſi toto*, *ff. de adquir. rer. domin.* Novus alveus, quem ſibi flumen duxit veteri relicto, incipit eſſe publicus, quemadmodum flumen ipſum, quia impoſſibile eſt ut alveus

Source : BIU Cujas

veus fluminis publici, non sit publicus ; *l.* 1. §. *simili modo*, *ff. de fluminib.* Et hoc est quod ait *l. ergo*, §. 2. *ff. de adquir. rer. domin.* naturam fluminis hanc esse, ut cursu suo mutato, alvei causam mutet ; nam prior alveus fit eorum, qui prope ripam ejus prædia possident, & novus alveus publicus efficitur, quia ille ager qui fuerat desiit esse, amissa propria forma ; *d. l.* 7. §. *quod si toto*. Dominium mutatur mutatione formæ, velut rei interitu, mutata forma prope interit substantia rei ; *l.* 9. §. † 3. *ff. ad exhib.* Res abesse videtur, etiam ea cujus corpus manet, si forma mutata est ; *l. mulieris* §. 1. *ff. de V. S.* Eleganter in hanc sententiam Pomponius in *d. l. ergo*, §. 3. flumina, inquit, censitorum vice funguntur, ut ex privato in publicum addicant, vel ex publico in privatum : vice censitorum, id est agrimensorum, nam causa finium plerumque per agrimensores dirimebatur, nec desiderabat cognitionem præsidis ; *l.* 1. *C. Th. fin. regund. l. causas*, *C. eod. de jurisd.* Ex quo frequenter eveniebat, ut agrimensores in causa finium arbitri e privato in publicum addicerent, vel e publico in privatum. Si flumen ad priorem alveum redierit, novus alveus stricto jure non restituitur prioribus dominis, sed cedit vicinioribus prædiis, id est vicinis, qui prope ripam prædia possident, quia ille ager qui fuerat, desiit esse ager, amissa propria forma ; *d. l.* 7. §. *quod si toto*. Sed vix est ut id obtineat, ut subjungitur *in eodem* §. id est ratio naturalis prævalere debet, ut hujus novi alvei a flumine omissi, proprietas antiquis dominis restituatur.

§. *alia*.

ALvei mutatione mutatur dominium : flumen novum alveum facit, formam agri mutat, inundatione fluminis non mutatur agri dominium, neque enim inundatio fundi speciem commutat, & ob id si recesserit aqua, id est statim atque recesserit, fundus ejus manet cujus & fuit, ex *hoc* §. *& l.* 7. §. *aliud*, *ff. de adquir. rer. domin.* Et hoc accipiendum est de temporali inundatione fluminis : quod si ager, cujus ususfructus legatus est, ita fuerit inundatus, ut in stagnum aut paludem conversus sit, inundatione ususfructus amittitur, cum etiam ipsa proprietas eo casu amittatur, sed si aqua recesserit, restituitur proprietas simul & ususfructus ; *l. quid tamen*, §. 2. *l. si ager* 23. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* Si ager inundatione fluminis occupatus sit, sive paullatim, sive non paullatim, id est vi & impetu fluminis, quamdiu ager aquis inundatur, dominium amittitur, sed si aqua recesserit, recessu fluminis ad priorem dominum redit ; *l. ergo* §. 3. *de adquir. rer. domin.*

§. *quum ex aliena*.

SI quis speciem fecerit ex sua materia, certum est eum esse dominum qui speciem fecit, nam quod ex re nostra fit, naturali ratione nostrum est ; *l. de eo*, §. *si quis*, *ff. ad exhib.* Si quis ex aliena materia speciem suo nomine fecisset, Proculiani putabant hunc dominum esse qui fecerit, quia quod factum est nullius ante fuerat, quod vero nullius est fit primi occupantis : qui novam speciem facit, rem ipsam quodammodo creat, ob idque fit ipse dominus jure cujusdam, ut nostri loquuntur, specificationis, si suo sc. nomine fecerit ; *l. quicquid* §. *ubi simul*, *& l. nisi* † *voluntate*, *ff. de adq. rer. domin.* Sabiniani volebant, speciei ex aliena materia factæ, eum dominum esse naturali ratione, qui materiæ dominus fuisset, quia quod ex re nostra fit, naturali ratione nostrum est ; *d. l. de eo*, & arbor, quæ ex terræ meæ alimento crevit, mea est ; *l. sed si*, §. † 2. *ff. eod.* Inter hos tandem media placuit sententia sic distinguentium, aut species ad pristinam & rudem materiam redire potest, ut vas conflatum ad materiam æris vel argenti vel auri, aut non potest reduci

Source : BIU Cujas

ad priſtinam materiam, ut vinum ad uvas, oleum ad olivas, mulſum ad vinum & mel, priori caſu forma cedit materiæ, & is dominus eſt, qui materiæ dominus fuerit: ſpecies ex aliena materia confecta, ſi ad priſtinam naturam reduci poteſt, ejus manet cujus fuerat: ratio eſt, quia in iis, quæ ad ſua initia redigi poſſunt, materia potentior eſt forma; *l. quæſitum, §. illud, ff. de legat.* 3. poſteriori caſu materia cedit formæ, & is dominus intelligitur qui fecerit; *l.* 7. §. *cum quis, ff. de adquir. rer.domin.* in qua ſine dubio expungenda eſt negativa: & hac ſententia, ſi quis ex alienis tabulis navem fecerit, ejus erit qui fecerit, quia cupreſſus, ex qua navis facta eſt, non manet cupreſſus, non magis quam lana, ex qua veſtis, lana non manet, & navis in tabulas reſolvi non poteſt; *l. ſed ſi meis, in pr. ff. eod.* Pugnat l. *Minicius, ff. de rei vindicat.* in qua ſi quis ex aliena materia navem ædificaverit, Julianus negat ædificantis eſſe, ſed ejus cujus materia fuit, quod totius navis proprietas carinæ cauſam ſequitur: carina ſc. eſt potior pars navis; Jo.Chryſoſt. in pſalm. 49. **) οὐκ ἔστιν ἡ τρόπις, καὶ πῶς τὸ πλοῖον συνέστηκεν; *Non eſt carina, & quomodo conſiſtit navigium?* Sed in hac lege refertur ſententia Sabinianorum, quos Minicius & Julianus ſecuti ſunt. In *l. ſed ſi meis*, ſententia Proculianorum, quas inter ſecuta eſt media ſententia aliorum, ut ſi materia ad priorem ſpeciem reverti poſſit, materiæ dominus rei dominium haberet: quod ſi materia ad priſtinam ſpeciem reduci non poſſet, tum is dominium rei haberet, qui ſpeciei eſſet auctor. Aliis placuit diſtinctio, utrum materia, an manus eſſet precioſior, plus ne eſſet pretii in opere, quam in materia, ut quod pluris eſſet, id prævalentia ſua ad ſe traheret id quod minus eſſet, quoniam plerumque plus eſt in manus pretio, quam in re; *l. mulieris, ff. de V. S.* Aſcon. in Verrin. 3. *Manu pretium dicitur, ubi non tam materiæ ratio, quam manus atque artis ducitur.* Media Sabinianos, & Proculianos inter ſententia eſt, ut ſi ſpecies non poſſit reduci ad priſtinam materiam, ejus ſit qui fecit, & exempli cauſa proponitur frumentum ex alienis ſpicis excuſſum, ut is qui ex alienis ſpicis frumentum excuſſit, ejus frumenti dominus fiat, quaſi ſpecies ad priſtinum ſtatum reduci non poſſit; ſed Gaius non probat, & verius eſſe oſtendit alienis e ſpicis excuſſum frumentum ejus eſſe, cujus ſpicæ fuerunt, propterea quod is, qui frumentum e ſpicis excuſſit, non novam ſpeciem facit, ſed eam quæ latebat detegit; *d. l.* 7. §. *cum quis.*

Si naturalem rationem ſpectemus, ſi quis partim ex aliena materia, partim ex ſua ſpeciem fecerit, utriusque ſit communis, pro rata cujusque quanti unumquodque eſt. Si quis partim ex aliena materia ſpeciem fecerit, puta ex ſuo vino, & alieno melle mulſum miſcuerit, aut ex ſuis & alienis medicamentis emplaſtrum aut collyrium, aut ex ſua lana & aliena veſtem fecerit, Juſtinianus *hic* ait, eum eſſe dominum qui fecerit, quia plus contulit in opus, cum contulerit operam, quæ plerumque rem æquat; *l.* 5. *& 6. l. cum duobus*, §. † 2. *ff. pro ſoc.* & partem materiæ: ſed hoc ita accipiendum eſt, ut ſi ſpecies ad priſtinam materiam reduci non poſſit, hic qui ſpeciem fecit dominus ſit, quod oſtenditur in omnibus exemplis quæ proponuntur a Juſtiniano: alioquin ſi materia ad priſtinam ſpeciem reduci poſſit, ſi materiæ ſeparari poſſunt, puta ſi quis ex ære ſuo, & alieno argento ſpeciem fecerit, quilibet materiæ ſuæ dominus manet. Confuſis materiis, non inducitur communio rei, quia materiæ ab artificibus ſeparari poſſunt; *l. lacus*, §. 1. *ff. de adquir. rer. domin. l.* 3. §. *ult. l.* 5. §. 1. *de rei vindicat.*

§. *Si tamen.*

ALiena purpura intexta veſtimento, quamvis pretioſior ſit purpura, tamen acceſſionis vice cedit veſtimento, ex *hoc* §. *& l.* 7. §. 2. *ff. ad exhib.* quia

Source : BIU Cujas

quia in quibus propria qualitas, seu certa species spectatur, si quid additum erit toto cedit, id est accessio cedit principali; *l. sed si meis*, §. 1. *ff. de adquir. rer. domin. l. in rem*, §. 2. *de rei vindic.* nimirum quasi vilior & contemptior. Hinc de medicis Plin. lib. 29. cap. 1. *Mutantur circa ægros sententiæ, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius.* Aliena purpura vesti intexta ei cedit, etiam si veste pretiosior sit. Quæcumque aliis juncta seu adjecta, aliis accessionis loco cedunt, & quamdiu cohærent, a domino vindicari non possunt, sed ad exhibendum agi potest, ut separentur, & postea vindicentur; *d. l. in rem*, §. 5. & si furto subrepta sint quæ alteri rei juncta sunt, domino datur actio furti, vel condictio furtiva adversus eum qui subripuit; *d. l. in rem*, §. 4.

§. *si duorum*.

SI duorum materiæ utriusque domini voluntate confusæ sint, corpus, quod ex hujusmodi confusione ortum est, efficitur commune, sive materiæ sint ejusdem generis, puta si vinum meum cum tuo, meum aurum aut argentum cum tuo confusum sit, sive materiæ sint diversi generis, puta si ex vino meo, & melle tuo mulsum fiat, vel ex auro meo & argento tuo electrum, ex quorum confusione propria, id est nova species, constituitur, ex *hoc* §. *& l.* 7. §. *voluntas*, *ff. de adquir. rer. domin. l.* 3. §. *ult. de rei vindicat.* Commune autem illud corpus intelligitur, non ex æquis partibus, sed pro rata ponderis auri vel argenti cujusque, & eo casu datur actio communi dividundo; *l.* 3. §. *ult. l.* 4. *&* 5. §. 1. *ff. de rei vindicat.* Ratio communionis est, quia societas inter eos tacito consensu contracta est: societas non modo verbis, sed & re contrahitur; *l.* 4. *ff. pro soc.* Valde pugnans videtur *l.* 5. §. 1. *ff. de rei vindicat.* ubi si ex melle meo & vino tuo mulsum factum sit, non est commune, sed verius est ejus potius esse qui fecit, quia mulsum ex melle & vino conflatum, novam speciem continet: sed in hac lege agitur de confusione, quæ facta est, non ex voluntate utriusque domini, sed alterius dumtaxat, hoc casu confusione non contrahitur communio sine voluntate domini: nemo ignorans vel invitus ad communionem compellitur; *l. si non sortem*, §. *si centum*, *ff. de condict. indebit.* Si res, quæ ejusdem naturæ sunt, ita confusæ & commixtæ sint, subaudi sine voluntate dominorum, ut deduci & separari non possint, puta si argentum tuum & meum in massam redactum sit, erit utriusque commune pro rata ponderis, quod ad quemque pertinet in massa, eoque nomine communi dividundo agi potest; *l.* 3. §. *ult. cum l. seq. ff. de rei vindicat.* & divisio fit in viriles portiones, alioquin res exitum non inveniret. Si materiæ diversi generis, non ex voluntate dominorum confusæ sint, ita ut deduci & separari non possint, ut si æs tuum cum auro meo mixtum & confusum sit, (quia veteres hæc duo metalla semel confusa separandi artem non callebant, cum non dum aqua chrysulca inventa esset, cujus vi aurum a quocumque metallo separatur, de quo Alciat. *libr. 6. parerg. cap.* 11.) massa conflata ex ære tuo & auro meo est communis, & a singulis pro parte vindicatur, quia utraque materia, etsi confusa, manet tamen singulorum; *l.* 5. §. 1. *ff. eod.* id est confusio æris & auri non mutat dominium, quia confusio non mutat, sed miscet materiam. Non idem est si plumbum tuum cum argento meo mixtum sit, non fit commune, nec eo nomine agetur communi dividundo, quia plumbum facile deduci & separari potest ab argento, sed agetur in rem actione, & quisque quod suum est vindicabit; *d. l.* 5. §. 1. Quid si æs meum & argentum tuum conflatum? species conflata ex utroque non est communis, quia cum diversi generis æs ab argento sit, ab artificibus separari, & in pristinam materiam reduci solet; *l. lacus*, §. 1. *ff. de adquir. rer. domin.* Si casu confusæ sint materiæ, corpus

Source : BIU Cujas

ex iis conflatum utriusque domini commune est: communio re contrahitur, sine consensu, tacito legis intellectu, ut inter coheredes & collegatarios, quos ad societatem conjunxit non consensus, sed res, qui non contraxere societatem, sed inciderunt in eam; §. 3. *infr. de oblig. quæ ex quasi contract. l. heredes*, §. *non tantum*, *ff. famil. erciſc.*

§. *Quod ſi frumentum.*

SI frumentum duorum citra eorum voluntatem confuſum ſit, datur ſingulis in rem actio, in id in quantum apparet in illo acervo ſuum cujusque eſſe. Quod ſi frumentum duorum voluntate dominorum commixtum ſit, commune fit, & datur utrique actio communi dividundo, ex *h.* §. *& l.* 5. *ff. de rei vindicat.* Si duorum frumentum caſu & ſine voluntate dominorum commixtum ſit, commune non fit, commixtio hujusmodi non inducit communionem, quia ſingula corpora, id eſt ſingula grana, durant in ſua ſubſtantia, ex *hoc.* §. non magis quam grex pecorum non fit communis commixtione pecudum utriusque domini, ex *hoc ipſo* §. commixtio pecudum non inducit communionem, quia grex conſtat ex pluribus corporibus diſtinctis, ſed uni nomini ſubjectis; *l. rerum mixtura*, *ff. de uſucap.* Frumento duorum caſu confuſo, ſingulis datut in rem actio pro modo frumenti, arbitrio autem judicis continetur, ut ipſe æſtimet quale cujusque frumentum fuerit, ex *hoc* §. id eſt judex æſtimabit, quanti ſit frumentum cujusque, quia etſi utriusque frumentum ſit ejusdem generis, non tamen eſt ejusdem qualitatis & bonitatis, frumento enim bono datur melius; *l. ubi autem*, §. † 2. *de V. S.*

§. *cum in ſuo.*

SI quis in ſuo ſolo ex aliena materia ædificaverit, ipſe intelligitur dominus ædificii, quia ſuperficies cedit ſolo, id eſt ædificium alieno ſolo impoſitum, ejus eſt cujus & ſolum; *l. qui domum ff. ad l. Aquil. l.* 2. *de ſuperfic.* Naturali & civili ratione area ſive ſolum trahit ad ſe ſuperficiem, tanquam partem minorem ſive acceſſionem, quia area eſt pars maxima ædificii; *l. qui res*, §. *ult. ff. de ſolut.* Hoc argumento probabat Fridericus I. adverſus Adrianum Pontificem metandi jus ſibi & legatis competere in ædibus Epiſcoporum, quod ſitæ eſſent in ſolo & allodio Principis, apud Radevic. lib. 2. cap. 3. *Si autem in noſtro ſolo & allodio ſunt palatia Epiſcoporum, cum profecto omne quod ædificatur ſolo cedat, noſtra ſunt & palatia.* Excipitur ædificium mobile, quod alio trasferri poteſt: puta ſi Titius horreum frumentarium mobile ex tabulis ligneis in Seii prædio poſuerit, non adquiritur Seio; *l. Titius*, *ff. de adquir. rer. domin. l. granaria*, *de act. empt.* Nec tamen ideo dominus materiæ definit dominus ejus eſſe, ſed tantisper non poteſt eam vindicare, neque de ea agere ad exhibendum, propter legem 12. tab. quæ prohibet, ne tignum alienis ædibus junctum ſolvi poſſit, ſed ut duplum pro eo præſtetur actione de tigno juncto, ex *hoc* §. *l.* 7. §. *cum in ſuo*, *ff. de adquir. rer. domin. l.* 1. *de tign. junct. l. gemma*, *ad exhib.* Tignum alienis ædibus junctum non poteſt vindicari, neque eo nomine agi ad exhibendum, ne ædificia diruantur, & ruinis urbs deformetur; *d. l.* 1. *de tign. junct. l. ult. ff. ne quid in loc. publ. l.* 2. *C. de ædific. privat.*

Tignum alienis ædibus junctum non poteſt vindicari, propter legem 12. tab. neque eo nomine ad exhibendum agi, niſi adverſus eum, qui ſciens tignum alienum ſuis ædibus junxit, ſed non eo nomine agi poteſt ad exhibendum, ut tignum ſolvatur, ſed ut duplum conſequatur, actione de tigno juncto, quæ ex lege 12. tab. deſcendit; *l. in rem*, §. *tignum*, *ff. de rei vindicat.* *d. l.*

Source : BIU Cujas

d. l. qui res, §. *ult.* Actio in duplum, quæ datur de tigno juncto, est de tigno furtivo : ceterum si tignum voluntate domini alienis ædibus junctum sit, in hoc dumtaxat agi potest, ut vindicetur soluto tigno, non ut in duplum agatur actione de tigno juncto, neque enim furtivum est tignum, quod sciente domino alienis ædibus junctum est ; *l. de eo, ff. de donat. inter vir. & uxor.*

Si quis ex aliena materia in suo solo ædificaverit, ædificium cedit solo, verumtamen dominus materiæ non desinit ejus dominus esse, quia res nostra sine facto nostro ad alium trasferri non potest ; *l. id quod nostrum, de R. J.* sed tantisper, neque vindicare eam potest, neque eo nomine ad exhibendum agere, nisi diruto ædificio. Ait tantisper, quasi Imperator significet interim dominium manere in suspenso, & dominum materiæ qui fuit, dominum quidem permanere, verum non pleno jure, & usquequaque, sed ex parte, & quadamtenus, ut soluto ædificio dominium quasi postliminio redintegretur ; *l. 2. C. de rei vindicat.* Sane non patitur civilis ratio, ut duo simul sint domini ejusdem rei in solidum ; *l. 5. §. ult. ff. commodat.* atque ita repugnat, ut dominus soli sit dominus ædificii ex aliena materia facti, & tamen qui fuit dominus materiæ ejus dominus permaneat, sed hoc lege 12. tab. iuductum est favore decoris publici ædificiorum, vel etiam ex eo non contingit, ut duo sint domini ejusdem rei, quia aliud sunt ædes, aliud materia ædium, aliud sunt ædes, aliud cæmenta ex quibus ædes constant, si singulatim & seorsim accipiantur, quia cum ædes dicimus, non singulas res, sed corpus ipsarum ædium intelligimus, ideo qui ædes possidet, non idcirco singulas res ex quibus ædes constant possidere intelligitur ; *l. eum qui ædes, ff. de usucap. l. qui universas, de adquir. possess.* & dominus materiæ non est dominus ædium, & e contra, sicut aliud est navis, aliud materia ; *l. † si convenit*, §. 3. *ff. de pigner. act.*

Soluto ædificio materiæ dominus potest eam vindicare, vel eo nomine ad exhibendum agere, nisi jam duplum consecutus fuerit actione de tigno juncto, ex *hoc §. in fin. & d. l. 7. §. cum in suo, l. si quis, §. sed in cæmentis, ff. de except. rei judicat.* Actio de tigno juncto, si per eam dominus duplum consecutus sit, tollit vindicationem, quæ alioquin soluto ædificio competeret : ratio est, quia lex 12. tab. cavit, ut duplum pro tigno juncto præstaretur, non ergo voluit lex & duplum solvi, & tignum solutum vindicari. Appellatione tigni venit omnis materia ex qua ædificium constat, puta cæmenta & tabulæ, ex *hoc §. & d. l. 7. §. cum in suo l. 7. ff. ad exhib. l. tigni, de V. S.*

§. *ex diverso.*

SI quis ex sua materia in alieno solo ædificaverit, prior dominus materiam vindicare non potest, priusquam resoluta sit, quia ædificium cedit solo, & quod in eadem causa manet, ad dominum soli pertinet, igitur materiam vindicare interim non potest, sed potest de ea agere ad exhibendum, non ut vindicetur, sed ut duplum præstetur actione de tigno juncto ; *l. in rem, §. tignum, ff. de rei vindicat. l. qui res, §. ult. de solut.* Soluto ædificio tunc poterit materiam vindicare, si quis ex sua vel aliena materia in alieno solo ædificaverit, soluto ædificio materia ad priorem dominum redit ; *l. 2. C. de rei vindicat.* non quasi ejus dominium ab eo aliquando abscesserit, sed quoniam ita remanebat prioris domini, ut tamen vindicari ab eo non posset, itaque in suspenso esse potius dominium, quam extinctum videbatur ; *d. l. qui res, §. aream.*

Soluto ædificio, priori domino competit vindicatio materiæ, ita demum si bona fide ignorans ex sua materia in alieno solo ædificaverit, si vero mala fide, id est sciens se in alieno solo ædificare, materiam vindicare non potest, quinimmo ejus amittit proprietatem, nam donasse materiam censetur, ex *hoc §.*

Source : BIU Cujas

l. 7. §. ex diverso, ff. de adquir. rer. domin. l. si servus, §. si olivam, ad l. Aquil. nisi probet se non animo donandi ædificasse ; *d. l. 2.* nam & præsumptio tollitur per contrariam probationem.

Si bonæ fidei possessor in alieno solo ædificaverit, domino sibi vindicante ædificium, quasi in suo solo positum, servat sumptus per retentionem domus, oppositâ exceptione doli mali, ex *hoc §. l. sin autem, §. ult. ff. de rei vindicat. l. si in area, de condict. indebit.* & aliis quam pluribus. Quod si sciens in alieno solo ædificaverit, non servat impensas nisi sint necessariæ, vel nisi paratus sit tollere ædificium, quod tolli potest sine dispendio domini areæ ; *l. in fundo, l. Julianus 37. ff. de rei vindicat. l. domum, C. eod.* Si quis ex alienis cæmentis in suo solo ædificaverit, priori domino non competit vindicatio cæmentorum, nisi soluto ædificio, tunc cæmenta a priori domino vindicari possunt etiam si post tempus usucapionis ædificium solutum sit, quia usucaptis a bonæ fidei possessore ædibus, singula cæmenta, ex quibus ædes constant, usucapta non intelliguntur ; *d. l. in rem, §. † item si quis, al. ult.* Quamdiu durat ædificium, usucapio non currit contra dominum cæmentorum, quia non potest agere vindicatione cæmentorum, nec usucapio vel præscriptio currit adversus eum, qui agere non potuit ; *l. 1. §. ult. C. de annal. except.*

§. *si Titius.*

PLanta in alienum agrum translata solo cedit, si modo ibi coaluerit & radices egerit, nec interest utrum quis alienam plantam in suo solo, an suam in alieno ponat. Adeoque planta cedit solo, ex quo radices egerit, ut si vicini arbor ita terram Titii presserit, seu in terram Titii depressa sit, ut in ejus fundum radices egerit, Titii propria sit, quia alterius esse non potest arbor, quam cujus in fundum radices egerit, ex *hoc §. & l. 7. §. ult. ff. de adquir. rer. domin.* Arbor cedit solo, ubi coaluit, quia alio terræ alimento alia facta videtur ; *l. sed si meis, §. arbor, ff. eod.* & arbor, quæ cum terra coaluit, est pars fundi ; *l. Quintus Mucius, ff. de act. empt. l. divortio, † alias l. 7. §. si fundum, solut. matrim.* Arborum, quæ fundo continentur, non est separatum corpus a fundo, & ideo venditis arboribus, ut dominus arbores vindicare emptor non potest, sed ex empto habet actionem ; *d. l. Quintus Mucius.* De arbore, quæ in alienum agrum translata, in quo coaluit & radicem egit, Varus & Nerva priori domino utilem in rem actionem dabant, quorum sententiam quasi explosam refert Ulpian. in *l. 5. §. de arbore, ff. de rei vindicat.* Si quis vitem ex fundo vicini in suum vi aut clam depresserit seu defixerit, eaque in fundo suo coaluerit, priori domino datur interdictum quod vi aut clam, post annum nulla remanet actio, quia radices vitis, quæ in fundo vicini sunt, ejus fiunt cujus fundo vitis coaluit, quia sunt accessiones ; *l. ult. ff. quod vi aut clam.* Arbor radicibus eruta, & in alieno fundo posita, priusquam in eo fundo radices egerit & coaluerit, prioris domini est, ubi coaluit agro cedit, & si rursus ex eo fundo eruta sit, ad priorem dominum non redit, nam alio terræ alimento alia videtur facta ; *d. l. sed si meis, §. arbor.* Arbor cedit agro, in quo maximam radicum partem obtinet, & cujus ex humore majorem partem alitur ; *l. si plures, ff. arbor. furt. cæsar.* Quod si arbor prope confinium posita, in vicini fundum radices egerit, id est partem radicum, communis fit, ex *hoc §. & d. l. 7. §. ult.* quia utriusque fundi humore & succo alitur, nimirum pro regionibus cujusque prædii ; *l. 8. ff. de adquir. rer. domin. l. arbor, commun. divid.*

§. *qua*

Source : BIU Cujas

§. *qua ratione.*

SIcut planta, quæ alieno in fundo coaluit, solo cedit, ita & frumentum in alieno agro satum: sed ut qui bona fide in alieno fundo ædificavit, domino vindicante fundum, servat impensas, per retentionem, opposita exceptione doli mali, ita & qui alienum fundum bona fide consevit servat sementem & impensas factas in fundo colendo, ope ejusdem exceptionis, ex *hoc* §. *& l. qua ratione, ff. de adquir. rer. domin.* Frumentum in alieno agro satum, cedit domino soli, quia fructus non jure seminis & culturæ, sed jure soli & dominii percipiuntur: in fructibus magis corporis jus, ex quo percipiuntur, quam seminis, ex quo oriuntur, aspicitur, ut eleganter ait Julianus in *l. qui scit,* §. 1. *ff. de usur.* & eadem sententia fructus non hereditati, sed rebus ipsis, id est corporibus unde nascuntur, accepto feruntur; *l. in fideicommissaria,* §. † *quotiens, ff. ad Trebell.* Qui alienum fundum donandi causa excolit, non habet retentionem propter impensas, quia semen jactum statim domini efficitur; *l. qui alienum, ff. de donat.*

§. *litteræ.*

SCriptura, licet constet litteris aureis, cedit chartæ, seu membranæ, sicut ædificium solo, vel planta fundo, in quo coaluit & radices egit, ex *hoc* §. *& l. qua ratione,* §. 1. *ff. de adquir. rer. domin. l. in rem actio,* §. *sed & id quod, de rei vindic.* Dubitationem movebat, quod scriptura, quæ est longe pretiosior, videbatur non posse cedere chartæ aut membranæ, sed scriptura cedit chartæ & membranæ, quia sine illa stare non potest; *d.* §. *sed & id quod:* tum accessio, licet pretiosior, cedit principali natura sua; *l. sed si meis, ff. de adquir. rer. dom. l. cum aurum,* §. *perveniamus, de aur. & argent. legat.* Si Titius bona fide in aliena charta membranave scripserit, domino chartam aut membranam vindicante, servat impensas, oppositа exceptione doli mali, ex *hoc* §. *& d. l. qua ratione*: doli enim exceptio non datur nisi bonæ fidei possessori; *l. plane, ff. de hered. petit. l.* 2. §. † *& generaliter, de dol. & met. except.*

§. *si quis in aliena.*

AN pictura tabulæ cederet, non consensere jurisconsulti: alii exhistimabant picturam cedere tabulæ, & hanc sententiam secutus est Paulus in *l. in rem,* §. *sed & id quod, ff. de rei vindic.* Hac ratione motus, quod pictura sine tabula stare non potest, & necesse est rei cedere, quod sine illa esse non potest: alii contra, picturam tabulæ cedere, quos inter fuit Gaius in *l. qua ratione,* §. *litteræ, ff. de adquir. rer. domin.* cujus sententiam comprobat Imperator in *hoc* §. non alia ratione, quam quod ridiculum sit picturam Apellis & Parrhasii, qui fuere eximii pictores, in accessionem vilissimæ tabulæ cedere, quæ haud dubie fuit ratio Gaii & aliorum priorum, qui eandem sententiam amplexi sunt, ut observatur ex *d. l. in rem,* in qua Paulus refert quosdam sibi contrarios sensisse tabulam cedere picturæ, nimirum propter pretium picturæ. Adeo certe pictura in pretio cultuque fuit, ut Græcis esset in numero artium liberalium, & servis interdicta fuerit; Plin. *lib.* 35. *cap.* 19. unde pictori, qui pinxit in aliena tabula, datur imaginis directa vindicatio in dominum tabulæ, quia is jam est dominus propter prævalentiam picturæ, sed exceptione doli submovetur, nisi pretium tabulæ solvat: quod si pictor penes se habeat tabulam, dominus tabulæ non habet directam rei vindicationem, quia

Source : BIU Cujas

jam is dominium amisit, idque in pictorem translatum est, sed datur ei ex bono & æquo utilis vindicatio, sic tamen ut repellatur exceptione doli mali, nisi impensam picturæ solvere paratus sit, ex *hoc* §. *& d. l. qua ratione*, §. *litteræ*.

§. *si quis a non domino.*

ALii sunt fructus naturales, qui sponte sua proveniunt sine cultura & cura hominis, ut silvæ cæduæ, fœnum, poma: alii sunt industriales, qui non sine opera & cultura proveniunt, ut frumentum, vinum ; *l. fructus*, *ff. de usur.* Bonæ fidei possessor, qui bona fide rem alienam adquisivit a non domino, sive ex causa onerosa, puta titulo emptionis, permutationis, aut dotis, aut ex causa lucrativa, puta donationis aut legati, fructus percipiendo suos facit, pro cultura & cura, ex *hoc* §. Ait pro cultura & cura, ut intelligamus hanc regulam accipiendam esse de fructibus industrialibus, quos bonæ fidei possessor percipiendo suos facit, quia in fructibus percipiendis domini locum obtinet ; *l. qui scit*, *ff. de usur.* Fructus naturales bonæ fidei possessor percipiendo suos non facit ; *l. fructus*, *ff. eod.* quinimmo re evicta eos restituit, licet consumpti sint. Neque obstat quod dicitur in *l. bonæ fidei*, *ff. de adquir. rer. domin.* bonæ fidei possessorem fructus percipiendo suos interim facere, non tantum eos qui diligentia & opera ejus pervenerunt, sed omnes, id est etiam naturales, quia bonæ fidei possessor fructus naturales quidem suos interim facit quoad res evincatur, sed re evicta eos restituit, & res ad nihilum recidit.

Bonæ fidei possessor fructus percipiendo suos facit, statim atque a solo separati sunt ; *d. l. qui scit*, §. 1. Fructus fiunt bonæ fidei emptoris, etiam priusquam percipiat, id est priusquam perfecte percepti & collecti sint, statim atque a solo separati & demessi sunt ; *d. l. bonæ fidei*. At superveniente domino, & fundum vindicante, fructus extantes, nec dum consumptos, cum fundo restituit, consumptos lucratur, ex *hoc* §. *l. quæsitum*, in fin. *ff. de adqu. rer. domin. l.* 4. §. 2. *fin. regund. l.* 4. §. *lana*, *de usucap.* Perceptio enim fructuum inchoat, consumptio perficit adquisitionem fructuum. Neque obstat *l. in pecudum*, *ff. de usur.* in qua fructus statim atque percepti sunt dicuntur pleno jure fieri bonæ fidei possessoris, id enim eo pertinet, ne requiratur usucapio ; *l. Julianus* 17. *in fin. ff. de rei vindicat.* verum fructus extantes ab eo vindicari possunt. Bonæ fidei possessor non tenetur restituere fructus perceptos, ante litem contestatam, nec usuras pretii redacti ex venditione rerum hereditariarum ante litem contestatam, nisi ex his locupletior factus sit ; *l.* 1. §. 1. *C. de petit. hered.* Igitur tenetur restituere fructus extantes, non bona fide consumptos ante litem contestatam, nimirum quos bona fide consumpsit dum re sua se abuti putat, quo genere non fit locupletior, ut si lautius vixerit, fiducia hereditatis, quam credidit ad se pertinere ; *l. sed etsi lege*, §. *si quis re sua*, §. † *quod autem*, *ff. de petit. hered.*

Malæ fidei possessor, qui fundum alienum sciens possidet, cum fundo fructus omnes etiam consumptos restituere cogitur, ex *hoc* §. *& §. etsi in rem infr. de offic. judic. l. certum*, *C. de rei vindicat.* & quidem fructus extantes restituit per rei vindicationem, consumptos per condictionem sine causa vel ex injusta causa ; *l.* 3. *C. de condict. ex leg.* l. 4. *in fin. C. de crim. expilat. hered.* Bonæ fidei possessor non restituit fructus perceptos ante litem contestatam, nisi quatenus locupletior ex his factus est ; *l. illud quoque*, §. *prædo*, *ff. de petit. hered.* & horum quoque fructuum, quibus locupletior factus est, usuras non præstat ante litem contestatam ; *d. l.* 1. Prædo, id est malæ fidei possessor, omnes fructus etiam perceptos ante litem contestatam restituit cum usuris ; *d. l. illud*, §. *prædo*, *l. eum qui*, *ff. de his quæ ut indign.* Malæ fidei possessor omnes fructus

Source : BIU Cujas

fructus ante litem contestatam perceptos, vel percipiendos, id est qui honeste percipi potuerunt cum re ipsa restituere tenetur; *l. fructus* 33. *ff. de rei vindicat. & d. l. certum*, etsi inhonestos fructus perceperit, puta ex lupanari, etiam eos restituere tenetur, ne honesta interpretatio, non honesto quæstui lucrum possessori faciat; *l. ancillarum*, §. *sed & pensiones*, *l. si possessor*, *ff. de petit. hered.*

Bonæ fidei possessor ab initio, post litem contestatam, tam fructus quos percepit vel percipere potuit, quam usuras pretii rerum, ante litem contestatam venditarum a die litis contestatæ omnino præstare cogitur; *d. l.* 1. §. 1. *C. de petit. hered. & d. l. Julianus*, §. 1. quia is, qui bona fide rem alienam possidebat ab initio, lite contestata incipit esse malæ fidei possessor, ex quo intellexit rem alienam esse: post litem contestatam omnes possessores pares sunt; *d. l. sed etsi lege*, §. *si ante litem*, id est omnes incipiunt esse malæ fidei possessores post litem contestatam. Nec movet, quod qui bona fide possedit ab initio, & ex post facto cognovit rem alienam esse, non desinit pergere usucapere, alia est ratio usucapionis, alia possessionis, quoad adquirendos fructus: nam usucapio, quæ magis ex jure, id est ex l. 12. tab. quam ex facto hominis proficiscitur, non interrumpitur superveniente scientia rei alienæ. At possessio est magis facti quam juris, & ad factum pertinet an quis mala aut bona fide possideat: ideoque bonæ fidei possessor esse desinit statim atque scivit rem alienam esse. Post litem contestatam fructus perceptos bonæ fidei possessor omnimodo restituit, etiam si petitor eos percepturus non fuerit; *l. cum hereditas*, *ff. de petit. hered.*

§. *is vero.*

DOminus fructus suos non facit perceptione, quia ante perceptionem est dominus, cum fructus pendentes sint pars fundi, nec perceptione adquiratur jus novum in fructibus, quod enim semel nostrum est, amplius nostrum fieri non potest; *l. & an* † *eadem*, §. *pen. ff. de except. rei judic.* Bonæ fidei possessor fructus percipiendo suos facit, id est statim atque a solo separati sunt, a quocumque aut quomodocumque sint separati, fructuarius autem non prius fructus suos facit, quam ipse eos perceperit, vel alius ejus nomine; *l. si fructuarius*, *ff. quib. mod. usufruct. amitt. l. qui scit*, §. *pen. de usur.* Ideo si fur decerpserit vel desecuerit fructus pendentes jam maturos, condictio furtiva non competit fructuario, sed domino; *l. arboribus*, §. *Julianus*, *ff. de usufr.*

Bonæ fidei possessor fructus suos facit mox quam a solo separati sint, fructuarius non prius quam ipse eos perceperit. Perceptio fructuum aliter spectatur in persona fructuarii, ac in persona bonæ fidei possessoris, in fructibus percipiendis plus juris habet bonæ fidei possessor quam fructuarius, quia bonæ fidei possessor quoad fructus percipiendos domini loco habetur; *d. l. qui scit*, §. *pen.* & ideo fructus suos facit statim atque a solo separati sunt a quocumque aut cujuscumque nomine, quia jus bonæ fidei possessoris est jus reale, & quasi plenum dominium continet: at ususfructus est jus personale, quod factum personæ fructuarii desiderat in percipiendis fructibus: ususfructus est jus diversum a proprietate, quod nulla societate dominio conjungitur; *l.* *) *locum*, §. *proprietarius*, *ff. de usufr.*

Fructuarius non prius fructus suos facit, quam ipse eos perceperit, & ideo si decesserit fructibus pendentibus, id est nondum perceptis licet maturis, fructus pendentes non pertinent ad heredem fructuarii, sed ad proprietarium, ex *hoc* §. *d. l. si fructuarius*, *l. in singulos*, *de ann. legat.* Male intelligit Cujac. ex *l. si operas*, *ff. de usufruct.* fructus pendentes, vel perceptos finito usufructu morte fructuarii, vel alio modo, dividi inter heredem fructuarii & proprie-

Source : BIU Cujas

tarium pro rata temporis quo usufructus duravit eo anno, nam hujus legis germana sententia est, operas servi fructuarii deberi quidem fructuario quamdiu usufructus durat, quia operæ sunt in fructu, sed si servus fructuarius operas suas in annum locaverit, pacta certa mercede finito usufructu, ante impletum tempus locationis, quod superest ad proprietarium pertinere, id est mercedem operarum, quæ debetur pro residuo tempore anni, adquiri proprietario; *l. si servus*, §. *ult. ff. de stipulat. servor.* unde ex hac lege nequaquam effici potest, finito usufructu morte fructuarii, fructus dividi inter heredem fructuarii & proprietarium pro rata temporis, quinimmo contrarium inde evincitur, nimirum finito usufructu morte fructuarii fructus nondum perceptos integros pertinere ad proprietarium, & mercedes operarum, quæ præstabuntur post mortem fructuarii, pertinere ad proprietarium, non aliter quam fructus prædiorum pendentes tempore finiti usufructus. Igitur fructuarius non transmittit ad heredem fructus pendentes & nondum perceptos, sed tantum quos dum viveret percepit. Ita cum fructuaria decessisset mense decembri, jam perceptis omnibus fructibus, & quæreretur utrum pensio locationis, quæ ex contractu non ante sequentes kalendas martias solvenda erat, deberetur in totum heredi fructuariæ, an dividenda esset inter ejus heredem & proprietarium? Scævola recte respondit in *l. defuncta, ff. de usufr.* fructuariæ heredem sua die integram pensionem percepturum, non abs jure, quia spectatur tempus perceptionis fructuum, non dies solutionis pensionis: & quemadmodum si nulla locatio facta esset, fructus percepti quæsiti essent fructuario, & consequenter ab herede in ejus hereditate inventi essent, ita & pensionem quæ vicem fructuum obtinet; *l. si servus*, §. *locavi, ff. de furt.* pro perceptis fructibus vivo fructuario transmitti ad heredem fructuarii æquum est.

In hoc convenit fideicommissarius cum fructuario, quod fructus pendentes tempore cedentis fideicommissi & post adquisitum ex causa fideicommissi dominium percepti ad fideicommissarium pertinent, licet major pars anni ante diem fideicommissi cedentem præterierit; *l. Herennius* 42. *ff. de usur.* Alia est ratio mariti in fructibus fundi dotalis, nimirum fructus fundi dotalis ejus anni, quo morte vel divortio solutum est matrimonium, dividuntur inter virum & uxorem vel heredem alterutrius pro rata temporis quo matrimonium eo anno stetit; *l. fructus*, §. *Papinianus, ff. solut. matrim. l. unic.* §. † *cumque ex stipulatu, vers. sed & novissimi. C. de rei uxor. act.* quia fructus dotis pertinent ad maritum propter onera matrimonii; *l. pro oneribus, C. de jur. dot.* ergo quatenus maritus sustinuit onera matrimonii. At fructuarius fructus suos non facit, nisi perceptione, & quatenus eos percepit, ut fructus beneficii vel præbendæ dividuntur inter heredem beneficiarii & successorem pro rata anni; *d. l. fructus.* quia beneficium datur propter officium; *cap. ult. de rescript. in 6.*

Fructuarius non aliter fructus suos facit, quam si ipse eos perceperit, nec transmittit ad heredem nisi fructus perceptos: idemque fere in colono est, ut ait Imperator in *fine hujus* §. Exemplo fructuarii colonus fructus suos non facit, nisi quos ipse perceperit, ideoque fructibus pendentibus a fure sublatis, condictio furtiva non datur colono, sed proprietario; *l. cum in plures*, §. † *messem, ff. locat.* Hoc autem differt a fructuario colonus, quod fructus pendentes tempore finiti usufructus non pertinent ad heredem fructuarii, sed ad proprietarium, at si colonus intra tempora locationis decesserit, fructus transmittit ad heredem, quia heres in conductione succedit; §. *ult. infr. de locat. l. viam, l. contractus, C. eod.* & ideo Imperator adjecit particulam fere.

§. *in*

Source : BIU Cujas

§. *in pecudum.*

FŒtus pecoris est in fructu, sicut lac, pilus, lana, ac proinde naturali jure ad fructuarium, & bonæ fidei possessorem pertinet, ex *hoc §. & l. in pecudum, ff. de usur. l. bonæ fidei, ff. de adquir. rer. domin.* Hoc jure fœtus dotalis pecoris ad maritum pertinet, quia in fructibus computatur; *l. plerumque, §. sed fœtus, ff. de jur. dot.* Ait sicut lac, pilus, lana, id est lana ovium, pilus caprarum vel camelorum: cameli enim tondentur ut arietes, quo pendunt vectigal annuum, ut ait Ambros. *epist.* 38. Partus vero ancillæ in fructu non est, itaque non ad fructuarium, sed ad proprietarium pertinet, quia incongruum videtur hominem in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura hominum gratia comparaverit, ut scriptum est in *hoc §. & d. l. in pecudum.* Et hoc est quod ait Ulpian. in *l. vetus fuit quæstio, ff. de usufruct.* Partum ancillæ non esse in fructu, neque enim in fructu hominis homo esse potest, id est dignitas hominis nequaquam fert, ut partus ancillæ sit in fructu, sicut fœtus pecorum, ne homo homini sit vice pecudis: aliam rationem haud minus spectantem ad dignitatem hominis tradit idem Ulpian. in *l. ancillarum, ff. de petit. heredit.* ancillarum partus fructus esse non existimari, quia non temere, id est non sine causa, ancillæ ejus rei causa comparantur ut pariant, id est utilitas & fructus ancillarum non æstimatur ex partu, ex sobole, sed maxime ex operis & famulitio, etsi fœminæ videantur in primis ad partum natæ, & præcipuum munus feminarum sit accipere ac tueri conceptum; *l. quæritur*, §. 1. *ff. de ædil. edict.* unde ancillis plerumque libertas data si tres peperissent; *l. Arescusa, ff. de stat. hom. l.* 3. §. *ult. de statulib.* vel vacatio operis si tres, libertas si plures peperissent; Columell. de re rustic. lib. 1. cap. 8. *Feminis quoque fœcundioribus, quarum in sobole certus fuit numerus, honor dari debet, etiam nonnumquam & libertatem dedimus, cum complures natos educassent, nam cui tres erant filii vacatio, cui plures libertas quoque contingebat.* Hac de re veteres inter fuit quæstio, an partus ancillæ esset in fructu? de qua meminit Tull. 1. *de finib.* sed Bruti sententia obtinuit, partum ancillæ non esse in fructu, id est in usufructu, sed pertinere ad proprietarium, ut refert Ulpian. in *d. l. vetus.* Eadem ratione partus ancillæ dotalis non est in lucro mariti; *d. l. plerumque:* quod verum est in ancillis non æstimatis in dotem datis, nam si æstimatæ datæ sint, partus ancillarum ad maritum pertinet, quia periculum dotis sustinet; *l. in his rebus, § mancipia, ff. solut. matrim.* Licet vero partus ancillæ non sint in fructu, tamen causa & accessionis nomine veniunt in restitutionem hereditatis vel rei certæ, non minus quam si in fructu essent; *d. l. ancillarum, l. præterea, ff. de rei vindicat.* & mora facta in restituendo fideicommisso, partus quoque ancillarum veniunt in restitututionem fideicommissi; *l. respondit, ff. de usur. l. deducta, §. hereditatem, ad SC. Trebell.*

Varro 2. de re rust. Cap. 11.

§. *sed si gregis.*

FŒtus pecoris est in fructu, & ad fructuarium pertinet; sed fructuarius, qui gregis usumfructum habet, ex agnatis, id est ex fœtura, gregem supplere debet, id est in locum demortuorum capitum vel inutilium, alia substituere seu submittere. Sicut qui fundi usumfructum habet, in locum demortuarum vinearum vel arborum, alias debet substituere, ex *hoc §. & l. vetus quæstio, cum seqq. ff. de usufruct.* Ratio est, quia fructuarius facit quidem fructus suos, sed recte colere, & tamquam bonus paterfamilias uti debet, ut ait Justinian. *hic*, seu boni viri arbitratu; *l. item si fundi, ff. de usufruct.* Boni autem patrisf. est ex fœtu gregem supplere; Columell. lib. 7. cap. 3. *Boni*

Source : BIU Cujas

paſtoris vel prima cura eſt, annis omnibus, in demortuarum vitioſarumque ovium locum, totidem vel etiam plura capita ſubſtituere. Virgil. 3. georgic.

Atque aliam ex alia generando ſuffice prolem.

Et mox.

& ſobolem armento ſortire quotannis

Eadem ratione maritus quidem lucratur fœtus dotalium pecorum, ſic tamen ut gregem ſuppleat, ſubmiſſis in locum demortuorum capitum ex agnatis; *d. l. plerumque*, §. *ſed fœtus*. Idem in herede rogato reſtituere hereditatem; *l. deducta*, §. *hereditatem*, *ff. ad Trebell.*

§. *theſauros.*

EX conſtit. D. Adriani ſi quis in ſuo fundo theſaurum invenerit, totum jure naturali ſibi adquirit, ex *hoc* §. quia theſaurus eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat, ac proinde quod nullius ſit, primo occupanti conceditur; *l. nunquam*, §. 1. *ff. de adquir. rer. domin.* Itaque ſi quis fundum mercatus, in eo theſaurum invenerit, ejus dominus efficitur; *l. a tutore*, *ff. de rei vindicat.* Theſaurus in proprio inventus non prius fit inventoris, quam loco motus ſit; *l.* 3. §. *Neratius*, *ff. de adquir. poſſeſſ.* At ſi quis theſaurum in alieno fundo non data opera, ſed fortuito invenerit, dimidium domino ſoli, dimidium inventori conceditur, ex *hoc* §. *& l. ſi is qui*, §. 1. *ff. de adquir. rer. domin.* quia theſaurus eſt donum fortunæ; *d. l. ſi is qui*, ſeu Dei beneficium; *l. unic. C. de theſaur. lib.* 10. Quod ſi quis data opera in alieno theſaurum invenerit, totum domino ſoli reſtituit, quia in alieno fundo theſaurum quærere non licet, invito vel nolente domino; *d. l. unic.* Si maritus in fundo dotali theſaurum invenerit, non totum ſibi adquirit, quaſi eſſet fructus dotis, quia theſaurus in fructu non computatur, ſed pars dimidia cedit marito, altera mulieri, quaſi in alieno inventi; *l. fructus*, §. *ſi fundum*, *ff. ſolut. matrim.* Ex conſtitutione D. Adriani ſi quis in loco ſacro vel religioſo theſaurum fortuito caſu invenerit, totum ſibi adquirit quaſi in ſuo inveniſſet, ex *hoc* §. Theſauri in locis ſacris & religioſis, puta in ædibus ſacris & monumentis deponebantur, tutelæ cauſa. Tria millia talentorum in monumento Davidis ab Hyrcano reperta tradit Joſeph *lib.* 13. *cap.* 16. Non fiebant tamen religioſi etſi in monumento inventi eſſent; *l.* 4. §. *non fit locus*, *l. Divi. ff. ad l. Jul. peculat.* At ex conſtit. Divorum fratrum, id eſt Antonini & Veri, ſi in loco religioſo vel monumento theſaurus inventus fuerit, pars dimidia fiſco vindicatur, altera cedit inventori; *l.* 3. §. *pen. ff. de jur. fiſc.* nec terenda opera ut illa jura invicem conciliemus, nimirum ſunt diverſæ conſtitutiones Principum, quorum alius magis, alius minus ſtuduit commodis fiſci, & Juſtinianus conſtitutionem Adriani ſecutus eſt, tamquam naturali æquitati congruentiorem. Et conſtitut. etiam Adriani ſi in loco fiſcali, vel Cæſaris, id eſt fundo privato Principis, theſaurus fortuito inventus fuerit, dimidia adquiritur fiſco, vel rei privatæ Principis, dimidia inventori, & in eo non diſſenſit conſtitutio Divorum fratrum; *d. l.* 3. §. *pen.* Conſtitutionem Adriani refert Spart. *in ejus vit.* ſed omiſit caſum theſauri inventi in loco ſacro vel religioſo. Conſtitutionibus poſterioribus res aliter diſponitur. Conſtitutione Conſtantini, qui theſaurum invenit in ſuo, nihil ſibi adquirit, niſi ultrò deferat fiſco, quo caſu dimidiam conſequitur, dimidiam fiſcus; *l.* 1. *C. Th. de theſaur.* Ex Conſtit. Leon. ſi quis in ſuo theſaurum invenerit, ſive fortuito, ſive data opera, dummodo ſine mala arte, totum ſibi adquirit; *l. un. C. eod.* Legibus Gothicis theſaurus quocumque loco inventus ex aſſe redigitur in fiſcum; Caſſiodor. *6. var.* 8. *Depoſitivæ pecuniæ, quæ longa vetuſtate competentes dominos amiſerunt, inquiſitione tua noſtris applican-*

plicantur ærariis. Jure Gallico thesaurus in proprio fundo inventus dividitur inter inventorem, eumdemque dominum fundi, & dominum capitalem seu fiscum, quod si in alieno inventus sit, tertia domino fundi, tertia inventori, tertia addicitur domino capitali seu fisco. Si quis vero pecuniam deperditam, vel jacentem, vel custodiæ causa depositam invenerit, minime sibi adquirit, sed domino restituere cogitur, alioquin furti tenetur ; *d. l. a tutore*, *l. falsus creditor*, §. *proinde*, *ff. de furt.* quia pecunia jacens, aut metus vel præsidii causa deposita, & sub terra condita, non est thesaurus, & dominum non amisit, ejusque furtum committitur ; *d. l. nunquam*, §. 1. sed dicitur peculium ; *l. si chorus*, §. 1. *de legat. 3.*

§. *per traditionem.*

JUre civili aliæ erant res mancipi, aliæ nec mancipi : res mancipi erant prædia in Italico solo posita : res nec mancipi, prædia provincialia, quorum alia erant stipendiaria, alia tributaria ; Ulpian. *libr. regul. tit. de domin.* Res mancipi alienabantur per mancipationem, id est per imaginariam venditionem, quæ fiebat per æs & libram sine traditione : res nec mancipi alienabantur per traditionem. Prædia Italica erant res mancipi, quæ mancipio possidebantur, optimo jure, seu jure Quiritium, libera ab omni onere, censu, tributo ; *l. 1. & tot. tit. ff. de censib.* Prædia provincialia erant nec mancipi, quorum provinciales non habebant dominium legitimum & quiritarium, sed bonitarium, id est dicebantur habere rem in bonis ; *l. rem in bonis*, *ff. de adquir. rer. domin.* non habebant dominium, sed possessionem, dominio remanente penes Principem, nec domini sed possessores vocabantur ; *l. defensores* 8. *C. de defensor. civitat. l. ult. C. de vendend. reb. civitat.* Augustin. contr. Petilian. de unitat. eccles. *Quotidie videmus, & filium de patre tanquam de persecutore suo conqueri, & colonum de possessore :* & hujusmodi prædia possessiones ; *l. 2. C. de servitut. l. 2. C. de probat.* ex quo possessio ab agro juris proprietate distinguitur ; *l. quæstio*, *ff. de V. S.* & provincialis prædii possessori non dabatur, nisi utilis vindicatio fundi ; *l. 3. ff. de nov. oper. nunc.* Prædia provincialia alia erant stipendiaria, alia tributaria, Italica erant libera, quam ob causam prædia Italica distinguuntur a stipendiariis *l. 2. C. Th. de donat.* Provinciæ aliæ erant stipendiariæ, aliæ tributariæ : stipendiariæ erant, quæ solvebant certum stipendium seu vectigal in stipendium militum : tributariæ, quæ tributum pensitabant, quod erat varium pro ratione temporum ; M. Tull. Verr. 5. *Inter Siciliam ceterasque provincias, in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis & plerisque Pœnorum quasi victoriæ præmium ac pœna belli, ac censoria locatio constituta est, ut Asiæ lege Sempronia.* Theophilo stipendiariæ provinciæ sunt, quæ in divisione provinciarum ab Augusto facta, populo Rom. attributæ, ita ut populo stipendium persolverent : tributariæ, quæ Cæsari attributæ, eidemque tributum pendebant ; sed hæc distinctio non convenit istis temporibus, nam provinciarum divisio, quæ facta est ab Augusto, non diu perstitit, & omnes quamprimum ceciderunt in manum & potestatem Principis ; cujus rei argumentum est quod Nero sub initia principatus, publicas provincias, id est eas quæ essent populi Rom. se missurum obtestatus apud Tacit. 13. Annal. *Consulum tribunalibus Italia, & publicæ provinciæ assisterent.* Tum quia proximis temporibus stipendium & tributum utrumque fisco illatum memoratur *l. 1. ff. de publican. l. aufertur*, §. *ut debitoribus*, *ff. de jur. fisc.*

Constitutione Justiniani sublata differentia rerum mancipi & nec mancipi, dominii quiritarii & bonitarii, prædiorum Italicorum & provincialium, do-

Source : BIU Cujas

minium rerum transfertur per traditionem ex justa causa adquirendi dominii ; *l.* † *unic. C. de usucap. transform. l.* † *unic. C. de nud. jur. Quirit. tollend.* nihil enim tam naturale est, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi, ex *hoc* §. *& l. qua ratione*, §. 3. *ff. de adquir. rer. domin.* Dominium non transfertur nuda traditione, nisi præcedat justa causa, id est justus & idoneus titulus ad transferendum dominium ; *l. nunquam, ff. de adquir. rer. domin. l. quæcumque*, §. 1. *de* † *publician. in rem act. l.* 1. *& ult. pro dot.* puta causa emptionis, dotis, vel donationis, quia est causa perpetua, quæ est idonea ad transferendum dominium ; *l.* 1. *l. quamvis, ff. de jur. dot.* in hanc sententiam dominium transferri tribus modis, jure, beneficio, & impetu, id est occupatione, dixit Tertullian. adverſ. Hermogen. cap. 3. *His enim tribus modis aliena sumuntur, jure, beneficio, impetu, id est dominio, precario, vi dominio non suppetente.*

§. *venditæ.*

QUamvis dominium transferatur venditione ex justa causa, singulare est in venditione, ut rei venditæ dominium traditione non transferatur, nisi pretium solutum sit, aut eo nomine satisfactum venditori, vel emptori fides habita de pretio, ex *hoc* §. *l. quod vendidi, l. ut res, ff. de contrah. empt. l. non idcirco, C. eod.* Satisfactio fit datis fidejussoribus vel pignoribus ; *d. l. ut res, l. si rem alienam*, §. *omnis, ff. de pigner. act. l.* 4. §. *ait prætor, de re judicat.* Traditione non transfertur dominium rei venditæ, nisi soluto pretio, vel satisfactione accepta, vel fide habita de pretio, quia hoc casu venditor in creditum abiit ; *l. procuratoris*, §. *sed si dedi, ff. de tributor. act.*

Dubitationem movebat, quod emptio & venditio est contractus juris gentium, at jure gentium dominium transfertur traditione vel ipsa occupatione, & naturali rei apprehensione ; *l. nunquam, ff. de adquir. rer. domin.* unde videbatur in venditione dominium transferri per traditionem, etiam pretio non soluto : sed verius est dicere dominium transferri traditione facta ex causa venditionis, etiam si pretium numeratum non sit, si traditio facta sit eo animo, ut res emptoris fiat, quia traditione ipsa tacite videtur fides habita de pretio, alioquin rei venditæ dominium traditione non transfertur in emptorem, nisi pretium solutum sit, vel fides habita de pretio, quia cum substantia venditionis consistat in pretio, tacite inter contrahentes actum videtur, ne traditione rei dominium prius discedat a venditore, quam pretium solutum sit, vel fides habita de pretio.

Interdum etiam re tradita, ubi satisfactum est ab emptore, dominium est in pendenti, donec pretium numeretur : puta si servus fructuarius rem emerit, & per traditionem acceperit, nec dum pretium numerarit, sed tantum eo nomine fecerit satis, datis fidejussoribus vel pignoribus, in pendenti est dominium, donec pretium numeratum sit. Si enim ex re fructuarii pretium solverit, adquirit fructuario, si ex re proprietarii adquirit proprietario ; *l. arboribus*, §. *Julianus, in fin. l. sed etsi quid* 25. §. 1. *ff. de usufr.*

Rei venditæ dominium traditione transfertur ex leg. 12. tabular. tamen hoc jure naturali, id est jure gentium, effici ait Justinianus *hoc loco*, quia emptio & venditio originem cepit a jure gentium, & translationem dominii rei emptæ & venditæ, quæ fit traditione, juris gentium esse constat, quia hoc jure dominium adquiritur occupatione, & naturali prehensione rei, & per consequens traditione ; *l. qua ratione*, §. *hæ quoque, ff. de adquir. rer. domin.* Jure civili dominium rei venditæ non transfertur, nisi traditione, nec emptor potest per se ingredi possessionem, nisi a venditore tradita sit ; *l. si ager, ff. de rei vindic. l. Quintus Mucius, de act. empt.* sed hodie ex usu emptor per se possessionem init,

Source : BIU Cujas

init, & possessio transfertur in emptorem traditione calami.

§. *nihil autem.*

DOminium rei venditæ transfertur traditione, nec interest utrum dominus ipse tradat rem venditam, an alius mandato ejus, cui rei possessio, id est traditio possessionis, permissa sit, quia qui per alium facit, per se facere videtur; *l.* 1. §. † *sed neque C. de veter. jur. enucleand.* Procurator, cui libera universorum bonorum administratio permissa est, potest rem alienare, & tradendo facit eam accipientis, ex *hoc* §. *& l. qua ratione*, §. *nihil autem*, *ff. de adquir. rer. domin. l. procurator cui*, *de procurat.* Alias procurator, qui generale mandatum habet, non potest alienare vel transigere deminuendi causa, sine speciali mandato; *l. mandato*, *l. procurator totorum*, *ff. eod.*

§. *interdum.*

DOminium non adquiritur sine corporali traditione; *l. unic.* §. 2. *C. de suffrag. l.* 3. *C. de adquir. poss.* Interdum tamen dominium adquiritur etiam fictitia traditione, v.g. si rem, quam commodavi aut locavi tibi aut apud te deposui, vendidero tibi, quamvis ex causa venditionis res tradita non sit, eo ipso quod patior tuam esse, ejus dominium statim tibi adquiritur sine nova traditione, quasi tibi tradita sit ex causa venditionis, cum antea tradita fuerit ex causa commodati, locati, aut depositi, ex *hoc* §. *& l. qua ratione*, §. *interdum*, *l. si servus*, *in fin. ff. de adquir. rer. domin. l. sive autem*, §. 1. *de publician. l. si rem*, *in pr. de evict.* quia patientia mea pro traditione habetur; *l. ult. ff. de servitut.* Lex fingit rem ex causa depositi vel alia causa restitutam, & rursus ex causa venditionis traditam, quæ fictio brevis manus dicitur in *l. licet*, §. 1. *ff. de jur. dot.* quæ excogitata est ad vitandum circuitum, & celeritate conjungendarum actionum, ut ait *l.* 3. §. *pen. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Dominium rei venditæ vel donatæ transfertur & alio genere fictitiæ traditionis sine corporali traditione, puta retentione usufructus, quæ pro traditione habetur; *l. quisquis*, *l. si quis argentum*, §. *pen. C. de donat.* vel per clausulam constituti, cum venditor vel donator constituit, id est recipit se rem venditam vel donatam precario possessurum ab emptore vel donatario, donec is possessionem nactus sit; *l. quod meo*, *ff. de adquir. possess.* Effectus hujusce clausulæ est, quod emptor per se potest apprehendere possessionem rei venditæ, nec eget traditione emptoris, quæ necessaria erat jure civili; *l. fundi venditor*, *ff. de adquir. possess. l. si pater*, *C. de act. empt.*

§. † *Item si quis.*

SI quis merces in horreo depositas vendiderit, (Horrea sunt cellaria, in quibus merces & aliæ res pretiosiores reponebantur; *l.* 3. §. *effracturæ*, *ff. de offic. præfect. vigil. & l. cum in plures*, §. *locator*, *ff. locat.*) traditione clavium horrei statim dominium & possessio transfertur in emptorem, si claves in re præsenti, id est apud horreum, traditæ sint, ex *hoc* §. *& l. clavibus*, *ff. de contrah. empt. l.* 9. §. † *item si quis*, *de adquir. rer. domin.* Et traditis clavibus cellæ vinariæ in re præsenti, vinum traditum videtur; *l.* 1. §. *pen. ff. de adquir. possess.* quo se refert Tull. pro domo: *Sex. Clodio omne frumentum privatum & publicum, omnes provincias frumentarias, omnes mancipes, omnes horreorum claves lege tua tradidisti.* Nimirum traditio clavium est symbolum translationis & adeptionis dominii, unde nubentibus tradebantur claves, ut significaretur per nuptias eas rerum dominas & participes fieri; Festus in voce

Source : BIU Cujas

Clavis. Et cum divortium fiebat, claves adimebantur ; M. Tull. Philippic. 2. *Mimam illam ſuas res ſibi habere juſſit, ex* 12. *tabulis claves ademit*, (ſic enim lege pro cauſam addidit) *exegit*. Et Ambroſ. epiſt. 65. *Hinc frequens jurgium, quo mulier offenſa claves remiſit, domum revertit*. Traditio clavium ex cauſa venditionis, vel donationis vel alterius tituli idonei ad transferendum dominium, transfert poſſeſſionem & dominium, alias traditio clavium non transfert dominium & poſſeſſionem, ſed ſolam cuſtodiam ; *l. cum pater*, §. *pater pluribus*, *ff. de legat.* 2.

Aliquando etiam poſſeſſio rei venditæ transfertur per actum aliquem civilem & legitimum, qui magis juris quam facti ſit, & plus animi quam corporis habeat : v. g. ſi venditor a me juſſus procuratori meo rem tradiderit, mihi tradita videtur, ſi in præſentia ſit, non enim neceſſe eſt poſſeſſionem apprehendere corpore, & tactu (ſic enim legendum eſt, non corpore & actu ut vulgo legitur repetita poſtrema littera proximæ dictionis ex more librarii Florentini) ſed etiam oculis & affectu : ejusque rei argumento ſunt res illæ quæ propter magnitudinem ponderis moveri non poſſunt, ut columnæ, nam pro traditis habentur, ſi in re præſenti, id eſt in conſpectu rei, paciſcentes conſenſerint ; *l.* 1. §. *ſi juſſerim*, *ff. de adquir. poſſ.* Similiter ſi quis mihi vendiderit acervum lignorum, vel C. amphoras vini, ejus poſſeſſionem adquiro ſtatim atque cuſtodem appoſuero, quia cuſtodia, id eſt cuſtodis appoſitio, pro traditione habetur ; *l.* † *antepenult. ff. de adquir. poſſeſſ.* ſic & dominium rei donatæ transfertur, non tantum corporali traditione rei, ſed etiam traditione inſtrumenti emptionis ipſius rei ; *l.* 1. *C. de donat.* Et moribus Daciæ ſeu Daniæ donatio perficitur, non tantum vera & naturali, ſed etiam fictitia traditione, puta per traditionem glebæ, quæ ſcotatio dicta eſt *cap.* 2. *de conſuetud.*

§. *hoc amplius*.

INterdum & nuda voluntate domini dominium certæ ſpeciei transfertur in incertam perſonam, puta jactione miſſilium in vulgus, quæ fiebat per prætores & conſules, ex *hoc* §. *l.* 9. §. † *hoc amplius ff. de adquir. rer. domin. l.* 5. §. 1. *ff. pro derelict.* Ratio dubitandi erat, quod dominium in incertam perſonam abalienari non poteſt, puta incertæ perſonæ legari non poteſt ; §. *incertis*, infr. *de legat.* ſed jure ſingulari inductum eſt, ut miſſilia, quæ jactantur in vulgus, ejus ſint qui ea exceperit, quia ſparſio nummorum pro traditione habetur, ita ut captus miſſilium, qui ſperabatur, emi vendi poſſet ; *l.* 8. §. 1. *ff. de contrah. empt.* Solebant conſules miſſilia ſpargere in vulgus, cum inibant magiſtratum, quod vetatur *l.* 2. *C. de conſulib. & nov. Juſtin.* 105. Hoc ritu Clodovæum, cum codicillos conſulares ab Anaſtaſio accepit apud Turones, nummos in vulgus ſparſiſſe largitionis cauſa refert Gregor. Tur. *lib.* 2. *cap.* 38.

§. *pen.*

SI res a domino pro derelicto habita ſit, ſtatim eam occupantis fieri verius videtur. Pro derelicto autem habetur quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum ſuarum eſſe nolit, ideoque ſtatim dominus ejus eſſe deſinit, ex *hoc* §. *& l.* 1. *&* 2. *ff. pro derelict.* Ait verius videri, quia veteres inter prudentes hac de re non conſentiens opinio fuit : Proculiani enim exiſtimabant, rem pro derelicto habitam, non prius amitti, quam ab alio occupata fuerit ; *l.* 2. §. 1. *ff. pro derelicto*, e quibus unus Javolenus in *l. quod ſervus*, *ff. de ſtipulat. ſervor.* ait derelictionem genere quodam donationem eſſe. E contra Sabiniani exiſtimabant, rem pro derelicto habitam, ſtatim deſinere eſſe noſtram ; *l. falſus*, §. *quod ſi dominus*, *ff. de furt. & d. l.* 2. *pro derelict.*

Source : BIU Cujas

lict. & recte, quia poſſeſſio amittitur nudo animo, ut quisque apud ſe conſtituit ſe nolle poſſidere ; *l.* 3. §. *in amittenda*, *l. ſi quis vi*, §. 1. *ff. de adquir. poſſeſſ.*

§. *ult.*

QUæ in tempeſtate navis levandæ cauſa dejiciuntur in mare, domini permanent, nec fiunt occupantis, quia pro derelictis non habentur, id eſt non videntur jactæ in mare animo amittendi dominii, ſed navis levandæ, & naufragii vitandi cauſa, ex *hoc* §. *& l.* 9. §. *ult. l. quæcumque*, *ff. de adquir. rer. domin. l. qui levandæ*, *ad leg. Rhod. de jact.* ac proinde unicuique licet impune naufragium ſuum, id eſt res naufragio amiſſas, colligere, ex reſcripto Antonini ; *l. ult. ff. de incend. ruin. naufrag.* & qui res in tempeſtate jactas in mare, lucrandi cauſa abſtulerit, furtum committit, ex *hoc* §. *& d. l.* 9. §. *ult.* Et quod naufragio amiſſum eſt, non poteſt pro derelicto uſucapi, quia non eſt in derelicto, ſed in deperdito ; *l. interdum*, §. 1. *ff. de adquir. poſſeſſ.* Ex conſtitutione Coſtantini, ſi forte navis naufragio in litus expulſa ſit ſimul cum mercibus, domini permanet, nec fiſco locus eſt, nec enim fiſcus ex aliena calamitate compendium facere debet ; *l.* 1. *C. de naufrag.* Idem conſtitutum a Friderico II. exploſa contraria regionum conſuetudine ; *auth. navigia*, *C. de furt.* Solebant etiam Comites & Epiſcopi quidam, res naufragio amiſſas ſibi vindicare. Hoc jure uſus eſt Comes Britanniæ, quod abdicare compulſum in conc. Nannetenſi refert Ildebert. Cenomannenſ. *epiſt.* 65. *&* 67. De naufragio incuſatus Agathenſis Epiſcopus, id eſt quod naufragorum res ſibi vindicaret ; *cap. cum dilecti*, *de accuſat.* Diris Eccleſiæ proſcripti qui res naufragio amiſſas raperent, quaſi legali jure, ex conſtitut. Gregor. *VII. lib.* 5. *epiſt.* 15. & decreto conc. Lateranenſ. habiti ſub Alexandr. *III. cap. excommunicationi*, *de raptor.*

Sicut quæ in tempeſtate navis levandæ cauſa in mare projiciuntur, dominum non mutant, quia palam eſt abeſſe animum abjiciendi dominii, ita & quæ de rheda currente non intelligente domino cadunt, ejus permanent, ex *hoc* §. quia cum cadant de rheda inſcio domino, omnino abeſt animus amittendi dominii, & qui quod lapſum eſt de rheda ſciens retinet, furtum committit ; *l. falſus*, §. *qui alienum*, *ff. de furt. l.* 3. *ff. de incend. ruin. naufrag.*

De reb. corporalib. & incorporalib.

CAP. II.

§. 1.

SUmma rerum diviſio eſt in res quæ ſunt in bonis, & eas quæ ſunt extra bona. Alia rerum diviſio eſt in res corporales, & incorporales. Corporales ſunt quæ tangi poſſunt, veluti homo, fundus, ex *hoc* §. *& l.* 1. §. *quædam*, *ff. de rer. diviſ.* id eſt fundus ille, homo ille ; Lucret. lib. 1.

Tangere enim & tangi, niſi corpus nulla poteſt res.

Rurſus res corporales aut ſunt immobiles, ſive ſoli, aut mobiles, aut ſe moventes ; *l.* 1. *in pr. ff. de ædil. edict. l. a Divo pio*, §. *in venditione*, *de re judicat. l. ſi quis donaverit*, *C. de SS. eccleſ. l. ſancimus*, §. *alias vero*, *C. de donat.* Res immobiles ſunt quæ ſunt ſoli ; *d. l. a Divo pio*, ut prædia, ædes, & pro immobilibus habentur quæ ſolo adhærent, ut inquilini ſeu coloni adſcripti fundo, ita ut ſine prædiis legari vel alienari non poſſint ; *l. ſi quis inquilinos*, *ff. de legat.* 1. *l. quemadmodum*, *C. de agricol. & cenſit. & nov.*

Source : BIU Cujas

Juſtin. 7. immobilibus adnumerantur & civiles annonæ, & annuæ penſiones quæ adhærent fundo ; *l. ult.* §. † *præterea*, *C. de jur. dot. & d. nov.* 7. Res mobiles ſunt aurum, veſtis. Res ſe moventes ſunt res mobiles animales, quæ a ſemetipſis moventur, ut equi, muli, boves, quæ res mobilium appellatione continentur ; *l. moventium*, *ff. de V. S.*

§. *incorporales.*

RES incorporales ſunt, quæ tangi non poſſunt, quales ſunt res quæ in jure conſiſtunt, ſicut hereditas, uſusfructus, uſus, obligationes, ſervitutes, ex *hoc* §. *& d. l.* 1. §. *quædam*, *l. ult. in fin. C. dc præſcript. long. tempor.* Græcis τὰ ἀφανῆ, etſi enim in hereditate contineantur res corporales, & fructus qui ex prædiis hereditariis percipiuntur, corporales ſint, & quod ex obligatione debetur, plerumque corporale ſit, veluti fundus, homo, pecunia, ipſum jus hereditatis, jus utendi fruendi, & jus obligationis, incorporale eſt, ex *hoc* §. *& d.* §. *quædam*. Ideo nomina & chirographa vacua habendi ſimulacra vocat Senec. de benefic. lib. 7. cap. 10. *Video iſtic diplomata, & ſyngraphas, & cautiones, vacua habendi ſimulacra.*

§. *ult.*

INcorporalium numero habentur jura prædiorum urbanorum & ruſticorum, quæ ſunt ſervitutes, ex *hoc* §. *& d. l.* 1. §. *quædam*, *l. ſervitutes* 14. *ff. de ſervitut.* ubi quamvis ſervitutes corporibus accedant, quia ſine prædiis conſiſtere non poſſunt, incorporales tamen ſunt, & ideo uſucapi non poſſunt, quia non poſſidentur.

De ſervitut. prædior.

CAP. III.

SErvitutes aut ſunt perſonales, ut uſus & uſusfructus, aut reales, ut ſervitutes prædiorum ruſticorum & urbanorum ; *l.* 1. *ff. de ſervitut.* Servitutes perſonales ſunt, per quas res alienæ hominibus ſerviunt ; *l. quod noſtrum*, *ff. de uſufruct.* ſervitutes reales ſunt jura, per quæ prædia prædiis ſerviunt, atque hæc prædia neceſſe eſt pertinere ad diverſos dominos, quia nemini res ſua ſervit ; *l.* 5. *in pr. ff. ſi uſusfr. petat.* ſervitutes ſunt jura prædiorum, in omni ſervitute habetur ratio prædii ſervientis & dominantis, ac reſpectu quidem ſervientis dicitur ſervitus, reſpectu autem dominantis appellatur jus, non omnia tamen jura prædiorum ſunt ſervitutes, nam bonitas, ſalubritas, amplitudo, ſunt jura & qualitates prædiorum ; *l. quid aliud*, *ff. de V. S.* non ſervitutes.

Prædia alia ſunt urbana, alia ruſtica : urbana dicuntur omnia ædificia, quæ habitandi cauſa in urbe vel ruri conſtructa ſunt, quia urbana prædia non loco ſed materia, id eſt qualitate, diſtinguuntur a ruſticis ; *l. urbana*, *ff. de V. S. l.* 1. *commun. prædior. l.* 4. *in quib. cauſ. pign. vel hypoth.* cetera ſunt prædia ruſtica, ut agri, horti, & ſtabula ab ædibus ſeparata. Ut autem prædia vel ſunt urbana, vel ruſtica, ita etiam ſervitutes prædiales vel ſunt urbanæ vel ruſticæ. Ruſtica eſt, quæ debetur prædio ruſtico, ut jus eundi vel agendi jumentum aut vehiculum, aut aquam ducendi per fundum vicini, ſeu iter, actus, via, aquæ ductus.

In princ.

ITer eſt jus eundi ambulandi hominis, non tantum pedibus, ſed equo. Actus eſt jus agendi jumentum vel vehiculum. Via eſt jus eundi & agendi, ut oſten-

Source : BIU Cujas

ostenditur *init. h. tit. & l. si tam, ff. h. tit. l.* 1. *l. inter, de servit. rustic.* inde via dicta a vehendo, quod per eam fructus subveherentur in villam, & eveherentur; Varro de re rustic. libr. 1. cap. 2. *Villicus agri colendi causa constitutus, atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus & evehuntur cum veneunt, a quo rustici etiam nunc quoque viam veam appellant propter vecturas.* Hoc interest inter actum & viam, quod non est via, nisi qua jumentum ire, vel vehiculum duci potest. Contra actus est qua jumentum agi potest, etiam si vehiculum duci non possit *d. l. si tam.* Item actus latitudo non est lege definita, ut intelligitur ex *d. l. si tam*, sed ab arbitris aut contrahentibus definienda est. At viæ latitudo leg. 12. tab. est octo pedum in porrectum, in anfractum vero, id est reflexum seu ubi reflectitur, sedecim; *l. viæ latitudo, l. certo, §. latitudo, ff. de servit. rustic.* tamen angustior via pacto constitui potest, dummodo ea vehiculum duci possit; *l. via, ff. eod. l.nam satis, §.* † 1. *vers. certe, quemadm. servit. amitt.* Qui actum habet non potest hastam rectam ferre, ne fructus lædat seu decutiat, qui viam habet, potest hastam rectam ferre, modo fructus non lædat; *l. qui* † *sella, ff. de servitut. rustic.* Aquæductus est jus aquam ducendi per fundum alienum; *l.* 1. *ff. de servit. rustic.* Aquæductus est servitus prædialis, si constituatur ut ducatur per fundum alienum ad irrigandum fundum nostrum, sed non potest esse jus personale, cum respectu personæ constituitur, ut in *l. pen. ff. eod.* ubi frater fratri digitum aquæ de fonte suo concessit quocumque ducere voluerit. Lex ait usum aquæ esse personalem, nec transferri ad heredem, quod comprobatur *l.* 1. §. † *præterea l. ab eo ff. de aqu. quot. & æstiv.* quæ ait aquæductus non esse fundi, qui quocumque duci possunt.

† Locus corruptus, sic legendus: quod comprobatur *l.* 1. §. *& datur interdum, &* §. *præterea Labeo, ff. de aqu. cottid. & æstiv.* qui ait, aquæductus non esse fundi, qui a quocumque duci possunt.

§. *prædiorum.*

SErvitutes urbanæ sunt, quæ ædificiis inhærent, quia ædificia omnia, sive in urbe sive ruri ædificata sint, urbana prædia appellantur, ex *hoc* §. *& l.* 2. *ff. de servitut. urban.* & prædia urbana a rusticis distinguuntur, non loco, sed materia & usu, ut supra dictum est: unde Columell. *de re rustic. lib.* 1. villam divisit in tres partes, urbanam, rusticam, & fructuariam. Urbana est, quam dominus sibi posuit voluptatis & secessus causa, nam etsi in agro sit, urbani tamen ædificii usum præbet.

Servitutes prædiorum urbanorum sunt. I. servitus oneris ferendi, ut vicinus, id est vicini ædificium, onera vicini, id est prædii ad vicinum pertinentis, substineat: qui debet servitutem oneris ferendi, tenetur reficere parietem oneri ferendo destinatum; *l. etsi forte, §. etiam, ff. si servit. vindic. l. eum debere, de servit. præd. urban.* verum si rem derelinquat, liberatur hoc onere; *d. l. etsi forte, §. etiam.* Et qui habet servitutem oneris ferendi, domino faciente deteriorem parietem, potest nuntiare novum opus; §. *ult. d. l. etsi forte.*

2. Servitus immittendi, est jus immittendi tignum in parietem vicini; *l.* 2. *ff. de servit. urban.* Servitus projiciendi, est jus projiciendi mœniana, vel suggrunda in aream vicini; *l. malum*, §. 1. *ff. de V. S.* ubi hæc ponitur differentia inter immissa & projecta, quod immissa sunt, quæ ita immittuntur, ut aliquo loco requiescant, veluti tigna & trabes: projecta, quæ ita projiciuntur, ut nusquam requiescant, ut mœniana, & suggrunda.

3. Servitus stillicidii vel fluminis, est jus deducendi stillicidium vel flumen in vicini ædes; *l.* 2. *ff. de servit. urban.* de servitute stillicidii Lactant. divinar. instit. libr. 1. cap. 1. *Quanto melius nos & rectius divinas institutiones litteris prosequemur, in quibus non de stillicidiis, aut aquis arcendis, aut de manu conserenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate.* Qui debet servitutem stillicidii, non potest ædificare in eo loco, quo stillicidium cadit; *l. servitutes*, §. *ult.*

Source : BIU Cujas

ff. de servit. urban. Hoc differt servitus stillicidii a servitute fluminis, quod stillicidium de alto cadit, flumen de plano fluit, ideoque fluminis servitus gravior est; *d. l. servitutes*, §. *stillicidium*

4. Servitus altius non tollendi; *d. l.* 2. qui non debet servitutem, potest altius ædes suas tollere, & obscurare ædes vicini, & cum eo nulla est actio; *l. cum eo*, *ff. de servit. urban. l. altius*, *C. de servitut. & aqu.* Exceptio est in *l. ult.* §. *ult. C. eod.* ubi Justinian. cavit, ne quis ita extollat ædes suas, ut officiat vento areæ vicini: sed hoc favore annonæ constitutum est, ne ventum arceat, quo opus est ad triturationem frugum. Qui vero debet servitutem altius non tollendi, non potest ædes tollere, nisi ad altitudinem de qua convenit; *l. egi tecum*, *de except. rei judicat.* nisi a vicino, cui debet servitutem, impetraverit ut altius tollat ædes suas; *l. si domus*, *ff. de servitut. urban.* Item qui jure suo altius ædes tollit, in reficiendo potest mutare formam ædificii: qui jure servitutis altius ædes tollit, in earum refectione formam ac statum antiqui ædificii servare debet; *l. qui luminibus*, *ff. eod.*

5. Servitus ne luminibus officiatur: hæc servitus ita constituitur, ne jus sit vicino invitis nobis altius ædes tollere, atque ita minuere lumina ædium nostrarum; *l. luminum*, *ff. eod.* Hæc servitus hoc distat a servitute altius non tollendi, quod interdum qui ædes suas deprimit, facit contra servitutem non officiendi luminibus vicini, si forte lumen deferatur in ædes vicini per refractionem seu repercussionem radiorum; *l. si arborem*, §. † 2. *ff. eod.* Qui debet servitutem ne luminibus vicini officiat, non potest quicquam in suo facere, quo luminibus vicini officiat, alioquin potest ei nunciari novum opus; *l. inter servitutes*, *ff. eod.* Item qui debet servitutem luminum, non potest reficere ædes suas contra veterem formam ædificii, quo officiat luminibus vicini; *l.* 1. *C. de servit. & aqu.* quod comprobatur *l. ex quo*, §. 1. *C. de ædific. privat.* ubi Zeno vetat, ne qui proprias domos reficiunt, veterem formam excedant, aut lumen vel prospectum vicinis auferant adversus ea quæ pridem constituta sunt, id est tempore constitutæ servitutis. Hoc interest inter servitutem ne prospectui officiatur, & servitutem ne luminibus officiatur, quod in servitute prospectus hoc agitur, ne quid officiatur vicino ad gratiorem & liberum prospectum: in servitute luminum hoc agitur, ne lumina obscuriora fiant & ut cælum videre liceat. Et hoc differt prospectus a lumine, quod prospectus est ex inferiore loco, lumen ex superiore tantum; *l. inter servitutes*, *cum seq. ff. de servitut. urban.* Augustin. homil. 30. *Plerumque homines de usu solis & luminis in ædificiis suis lites injustissimas concitant, & ut fenestris suis radii liberiores aliquanto largius infundantur, domos alienas dejicere sæpe moliuntur, & eos qui contradixerint, etiam si jure certissimo contradicant, inimicitiis acerbissimis insectantur.*

§. *inter*.

PRæter servitutes rusticas, de quibus nemo dubitabat, quæ expositæ sunt *initio h. tit.* aliæ adduntur in *hoc* §. de quibus dubitabatur, nimirum aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ. Cur dubitaretur an essent servitutes, ratio fuit, quia hæc jura sunt servitutes prædiorum, si respectu prædiorum constituantur, & concedantur habenti vicinum prædium, alioqui sunt jura personalia, si concedantur eis qui vicina prædia non habent; *l.* 4. 5. *& 6. ff. de servit. rustic. l. Mela*, §. *ult. ff. de aliment. legat.* ubi desideratur negativa. Idcirco Imperator ait quosdam recte putare, has esse servitutes rusticorum prædiorum.

§. *ideo*

Source : BIU Cujas

§. *ideo autem.*

HÆ ſervitutes prædiorum appellantur, quoniam ſine prædiis conſtitui non poſſunt, nemo enim poteſt adquirere ſervitutem ruſticam vel urbanam, niſi habeat ruſticum prædium vel urbanum, ex *hoc* §. *& l.* 1. §. 1. *ff. commun. præd.* Opponitur *l. Labeo, ff. de ſervit. ruſtic.* ubi ædificio nondum ædificato, & aquæ nondum inventæ, ſervitus imponi poteſt, ſed utraque confertur in id tempus, quo ædificium factum erit, vel aqua inventa, & ita viam ſtipulari poſſe ad fundum, ſc. ſub conditione ſi meus factus fuerit *; l. exiſtimo, ff. de V. O.*

§. *ult.*

SErvitutes conſtituuntur pactionibus, & ſtipulationibus, ex *hoc* §. ut & uſusfructus *; l. 3. ff. de uſufr.* id eſt pactionibus in contractu factis, & ſtipulationibus vallatis pacto diviſionis, quod traditione ſumpſit effectum, ſervitus conſtitui poteſt maxime ſi pacto ſtipulatio ſubdita ſit *; l. cum eſſent, ff. de ſervit. ruſtic.* Servitutes conſtituuntur etiam aliis conventionibus, ut contractu emptionis & venditionis *; l. ult. ff. h. tit. l. ſi a te, ſi ſervit. vindicet.* Ceterum ut ſervitus conſtituatur, præter conventionem, requiritur traditio, vel quaſi traditio, id eſt uſus ſervitutis ex parte dominantis, & cautio vel patientia ex parte ſervientis, id eſt ut qui ſervitutem vendidit, caveat emptori per ſe non fieri quominus eo jure uti poſſit, vel patiatur emptorem uti ſervitute *; d. l. ult. l.* 1. §. *ult. ff. de ſervit. ruſtic. l. ſi ego,* §. 1. *ff. de publician.*

Servitus etiam conſtituitur adjudicatione in judicio familiæ erciſcundæ, vel communi dividundo, cum arbiter huic vel illi judicio addictus, fundum uni adjudicat, poteſt ei imponere ſervitutem, ut alterius prædio ſerviat *; l. item Labeo,* §. *ſed etiam, ff. famil. erciſc. l. ut fundus, ff. commun. divid.* idem in uſufructu *; l. uſusfructus 6.* §. 1. *ff de uſufruct.*

Servitus quoque conſtituitur teſtamento, ut ſi ſervitus teſtamento per damnationem legetur, puta ſi heres teſtamento damnatus ſit, ne altius ædes ſuas tollat, neve luminibus ædium vicini officiat, ex *hoc* §. *l. ſi teſtamento, ff. de ſervit. urban. l. poteſt, commun. præd.* Et hæ ſunt ſervitutes, quas a patre, teſtamento ſc. relinqui dixit M. Tull. pro Cæcinn. *Aquæ ductus, hauſtus, iter, actus a patre, ſed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili ſumitur.*

Servitutes ruſticæ & urbanæ non poſſunt uſucapi, non diverſa ratione, ut voluit Cujac. ſed eadem, nempe quia non poſſidentur cum ſint incorporales *; l. ſervitutes* 14. *ff. h. tit.* & hoc eſt quod ait lex, idem & in ſervitutibus prædiorum urbanorum obſervari, id eſt ſervitutes urbanas non uſucapi, ſicut ruſticas, de quibus prius actum eſt, quia æque ſunt incorporales, & conſequenter non recipiunt poſſeſſionem, nec uſucapionem *; l. ſervus qui,* §. *incorporales, ff. de adquir. rer. domin.* Et quod ſcriptum eſt in *l.* 4. §. *ult. ff. de uſucap.* ſervitutum urbanarum uſucapionem lege Scribonia ſublatam eſſe, nititur eadem ratione, quia non poſſidentur cum ſint incorporales, ac conſequenter non admittunt uſucapionem, quæ non currit ſine poſſeſſione. Ejusdem rei argumentum eſt, quod ſervitutes per ſe nusquam longo tempore uſucapi poſſunt, cum prædiis poſſunt *; l. ſi aliena,* §. 1. *ff. eod.* Servitutes enim per ſe non uſucapiuntur, quod non poſſideantur, ſed uſucaptis prædiis, quibus hærent, una cum ipſis uſucapiuntur. Servitutes tamen longo tempore præſcribi poſſunt *; l. ſi quis diuturno, ff. ſi ſervit. vindicet. l.* 1. *C. de ſervit. & aqu.* nimirum ſervitutes, quæ habent continuam cauſam, adquiruntur longo tempore, id eſt decennio inter præſentes, & vicennio inter abſentes *; d. l. ſi quis diu-*

Source : BIU Cujas

turno, *& d. l.* 1. Servitutes discontinuæ, seu quæ continuam causam non habent, non adquiruntur, nisi tempore immemoriali; *l. ult. ff. de aqu. & aqu. pluv. arcend. l. hoc jure*, §. *ductus aquæ*, *de aqu. quot. & æstiv.* jure civili servitutes adquiruntur longo tempore sine titulo; *d. l. si quis diuturno*. Et hoc est quod ait *d. l.* 1. longi temporis consuetudinem servitutis vicem obtinere, id est servitutis constitutæ. Tamen moribus nostris servitutes urbanæ & rusticæ nullo tempore præscribuntur sine titulo, quia usus servitutis jure familiaritatis non parit possessionem; *l. qui jure familiaritatis*, *ff. de adquir. possess.*

De usufructu.

CAP. IV.

In princ.

USusfructus est jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia; *l.* 1. *ff. h. tit. & init. h. tit.* Usufructus consistit in jure, quia est servitus. Servitutes sunt jura prædiorum, usufructus versatur in rebus alienis, qui enim proprietatem habet, non jure servitutis, sed jure dominii utitur fruitur, quia nemini res sua servit; *l.* 5. *in pr. ff. si usufr. petat.* unde hæc definitio non convenit usufructui conjuncto cum proprietate, quem DD. vocant usumfructum causalem, quia omnem causam continet, & minus proprie dicitur usufructus, & quod dicitur in *l.* 4. *ff. h. tit.* & aliis pluribus locis, usumfructum in multis casibus esse partem dominii, partem fundi, improprie accipiendum est, proprie enim usufructus non est pars fundi, non est pars dominii, sed servitus; *l. recte*, *ff. de V. S.* non est pars fundi, sed partis instar obtinet, quia omne emolumentum rei continet; *l. cum filius*, §. *dominus*, *l. Mævius*, §. *pen. ff. de legat.* 2. Ait salva rerum substantia, quia usufructus non consistit in his rebus, quæ usu consumuntur, ut vinum & oleum, quorum potius est abusus quam usus; M. Tull. *in topic.* & Donat. *in Andria*. Usufructus est jus in corpore, quo sublato, ipsum usumfructum tolli necesse est; *l.* 2. *ff. h. tit. & in ipso init. h. tit.* cum enim usufructus per se constare non possit, & consistat in corpore, ipso sublato, intereat necesse est. Rei mutatione interit usufructus, puta ædium usufructu legato, si ædes corruerint, usufructus extinguitur, adeo ut nec areæ nec cæmentorum debeatur; *l.* 5. §. 2. *ff. quib. mod. usufruct. amitt. l. qui usumfructum*, *ff. h. tit.* Aliud est in legato proprietatis, si insula legata combusta sit, area vindicari potest; *l. si grege*, *ff. de legat.* 1.

§. 1.

USusfructus constituitur testamento, ut si usufructus legatus sit, vel pactionibus & stipulationibus, ex *hoc* §. *& l.* 3. *& 6. ff. h. tit.* Constituitur & adjudicatione, si arbiter familiæ erciscundæ, vel communi dividundo, alii proprietatem adjudicaverit, alii usumfructum; *d. l.* 6. §. *constituitur*: quibus modis constitui servitutem, dictum est §. *ult. supr. tit. prox.*

§. *constituitur*.

USusfructus proprie constituitur tantum in fundis, & ædibus, servis, jumentis, & ceteris rebus, quæ usu non consumuntur. Usufructus non datur in his rebus, quæ usu consumuntur, veluti frumento, vino, & oleo, & vesti-

Source : BIU Cujas

veſtibus, vel pecunia, quæ licet uſu non conſumatur, tamen ipſo uſu & aſſidua permutatione quodammodo conſumitur, in his potius eſt abuſus, quam uſus, ut obſervatum eſt *init. h. tit.* ex Tullio & Donato, vel quaſi uſusfructus in his conſtituitur, remedio cautionis SC. introductæ, ut fructuarius caveat, ſe finito uſufructu tantumdem, vel æſtimationem reſtituturum, *ex hoc §. & l. 2. & 7. ff. de uſufr. ear. rer. quæ uſu conſum.* Fructuarius rerum, quæ uſu conſumuntur, cavet ſe finito uſufructu rem ejusdem qualitatis vel æſtimationem reſtituturum: fructuarius autem rerum, quæ uſu non conſumuntur, puta is cui uſusfructus fundi legatus eſt, heredi cavere debet ſe uſurum fruiturum boni viri arbitratu, & finito uſufructu rem reſtituturum; *l. 1.* & paſſim, *ff. uſusfruct. quemad. caveat.* Etiam mater, cui uſusfructus relictus eſt, heredibus filiis cavere debet, ſe uſuram fruituram boni viri arbitratu; *l. pen. ff. eod. l. uxori fructu, ff. de uſufr. legat.* Et mulier, quæ ob ſecundas nuptias amiſit proprietatem rerum, quæ a priore viro ad eam pervenerunt, & ſolum uſumfructum retinet, ſi res mobiles ſint, debet cavere ſe eas poſt mortem reſtituturum liberis prioris matrimonii; *l. hac edictali, §. 1. C. de ſecund. nupt.* Solus pater, qui a lege uſumfructum habet in bonis adventitiis filiorum, quos in poteſtate habet, non tenetur cavere rem ſalvam fore, ob paternam reverentiam; *l. ult. §. † 4. verſ. hoc procul dubio, C. de bon. quæ liber.* Extra perſonam patris, matri vel cuilibet fructuario extraneo cautio fructuaria teſtamento remitti non poteſt; *l. 1. C. de uſufruct. l. ſcire debetis, C. ut in poſſ. legat.* ne fructuario detur occaſio delinquendi & graſſandi in bonis, quorum uſusfructus relictus eſt, ut notat Accurſ. *in d. l. 1.*

§. *finitur.*

USusfructus certis modis extinguitur, & ad proprietatem revertitur, ne ſi perpetuus fieret, inutilis eſſet proprietas, ſemper abſcedente uſufructu, ex hoc §. *& l. 3. §. ne tamen, ff. h. tit.* quæ ratio eſt cur uſusfructus, ſi reip. vel municipio legatus ſit, finiatur centum annis; *l. an uſusfructus, ff. h. tit. l. ſi uſusfructus 8. de uſufr. legat.*

Uſusfructus finitur morte fructuarii, quia uſusfructus eſt jus perſonale, quod non tranſit ad heredem, & cum perſona extinguitur, & redit ad proprietarium, ex *hoc §. & l. 3. §. ult. ff. quib. mod. uſusfr. amitt. l. 3. l. ſi domina, C. eod.* † *de uſufr. l. cum in fundo, ff. de jur. dot. l. uſufructu, ſolut. matrim.* Ob id Titio cum morietur uſusfructus inutiliter legatur, quia in id tempus confertur, quo a perſona diſcedere incipit; *l. Titio, ff. h. tit.* Et ſi Titius fundum Mævio legaverit deducto uſufructu, quatenus hic uſusfructus penes heredem maneret, legatum eſt utile, quia uſusfructus finitur morte primi heredis, hoc caſu heredis appellatio coarctatur ad proximum heredem, neque ad ulteriores extenditur; *l. antiquitas, C. h. tit.* Et ſi uſusfructus relictus ſit reip. vel municipio, finitur centum annis velut morte, quia hoc vitæ ſpatium longiſſimum eſt; *d. l. an uſusfructus, & d. l. ſi uſusfructus:* & excidio civitatis, velut morte, idem uſusfructus perimitur; *l. ſi uſusfructus, ff. quib. mod. uſusfr. amittat.*

Uſusfructus finitur etiam morte civili, puta capitis deminutione, quaſi mutatione perſonæ; *l.* † *2. & 3. ff. de capit. minut. l. ſervus, §. ult. ff. de adimend. legat.* idque etiam minima capitis deminutione, puta adoptione, vel emancipatione, quæ non ſine mutatione perſonæ fiebat, quod fieret per imaginariam venditionem. Ex conſtit. Juſtiniani uſusfructus amittitur maxima & media capitis deminutione, non minima; *l. pen. §. ult. C. h. tit.* quia ſtatus perſonæ mutatur capitis deminutione maxima vel media, puta ſervitute pœnæ, vel deportatione, quæ libertatem vel civitatem adimit.

† V. in terminis *l. 1. 2. & 3. quib. mod. uſusfr. amitt.*

Source : BIU Cujas

Usufructus amittitur non utendo per legitimum tempus. Olim usufructus amittebatur non utendo per annum in rebus mobilibus, per biennium in rebus immobilibus. Ex constitutione Justiniani usufructus amittitur non utendo decennio inter præsentes, vicennio inter absentes; *l. pen. C. h. tit. l. pen. C. de servit. & aqu. l. ult. C. de præscript. long. temp. l. cum notissimi, §. in his, C. de præscript. 30. ann.* Quod intelligendum est de usufructu rerum immobilium, nam usufructus rerum mobilium non utendo amittitur præscriptione triennii, quia eo tempore res mobiles usucapiebantur; *l. unic. C. de usucap. transformand.*

Usufructus finitur non utendo per modum & tempus, *ex hoc §. & l. pen. C. h. tit.* id est non utendo per modum & tempus, quo constitutus est: puta si is, qui usumfructum habet, utatur tantum quasi usuarius, jus suum amittit; *l. is qui, ff. quib. mod. usufruct. amitt.* vel si fructuarius non recte utatur & quasi bonus paterf. proprietarius impune potest uti & abuti re sua, cum sit quilibet rei suæ moderator & arbiter; *l. in re mandata, C. mandat.* Ideo Nerva de thesauro domi invento, quærenti Attico quid fieret, utere, inquit, ac rursus anxie idem petenti, etiam abutere, inquit: χρῶ καὶ καταχρῶ; Philostrat. *de vit. Sophistar. libr. 2.* & Zonar. *in Nerva.* Sed fructuarius recte colere, & quasi bonus paterf. uti debet; §. *sed si gregis*, supr. *de rer. divis.* Fructuarius omnes fructus, qui ex fundo percipiuntur, suos facit, sic tamen ut boni viri arbitratu utatur fruatur, nam & cogi potest recte colere; *l. item si fundi, ff. h. tit.* Fructuarius non debet opera mancipiorum abuti, sed secundum eorum conditionem uti, puta mancipiis urbanis non potest uti in opere rustico; *l. sed si quid*, §. *mancipiorum, ff. h. tit.* Fructuarius fundum deteriorem facere non debet, puta villam diruere, arbores frugiferas excidere; *l. ex silva, l. si cujus*, §. *fructuarius, ff. h. tit.* Ideoque fructuario non prius datur actio de usufructu, quam caveat de utendo fruendo boni viri arbitratu. Denique fructuarius in omnibus modum utendi fruendi tenere debet, ne sua feritate vel sævitia res corrumpat, alioquin etiam tenetur actione legis Aquiliæ; *d. l. sed si quid*, §. *& generaliter:* ut si oleas, vel uvas immaturas legerit; *l. si servus*, §. † *si olivam, cum seq. ff. ad l. Aquil.*

Item usufructus amittitur cessione, quia in jure cessione omne jus amittitur. In jure cessio est species alienationis rerum mancipi & nec mancipi, apud Ulpian. *lib. regular. tit. de domin.* §. 9. Varr. de re rustic. libr. 2. cap. 10. *In emptionibus dominium legitimum sex fere res perficiunt, si hereditatem justam adiit, si ut debuit mancipio ab eo accepit, a quo jure civili potuit, aut si in jure cessit, cui potuit cedere, & id ubi oportuit.* Usufructus finitur cessione, si domino proprietatis a fructuario cedatur, alioquin si cedatur extraneo nihil agitur, id est usufructus non transit ad extraneum, sed ad dominum proprietatis revertitur. Ideo si extraneus cum esset dominus plenæ proprietatis, usumfructum fundi pro muliere in dotem dederit, divortio soluto matrimonio, maritus non cedet usumfructum mulieri, quia usufructus a fructuario cedi non potest extraneo, id est ei qui proprietatem non habet, sed remedii loco excogitatum est, ut locet vel vendat nummo uno usumfructum, id est fructus mulieri, ita ut jus ipsum usufructus remaneat penes maritum, perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat; *l. si usufructus, ff. de jur. dot. l. usufructu, solut. matrim.*

Usufructus finitur consolidatione seu confusione, si fructuarius proprietatem adquirat, *ex hoc §. l. si servus, ff. quib. mod. usufruct. amitt. l. 4. usufruct. quem. cav.* vel si usumfructum adquirat proprietarius; *l. 2. ff. de usufr. adcrescend.* adquisitione proprietatis confunditur usufructus & quælibet alia servitus, quia nemini res sua servire potest; *l. uti frui, ff. si usufr. petat.*

Denique usufructus extinguitur rei interitu, seu mutatione, si ædes quarum

rum usufructus alienus est, incendio consumptæ sint, vel terræ motu, vel vitio suo corruerint, usufructus extinguitur, & ne areæ quidem nec cæmentorum usufructus debetur, *ex hoc §. l. † repeti, §. rei mutatione, l. quid tamen, §. in navis, ff. quib. mod. usufr. amitt.* est enim jus in corpore, quo sublato, ipsum tolli necesse est; *l. 2. ff. h. tit.* usufructus non nisi salva rei substantia permanet, mutata autem forma, prope interimitur substantia rei; *l. 9. §. † 3. ff. ad exhibend.* Et restitutis ædibus, etiam iisdem cæmentis, usufructus non restituitur; *d. l. quid tamen, §. in navis*, quia domus restituta alia videtur quam olim fuit.

§. ult.

FInito usufructu morte aut capitis deminutione fructuarii, si unus sit fructuarius, usufructus revertitur ad proprietatem, & ex eo nudæ proprietatis dominus incipit habere plenam proprietatem, ex *hoc §.* quod si duobus ejusdem fundi usufructus legatus fuerit, pars etiam agnita & postea amissa accrescit collegatario; *l. 1. §. pen. ff. de usufr. accresc.*

De usu & habitatione.

CAP. V.

In princ.

USusfructus est jus alienis rebus utendi fruendi, quoad rei substantia ferre potest: usus est jus alienis rebus utendi quoad necessitatem usuarii pertinet; *l. plenum, §. 1. ff. h. tit. l. si alii, ff. de usufruct.* Usus iisdem modis constituitur & finitur quibus usufructus, ex *init. h. tit. l. 1. ff. h. tit. l. 3. in fin. de usufruct.*

§. 1.

USuarius minus juris habet quam fructuarius, usus differt ab usufructu quasi pars a toto; *l. per servum, §. 1. ff. † h. tit.* Quidquid in fundo nascitur, aut inde percipitur, fructuarii est omnino; *l. item si, ff. de usufruct.* Usuarius autem fructus suos facit, quatenus necesse est ad usum suum. De modo usus inter prudentes non convenit in omnibus: in eo consentientes fuere Sabinus & Nerva, usuarium fructibus naturalibus, puta oleribus, pomis, floribus, fœno, & lignis ad usum quotidianum uti posse, id est quatenus ei necesse est, non ad compendium, id est promercii, seu vendendi causa, ad usum non ad abusum; *l. plenum, §. 1. ff. h. tit.* & hoc addebat Nerva stramentis etiam usurum. Sed in eo discrepantes fuere, quod Nerva negabat usuarium oleo, frumento, & aliis frugibus, quæ culturam desiderant, usurum: at Sabinus, Cassius, & alii, quos probat Ulpian. *in d. l. plenum*, senserunt etiam ex his, quæ in fundo nascuntur, posse usuarium sumere quod ad victum sibi suisque sufficiat, quæ fuit etiam sententia Pauli in *l. fundi, h. tit.* Nimium supine Tribonianus, Nervæ sententiam secutus, ait *hoc loco*, usuarium nihil alterius habere intelligi, quam, ut oleribus, pomis, floribus, fœno, & stramentis utatur, hæc enim fuit quidem sententia Nervæ, sed eam a Sabino, Ulpiano, Paulo & aliis explosam meminisse debuit: usuarius habitare potest in fundo usuario hactenus, ut neque domino fundi molestus sit, neque iis, per quos opera rustica fiunt, impedimento sit, ex *hoc §. l. † inque eo fundo,*

Source : BIU Cujas

ff. h. tit. intellige quoad culturam fundi, alias usuarius potest prohibere dominum, ne accedat ad fundum ; *l. si habitatio*, §. † *ultim. ff. h. tit.* nisi colendi causa.

Usuarius nulli alii jus, quod habet, locare, vendere, aut gratis concedere potest, quum is, qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere, ex *hoc* §. *l. inque eo fundo*, *ff. h. tit.* Usuarius non potest fructus locare, quia usus est servitus personalis ut ususfructus, immo personalissima, ita ut non egrediatur personam illius, cui usus relictus est. Usuarius tamen potest inquilinum recipere, etiam mercede accepta, dum ipse quoque inhabitet, sed non potest ædes locare seorsim ; *l.* 4. *init. l. sed neque*, *ff. h. tit.* Fructuarius vero potest uti frui per se, vel alii fructum locare, vendere, donare, quia in fructu est locare posse, vendere, donare ; *l. arboribus*, §. † *usufructuarius*, *l. non utitur*, *& seq. ff. de usufr.* Et hoc distat legatum reditus fundi a legato ususfructus, quod fructuarius per se fruitur, & percipit fructus vel alii fruendos locat, is vero cui reditus fundi legatus est, non potest per se frui, sed per manus domini ; *l.* † *fundi Æbutiani*, *ff. de usufruct. legat. l. arboribus*, §. 2. *de usufruct.*

§. *item is qui.*

QUi ædium usum habet, jus quod habet ad alium transferre non potest, sed tamen ipse potest habitare cum uxore, & familia, & libertis, & potest hospitem recipere, ex *hoc* §. *l.* 2. 3. *&* 4. *ff. h. tit.* quod tamen dubitatione non caruisse significat Justinianus *hoc loco*, cum ait vix receptum fuisse, nimirum quia usus est personalis, vixque personam egreditur. Si mulieri usus ædium relictus sit, cum marito & liberis habitare potest, hac ratione ne ei matrimonio carendum foret cum uti vult domo, ut ait Justinian. *hic* quod sumptum est *ex l.* 4. §. *mulieri*, *ff. h. tit.* Eadem ratione liberta, cujus nuptiis patronus consensit, non tenetur præstare operas, quia in officio mariti esse debet ; *l. sicut patronus*, *ff. de oper. libertor.*

§. *item is ad quem.*

IS qui servi vel jumenti usum habet, ipse tantum opera & ministerio ejus uti potest, sed jus suum transferre ad alium non potest, *ex hoc* §. id est operas locare, vel alii utendas concedere non potest ; *l. plenum*, §. *si usus*, *ff. h. tit.* quia usus cum sit servitus personalis, utendi quoque factum personale requirit.

§. *sed & si pecorum.*

SI cui pecoris usus relictus est, puta gregis, ovilis, neque lana, neque agnis, neque lacte utetur, hæc enim magis in fructu sunt ; *l.* 4. §. *lana*, *ff. de usucap. l. bonæ fidei*, §. † *ult. ff. de adquir. rer. domin.* sed eo utetur tantum ad stercorandum agrum, cujus usum habet, ex *hoc* §. *& d. l. plenum*, §. *sed si pecoris*. Etiam modico lacte usurum additur in *d.* §. *sed si pecoris*.

§. *pen.*

NOn levis inter veteres fuit controversia in legato habitationis, an habitatio similis esset usui, an usuifructui, an tertium quoddam jus proprium constitueret ? Ulpian. ex Papiniano in *l. si habitatio*, *ff. h. tit.* ait, habitationem effectu ipso idem pene esse quod usum. Et quidem habitatio in eo magis accedit usui quam usuifructui, quod habitatio neque vendi, neque locari, neque donari potest, sicut usus ipse, adeoque habitatio non minus juris habet, quam

Source : BIU Cujas

quam usus, ita ut legatarius habitationis hospitem & inquilinum recipere possit, dummodo cum ipsis inhabitet : sed & usui similis in eo est habitatio non minus quam usuifructui, quod morte finitur, nec transit ad heredem ; *d. l. si habitatio*, quia est servitus personalis, quæ cum persona extinguitur. Alii putabant, habitationem magis accedere usuifructui, & locari posse sicut usumfructum, quos inter fuit Marcellus, & iidem credebant legatum habitationis, æque ac ususfructus non cedere nisi a die aditæ hereditatis ; *l. si habitatio, ff. quand. dies legat. ced.* Tertia erat sententia quorumdam, habitationem neque usumfructum neque usum esse, sed propriam & specialem naturam sortiri, quatenus habitatio non amittitur neque utendo neque capitis deminutione ; *d. l. si habitatio, l. pen. ff. de capit. minut.* Ubi ratio hæc redditur, quia legatum habitationis in facto non in jure consistit, quod & nomen ipsum habitationis demonstrat, quæ consistit in actu & facto. Justiniano in humaniorem sententiam propensiori, placuit habitationem propius accedere usuifructui quam usui, & legata habitatione, legatario non solum habitare, sed etiam habitationem locare licere ; *l. cum antiquitas, C. de usufr.* quæ quamvis de sola locatione loquatur, facile trahi potest ad donationem.

De usucap. & longi tempor. præscript.

CAP. VI.

In princ.

HActenus Justinianus exposuit modos adquirendi rerum dominii jure gentium, nunc idem transit ad modos civiles adquirendi dominii, ac primum de usucapione tractatum instituit. Jure civili, id est 12. tabulis usucapione dominium adquiritur. Usucapio est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti ; *l. 3. ff. h. tit.* Usucapione transfertur dominium, unde usucapio habet vim alienationis, & alienationis appellatione continetur, qui enim patitur usucapi alienare videtur ; *l. alienationis, ff. de V. S.* Et hoc est quod ait *l. traditionibus, C. de pact.* traditione & usucapione dominia rerum transferri, id est traditione facta a non domino, & per possessionem secuta usucapione. Usucapio dicitur adjectio dominii, quia ut alluvione paullatim & sensim dominium adquiritur, ita per possessionem illam, per quam usucapio perficitur, paullatim dominium magis adjicitur quam adquiritur, dicitur etiam adjectio potius, quam adquisitio, quia usucapio magis procedit a lege, quam ex facto hominis, & possessione, & beneficio temporis ; M. Tull. pro Cæcinn. *Fundus a patre relinqui potest, at usucapio fundi non a patre relinquitur, sed a legibus.* Nec dispari loquendi formula, quæ bona a Deo proficiscuntur dicuntur adjici, quia non meritis hominum, sed mera Dei gratia adquiruntur ; Matth. 7. *primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Græci προστεθέσεται. Additur per continuationem possessionis, quia usucapio non currit sine possessione ; *l. sine possessione, ff. h. tit.* unde usucapio ex possessione nomen accepit, usus enim possessio est ; *l. quæstio, ff. de V. S.* Et possessio pro ipsa usucapione accipitur ; *l. denique, ff. ex quib. caus. major.* & hæc continuam non interruptam possessionem requirit ; *l. nunquam, §. 1. ff. h. tit.* Continua autem possessio dicitur, non solum quæ penes unum eundemque semper est, verum etiam quæ ab uno ad alium legitime translata fuerit, veluti a defuncto in heredem, vel a venditore in emptorem, si medio tempore alius non possederit ; *l. possessio, ff. h. tit. l. pen. §. 1. ff. de diverf.*

Source : BIU Cujas

& temporalib. præscript. Sequitur temporis lege definiti jure civili, id est 12. tabulis. Res mobiles anno usucapiebantur, res immobiles biennio; M. Tull. pro Cæcinn. *Lex usum & auctoritatem fundi jubet esse biennium.* Et idem in topicis: *usus auctoritas fundi biennium est*, id est possessio biennii præbet auctoritatem & titulum, ex quo dominium adquiritur. Apertius Plinius libr. 5. epistola 1. *scis te non subscripsisse mecum, & jam biennium transisse, omniaque usucepisse.* Sed constitutione Justiniani res mobiles usucapiuntur triennio, res immobiles decennio inter præsentes, vicennio inter absentes; *l. unic. C. de usucap. transform.* ex qua introducta est usucapio Justinianea. Præsentes sunt, qui domicilium habent in eadem provincia, absentes qui extra provinciam; *l. ult. C. de præscript. long. tempor.* Ante constitutionem Theodosii junioris nulla alia nota fuit, quam longi temporis præscriptio, id est decennii inter præsentes, vicennii inter absentes, primus Theodosius constituit, ut actiones omnes in rem vel in personam mixtæ, vel hypothecariæ tollerentur præscriptione 30. annorum; *l. sicut, C. de præscript. 30. ann.* quam laudat Symmach. libr. 5. epist. 52. *Triginta annorum diebus incanuit ætas possessionis.* Et Sidon. libr. 8. epist. 6. *Per ipsum fere tempus lex de præscriptione tricennii fuerat proquiritata, cujus peremptoriis abolita rubricis, lis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur.* Patronam humani generis vocat Cassiodor. 5. *var.* 37. Sed constitutione Justiniani actiones hypothecariæ præscribuntur tantum 40. annis; *l. cum notissimi, C. de præscript. 30. ann.* quæ non servatur in Gallia, omnes enim actiones, etiam hypothecariæ, una præscriptione 30. annorum extinguuntur.

Usucapio requirit bonam fidem ab initio, superveniens mala fides non interrumpit usucapionem bona fide cœptam; *l. bonæ fidei, §. 1. ff. de adquir. rer. domin.* Etiam ex constitutionibus præscriptio longi temporis, quæ est usucapio Justinianea, bona fide inchoata etiam ex causa lucrativa, non interrumpitur superveniente mala fide & scientia rei alienæ; *d. l. un. de usucap. transform. l. pen. C. de præscript. long. tempor.* Jure pontificio perpetua bona fides requiritur in præscriptione; *cap. ult. de præscript.* Usucapio jure civili non procedit sine titulo, ex *init. h. tit. l. Celsus, ff. h. tit. l. improba, C. de adquir. possess.* id est nisi res tradita sit ex justa causa adquirendi dominii, saltem media usucapione, puta ex causa venditionis vel donationis a non domino facta, quæ si fieret a domino statim dominium transferret, idem in præscriptione longi temporis; *d. l. unic. & l. 4. C. de præscript. long. tempor.* Præscriptio vero longissimi temporis, quæ est 30. vel 40. annorum, nullum requirit titulum; *l. 2. C. de præscript. 30. ann.* Unde sola possessione absque titulo jus suum tuebatur Balduinus Comes Flandrensis adversus Philippum A. apud Guillelm. Briton. Philippid. lib. 2.

Jusque mihi defendit in his, possessio sola. Hoc unum valde notandum est, quod præscriptio cujuscumque temporis non adquiritur ex falso titulo; *l. ult. C. de usucap. pro dot. l. ult. C. de usucap. pro donat. l. sicut falsi, C. ad l. Cornel. de falsi.* contra veritatem non præscribitur; Tertull. de veland. virginib. cap. 7. *Hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum.*

§. *Sed aliquando.*

Liber homo, id est liber homo qui bona fide servit, res sacra vel religiosa, item servus fugitivus nullo tempore etiam a bonæ fidei possessore usucapi possunt, ex *hoc §. & l. usucapione, ff. h. tit.* res sacra vel religiosa usucapi non potest. Hoc jure jus sepulcri longa possessione non adquiritur ei, cui jure non competit; *l. 4. ff. de mort. inferend.* id est longo tempore non præscribitur sine titulo; *l. monumentorum, C. de religios.* adeoque forum id est ve-

stibu-

Source : BIU Cujas

ſtibulum ſepulcri uſucapi vetat lex ſepulcrorum, de qua M. Tull. 2. *de legib.* Res ſacræ vel religioſæ nullo tempore uſucapi poſſunt, quia non ſunt in commercio hominum, & adverſus Deum nulla eſt præſcriptio; idem Tull. de haruſpic. *Hoc ſi minus civili jure perſcriptum eſt, lege tamen naturæ communi jure gentium ſancitum eſt, ut nihil mortales a Diis immortalibus uſucapere poſſint.* Hodie actiones, quæ competunt eccleſiis monaſteriis vel aliis locis piis, ſublata præſcriptione centum annorum, quam Juſtinianus dederat eccleſiis; *l.* † *ut inter*, C. *de SS. eccleſ.* tolluntur præſcriptione 40. annorum, ſola eccleſia Romana gaudet præſcriptione centum annorum; *nov. Juſtin.* 131. *cap. 6. auth. quas actiones*, C. *de SS. eccleſ. cap. de quarta*, *cap. ad audientiam*, *de præſcript.* Etiam res publicæ uſucapi non poſſunt; *d. l. uſucapionem*, vel longo tempore præſcribi; *l. præſcriptio*, *ff. h. tit. l. viam*, *de via public.* Senec. epiſt. 79. *Jurisconſulti negant quicquam publicum uſucapi.* Ratio eſt, quia non ſunt in commercio. Alia ratione ſervus fugitivus non poteſt uſucapi, nimirum quia furtivus eſt, quod ſui furtum facere intelligatur; *l. ancilla*, *ff. de furt. l.* † 1. C. *de ſervis fugit.* Appoſite Martial. libr. 11. epigr. 55.

A pedibus didicere manus peccare protervæ,
Non miror furem, qui fugitivus erat.

§. *furtivæ*. §. *quod autem* 1. & 2. §. *aliquando*.

LEge 12. tab. & lege † Atinia res furtivæ, lege Julia & Plautia res vi poſſeſſæ, longo tempore etiam a bonæ fidei poſſeſſore uſucapi non poſſunt, ex *hoc* §. *l.* 4. §. *quod autem*, *l. non ſolum*, *ff. h. tit. l. ſciens*, C. *de uſucap. pro empt.* Gell. libr. 17. cap. 17. *legis veteris* † *Atiniæ verba ſunt, quod ſubreptum erit, ejus rei æterna auctoritas eſto.* Res furtivæ vel vi poſſeſſæ, etiam a bonæ fidei poſſeſſore uſucapi non poſſunt, quia vitium poſſeſſionis a majoribus contractum tranſit in ſucceſſorem; *l. vitia*, C. *de adquir. poſſeſſ.* Ideo res furtiva nullo tempore uſucapi poteſt, niſi prius in poteſtatem domini redierit; §. *aliquando*, *l.* 4. §. † *quod autem*, *l. non ſolum*, §. 2. *l. ult. ff. h. tit. d. l. ſciens*, *l. ult. ff. de vi bonor. rapt.* quia furtivæ rei vitium purgatur ex quo rediit in poteſtatem domini, & quamvis poſſeſſio per procuratorem adquiri poſſit, tamen res furtiva non videtur rediiſſe in poteſtatem domini, ad hoc ut uſucapi poſſit, quia contra ſtatui captioſum erit; *l. ſi rem*, *ff. h. tit.* nimirum ſi admittas vitium rei furtivæ purgari, re redeunte in poteſtatem procuratoris, etiam ignorante domino, periculum eſt ne procurator cum fure paciſcatur per colluſionem. Igitur res furtivæ uſucapi non poſſunt etiam a bonæ fidei poſſeſſore, niſi prius res redeat in domini poteſtatem. Et hoc eſt quod voluit Juſtinianus, cum ait, unde in rebus mobilibus non facile procedit, ut bonæ fidei poſſeſſoribus uſucapio competat, quia ſc. vitium furti, quod in mobilibus tantum locum habet, non in immobilibus; *l. quam rem*, *ff. h. tit.* rem ſequitur quocumque pervenerit, nec prius purgatur, ita ut res uſucapi poſſit, quam res redeat in poteſtatem ipſius domini. In rebus autem immobilibus expeditior erat uſucapiendi cauſa, quoniam earum furtum non committitur, unde ſi quis ſine vi fundi alieni poſſeſſionem nactus eſſet, quæ vacaret vel ex negligentia domini, vel ob caſum domini defuncti ſine herede, vel longiorem ejus abſentiam, his caſibus ipſe quidem primus poſſeſſor uſucapere non poterat, quoniam intelligebat ſe alienum poſſidere, & ob id mala fide poſſidebat, ſed ſi alii bona fide poſſidenti tradidiſſet, is uſucapiebat, quia neque vi poſſeſſum, neque furtivum erat, rei immobilis enim furtum non committitur; *d. l. quam rem*, *l. furtum*, §. 1. *eod. tit.* §. *quod autem* 2. Ex conſtit. Juſtiniani, qui vacuam poſſeſſionem rei alienæ propria auctoritate occupavit, ut prædo intelligitur: ridiculum enim eſt dicere vel audire, quod per ignorantiam quis rem alienam,

Source : BIU Cujas

quasi propriam occupavit, omnes enim scire debent, quod suum non est alterius esse, tamen rem præscribere potest possessione 30. annorum; *l. ult. C. und. vi.*

§. sed tamen. §. item si is. §. aliis quoque. §. aliquando.

SI heres rem alienam, puta rem defuncto commodatam aut locatam aut apud eum depositam, per errorem existimans esse hereditariam alienaverit, & bona fide accipienti, id est ignoranti, tradiderit, ex causa venditionis donationis vel dotis, nihil impedit quin a bonæ fidei possessore res usucapi possit, quia in ea re furtum non committitur; cum absit animus furandi; §. *sed tamen, l. potest pluribus*, † *in pr. cum l. seq. ff. h.tit.* Eadem ratione si is, ad quem ususfructus ancillæ pertinet, per errorem juris partum ancillæ suum esse credens alienaverit, & bona fide accipienti vendiderit vel donaverit, usucapio procedit bonæ fidei possessori, quia in ea re vitium furti non contrahitur; §. *item si is, d. l. potest pluribus*, §. *item si quis*. Alii sunt casus, in quibus si quis rem alienam bona fide alienaverit, & bona fide accipienti tradiderit, furtum non committitur, & res a bonæ fidei possessore usucapi potest; §. *aliis quoque*, cujus rei argumentum occurrit in *l. mandatum, ff. mandat.* ubi si heres Titii, qui a venaliciario, id est servorum mangone, mandatum susceperat de servis vendendis, & re integra defunctus erat, per errorem juris non intelligens mandatum finitum morte mandatarii re integra, non animo furandi, sed exequendi mandati, servos vendiderit, eos a bonæ fidei emptore usucapi placuit.

§. res fisci.

RES fisci usucapi non possunt, sed bona vacantia, nondum fisco nunciata, & incorporata fisco, a bonæ fidei emptore usucapi possunt, ex constitutionibus Principum, ex *hoc §. & l. quamvis, ff. h. tit.* Lege Julia bona vacantia, id est bona intestatorum, qui sine herede decesserint, fisco vindicantur; *l. quidam*, §. *quotiens, ff. de legat. 1. l. vacantia, C. de bon. vacant.* quod si intra quadriennium a fisco non vindicentur, etiam ab injusto possessore usucapiuntur, præscriptione quadriennii; *l. 1. C. de quadrienn. præscript. l. intra quatuor, ff. de diverf. & temporal. præscript. l. 1. §. divus, ff. de jur. fisc. l. 6. §. certe, si quis omiss. caus. test.* Constitut. Anastasii, tributa & vectigalia, quæ fisco debentur, cessatione cujusque temporis in solvendis his non præscribuntur; *l. comperit, C. de præscript. 30. annor.* Sed prædia fiscalia vel patrimonialia, id est privata Principis, possessione 40. annorum præscribuntur, salvo canone seu censu annuo; *d. l. comperit.* Jus aquæ ducendæ, pertinens ad fundum rei privatæ Principis, nulla temporis præscriptione amitti verum est; *l. usus aquæ, C. de fund. rei privatæ*, ne negligentia, vel colludio procuratorum fisci, jus Principis facile tollatur. In Gallia patrimonium regium, quod domanium vocant, ex quacumque causa est inalienabile & impræscriptibile, & si alienetur, quocumque tempore revocari potest, cujus juris luculenta argumenta extant apud Gregor. Tur. *libr. 6. cap.* 45. annal. Fuldens. *in ann.* 852. & Synod. Meldens. *can.* 20. Idemque juris fuisse in Hungaria liquet ex *cap. intellecto, de jurejurando.*

§. error autem.

ERror falsæ causæ non prodest ad usucapionem, ut si quis putet rem sibi donatam vel legatam vel emptam vel hereditariam, quæ donata vel legata vel empta non est, vel aliena fuit, ex *hoc §. l. Celsus, ff. h.tit. l. 1. ff. pro donat. l. ult. C. eod. l. 2. & 3. ff. pro legat. l. 6. pro derelict.* quia usu-

Source : BIU Cujas

uſucapio non procedit, non præcedente vero titulo ; *l. ult. C. de uſucap.* † *pro hered. l. diutina, C. de præſcript. long. tempor.* Exceptio eſt niſi juſtam cauſam erroris habuerit, puta ſi res quaſi empta tradita ſit domino per ſervum, vel procuratorem, cui res emenda mandata erat, vel res quaſi legata tradita ſit ab herede, quæ legata non erat, tunc enim uſucapit pro ſuo ; *l. quod vulgo, ff. pro empt. l. pen. §. ult. pro ſuo.*

§. *diutina.*

JUre civili in uſucapione non fiebat acceſſio poſſeſſionum, id eſt poſſeſſio defuncti non conjungebatur cum poſſeſſione heredis, ad implendam uſucapionem, idque, ni fallor, propter anguſtias temporis præſcriptionis, quod erat anni in rebus mobilibus, biennii in immobilibus. Ex conſtitutionibus in præſcriptione longi temporis poſſeſſio bona fide inchoata a defuncto prodeſt heredi, & bonorum poſſeſſori, ad implendam præſcriptionem, licet ipſe ſciat prædium alienum eſſe, ex *hoc §. l. Pomponius, §.* † *10. ff. de adquir. poſſeſſ. l. 1. §. ſi defunctus, pro empt. l. de acceſſionibus, l. pen. de diverſ. & temporal. præſcript. l. pen. C. de præſcript. long. temp.* Uſucapio requirit poſſeſſionem continuam & non interruptam ; *l. nunquam, §. 1. ff. h. tit.* verum poſſeſſio bona fide cœpta a defuncto, morte uſucapientis non interrumpitur, & continuatur in perſona heredis, quia heres perſonam defuncti ſuſtinet ; *l. heres, ff. h. tit.* E diverſo poſſeſſio mala fide cœpta a defuncto, non prodeſt heredi, vel bonorum poſſeſſori, licet ignoranti, ex *hoc §.* quia heres ſuccedit in vitium defuncti ; *l. pen. C. de adquir. poſſeſſ.* Certe mala fides auctoris, non nocet bonæ fidei emptori, quo minus uſucapiat ; *l. quam rem, ff. h. tit.* quod intelligendum eſt, ſi non utatur acceſſione, id eſt poſſeſſione auctoris, alioquin ei obeſt exceptio de dolo auctoris ; *l. apud Celſum, §. de auctoris, ff. de dol. & met. except.* non enim vitioſa poſſeſſio poteſt adjungi non vitioſæ ; *d. l. Pomponius, §. ult.* In præſcriptione longi temporis tempora non conjungebantur inter emptorem & venditorem, & hæc fuit ſententia Juliani in *l. ſi ædes, §. 1. ff. de ſervitut. urban.* quia plenius eſt jus ſucceſſionis, quam emptionis ; *d. l. Pomponius, §. quæſitum.* Ex reſcripto D. Severi & Antonini tempora conjunguntur inter emptorem & venditorem ad implendam uſucapionem, ex *hoc §. & l. pen. §. 1. ff. de diverſ. & tempor. præſcript.* Immo in uſucapione Juſtinianea rei mobilis, inter auctorem bonæ fidei, & ſucceſſorem malæ fidei tempora continuantur ; *l. unic. C. de uſucap. transformand.*

§. *ult.*

EX edicto D. Marci, res aliena a fiſco empta non poteſt revocari a majore poſt quinquennium, a minore vel abſente reip. cauſa, etiam poſt quinquennium revocari poteſt, ex *hoc §. l. ult. C. ſi adverſ. fiſc. l. neque, C. de reſtit. milit.* Ex conſtitutione Zenonis, ſi fiſcus rem alienam vendiderit vel donaverit, non revocatur venditio, ſed domino vel creditori hypothecario ſalva eſt actio in rem vel hypothecaria adverſus fiſcum intra quadriennium, ex *hoc §. l. 2. l. bene a Zenone, C. de quadrienn. præſcript.* Rei alienæ venditio a fiſco facta ſuſtinetur, propter fidem & auctoritatem haſtæ fiſcalis, ne decipiantur contrahentes cum fiſco. Res aliena empta a fiſco intelligitur empta quaſi a domino, quia Principis omnia eſſe intelliguntur ; *d. l. bene a Zenone.* Et hoc jure fiſcus rem communem cum privato in ſolidum vendere poteſt, etiam invito ſocio, ſi communis ſit, vel ex minima parte ; *l. 2. C. de commun. rer. alienat. l. unic. C. de vendit. rer. fiſcal. libr. 10.* Tamen ſi fiſcus rem vindicet a privato, pendente lite poſſeſſorem expellere non poteſt ; *l. defenſionis, C.*

Source : BIU Cujas

de jure. fisc. moribus vero Gallicis pendente lite cum fisco, possessor submovetur, injecta manu regia.

De donat.

CAP. VII.

Princ.

DOnatio refertur inter modos civiles adquirendi *hoc loco*, *&* §. *ult.* infr. *h. tit.* tum quia non fit, nisi inter cives Romanos, peregrinus non potest capere ex causa donationis vel hereditatis ; *l.* 1. *C. de hered. instit.* tum quia donatio jure civili non perficiebatur nudo consensu, sed interposita stipulatione & traditione ; *l.* 2. §. *aliud juris*, *l. qui id quod*, *ff. h. tit. l. Papinianus*, *de donat. inter vir. & uxor.* vel per mancipationem, id est imaginariam venditionem, quæ fiebat per æs & libram ; *l.* 4. *&* 7. *C. Th. h. tit.* Hodie donatio perficitur nudo consensu, ex constit. Justiniani ; *l. ult. C. h. tit.*

Donatio est mera liberalitas, quæ nullo jure cogente tribuitur ; *l. donari*, *ff. h. tit. l. donari*, *de R. J.* unde donatio remuneratoria, non est mera donatio, sed merces officii ; *l. hoc jure*, §. *Labeo*, *l. Aquilius*, *ff. h. tit.* Jo: Chrysostom. in 1. ad Corinth. homil. 28. δωρεὰ γαρ ἐν ἐκ ἀμοιβῇ, καὶ χάρις, ἐκ ἀντίδοσις, *erat enim donatio, non permutatio, & gratia, non remuneratio.* Et donatio collata a patre in filium ob bene merita non confertur Bartolo in *l.* 1. §. *nec castrense*, *ff. de collat. bonor.* Et donatio ob rem, puta si nomen meum assumpseris, non est proprie donatio, sed contractus ; *d. l. hoc jure*, *in fin.*

§. I

DOnatio alia est mortis causa, alia inter vivos : donatio mortis causa est, quæ fit propter mortis suspicionem, ita ut non aliter donator rem donatarii esse velit, quam si eo superstite moriatur, ex *hoc* §. Tres sunt species mortis causa donationis. Prima est, quæ fit nullo præsentis periculi metu, sola cogitatione mortalitatis. Alia est, quæ fit imminente periculo mortis, ita ut res statim fiat accipientis. Tertia est, quæ fit imminente mortis periculo, ita ut res statim non fiat accipientis, sed tunc demum cum mors secuta fuerit ; *l.* 2. *l. senatus*, §. *mortis causa*, *ff.* † *de mort. caus. donat.*

Donatio mortis causa revocatur reconvalescentia donatoris, vel nuda pœnitentia, vel præmortuo donatario, ex *hoc* §. *l. si mortis causa* 29. *cum seq. ff. de mort. caus. donat. l. non omnis*, *de reb. credit.* Donatio mortis causa ita fieri potest, ut nullo casu revocetur, ne si convaluerit quidem donator ; *l. si alienam*, *l. senatus.*, §. *mortis*, *in fin. ff. de mort. caus. donat.* tamen ubi ita donatur mortis causa, ut nullo casu revocetur, causa donandi magis est quam mortis causa donatio, & perinde haberi debet atque alia quævis inter vivos donatio. Ideoque inter virum & uxorem non valet, nec in ea falcidiæ locus est, quasi in mortis causa donatione ; *l. ubi ita donatur*, *ff. eod.* Exemplo donationis mortis causa resignatio beneficii facta ob causam valetudinis, vel ingressum monasterii revocatur, si resignans convaluerit, vel e monasterio abierit ; *can. Gonsaldus* 17. *qu.* 2. *cap. beneficium*, *de regular. in* 6. Constitutione Justiniani donationes mortis causa per omnia fere legatis comparantur, ex *hoc* §. *& l. ult. C. de mort. caus. donat. l. Marcellus*, *l. illud*, *ff. eod.* idque variis argumentis. I. quibus donationes mortis causa capere, iisdem legata capere

Source : BIU Cujas

pere licet; *l. omnibus, ff. eod.* II. donatariis mortis causa, ut heredibus & legatariis vel fideicommissariis substitui potest directo, vel per fideicommissum; *l. ut heredibus, l. cum pater*, §. 1. *ff. de legat.* 2. *l. Publius*, §. 1. *l. avia, ff. de condit. & demonstr. l. ab eo, C. de fideicommiss.* III. in donationibus mortis causa, sicut & legatis, falcidiæ locus est; *l. quod bonis, ff. ad l. falcid. l.* 5. *l. pen. C. eod. l. ubi ita donatur, ff. h. tit.* IV. donatio mortis causa requirit quinque testes, quia instar ultimæ voluntatis habet, in qua saltem quinque testes requiruntur; *l. ult.* §. *ult. C. de codicill.* Ait fere, nam donationes mortis causa in quibusdam a legatis differunt, puta donationes mortis causa ab intestato factæ non comparantur legatis, si filius emancipatus præteritus, petierit bonorum possessionem contra tabulas. Testamento facto, tuendæ sunt donationes mortis causa factæ exceptis personis, id est liberis & parentibus usque ad virilem, sed si excedant virilem, donatarii mortis causa debent conferre emancipato præterito pro rata ad virilem portionem, id est ut habeant virilem portionem, in donationibus mortis causa, sicut in portionibus hereditariis & legatis. Quod si pater intestatus decesserit, non poterit queri filius, qui succedit ab intestato super donationibus mortis causa, id est donatarii mortis causa non debent conferre ei virilem, quia hoc casu nulla potest fieri comparatio inter legata & mortis causa donationes, cum non sit testamentum; *l. si filius, ff. de legat. præstand. contr. tabul.* Item donationes mortis causa cedunt a morte donatoris, legata ab apertis tabulis secundum legem Papiam; *l. ult. ff. h. tit.* Sed constit. Justiniani legata cedunt & a morte testatoris; *l. unic.* §. *in novissimo, C. de caduc. tollend.* & interdictum *quod legatorum* non datur heredi scripto adversus eum qui possidet ex hereditate bonisve ex mortis causa donatione; *l.* 1. §. *si quis ex mortis, ff. quod legat.* Aliud in legato, & qui falsum vel inofficiosum testamentum dixit, nec obtinuit, non repellitur a donatione mortis causa, atque in hac re donatio mortis causa non comparatur legato; *l. post legatum*, §. *qui mortis, ff. de his quæ ut indign.* quia donatio causa mortis non pendet ex testamento. Denique donatio mortis causa fieri potest a filiof. qui testamentum facere non potest, legatum non item; *l. tam is, ff. de mort. caus. donat.*

§. *aliæ autem.*

DOnatio inter vivos est, quæ sine ulla mortis cogitatione fit, *ex hoc* §. hujusmodi donatio statim transfert dominium, unde directa dicitur *l.* 1. *C. Th. h. tit.* & semel perfecta, temere revocari non potest, vel conditiones non recipit; *l. perfecta, C. de donat. quæ sub. mod.* Velles nec ne donare ab initio liberum fuit, sed donatione semel perfecta, pœnitere non licet; *l. velles nec ne, C. de revocand. donat.* Ait temere, quia donatio semel perfecta, non rescinditur, nisi ex causis ingratitudinis in judicio comprobatis, ex *hoc* §. *l. pen. & ult. C. de revocand. donat.* Actio ingrati donationis revocandæ causa perpetua est, & competit donatori adversus donatarium, quantocumque tempore rem donatam possederit, sed hæc actio est personalis, & si donator in diem vitæ siluerit, non datur heredi donatoris, nec in heredem donatarii; *l.* 1. *l. his solis, l. ult. C. eod.* Ratio est, quia hæc actio magis vindictæ, quam rei persecutionem continet; *d. l. his solis*, immo non datur matri, quæ donavit liberis, si transierit ad secundas nuptias, vel inhoneste vixerit; *d. l. his solis*, nisi ex graviſſimis causis, puta si vitæ ipsius insidias, vel manus impias in eam intulerit, vel totius substantiæ damnum molitus sit; *auth. quod mater, C. eod.* & hæc pœna secundarum nuptiarum locum habet in matre, non in patre.

Olim donatio non perficiebatur nudo consensu, sed interposita stipulatione;

Source : BIU Cujas

l. 2. §. *aliud juris*, *l. qui id quod*, *ff. h. tit. l. Papinianus*, *ubi not. ff. de donat. inter vir. & uxor.* vel re, id eſt corporali traditione; ex cauſa donationis facta; *l.* 1. *l. pen. C. Th. h. tit.* Donat. in Andria in hæc verba: *Dos Pamphile eſt, decem talenta: accipio. Ille niſi dixiſſet accipio dos non eſſet, datio enim ab acceptione confirmatur, nec poteſt videri datum id quod non ſit acceptum.* Vel traditione civili, puta retentione uſusfructus, quæ pro traditione habetur; *l. quisquis*, *C. h. tit.* Conſtit. Juſtin. donatio inter vivos, exemplo venditionis, nudo conſenſu perficitur, ita ut traditionis neceſſitas incumbat donatori, *ex hoc* §. *l. ſi quis argentum*, §. *ſed ſi quidem*, *C. h. tit.* In Gallia, quæ moribus legum inſtar utitur, donatio nulla eſt, niſi ſequatur traditio *donner & retenir ne vaut*. Conſtitutione Conſtantini donatio non fiebat ſine ſcripto, & tabulis, advocatis vicinis, & teſtibus quamplurimis, quorum fide probari poſſet abfuiſſe vim & irruptionem; *l.* 1. *C. Th. h. tit. l. donatio*, *C. eod.* Conſtit. Juſtin. donatio in ſcriptis vel ſine ſcriptis nudo conſenſu perficitur, ex *hoc* §. *& d. l. ſi quis argentum*, §. *ſed ſi quidem*. Conſtit. Zenonis ſi donatio fiat in ſcriptis per tabellionem vel alium, non indiget ſubſcriptione teſtium, ſed ſufficit ſubſcriptio donatoris; *l. in donationibus*, *C. eod.* & donatio, quæ inſinuatur apud acta, non requirit advocationem teſtium, quia ſuperfluum eſt privatum teſtimonium, cum publica monumenta ſufficiant; *d. l. in donationibus*; qua in re donatio inter vivos diſtat a donatione mortis cauſa, quæ licet ex ſcripto fiat, exigit quinque teſtes, quia inſtar habet ultimæ voluntatis; *l. ult. C. de donat. cauſ. mort.*

Olim nulla donatio indigebat inſinuatione: primus Conſtantinus omnem donationem, ſive directam, id eſt inter vivos, ſive mortis cauſa, ſive puram, ſive conditionalem, apud acta inſinuari voluit; *l.* 1. *C. Th. h. tit. l. donatio*, *C. eod.* quod tamen ipſe patri ſuo tribuit; *l.* 1. *C. Th. de ſponſalib.* Poſt Conſtantinum Theodoſius eas donationes tantum inſinuari voluit, quæ excederent 200. aureos; *l. ult. C. Th. eod.* Poſt Theodoſium Juſtinianus primum ſanxit, ne donationes inſinuatione indigerent usque ad 300. aureos; *l. ſancimus*, *C. h. tit.* poſtea usque ad 500. aureos, quæ vero excederent 500. aureos, ſine inſinuatione non valerent, ultra 500. aureos; *d. l. ſancimus*, *& d. l. ſi quis argentum*, §. *ult.* Quod locum habuit in donationibus factis civitatibus, eccleſiis, & aliis locis piis; *d. l. ſancimus*, *l. illud*, *C. de SS. eccleſ.* excipiuntur donationes imperiales, id eſt factæ a Principe in privatos, vel donationes factæ in cauſas piiſſimas, puta in redemptionem captivorum, vel donationes collatæ in milites a magiſtro militum, vel donationes factæ in eos, quorum ædes incendio vel ruina corruptæ ſunt, in ſubſidium refectionis; *d. l. ſancimus*, *d. l. ſi quis argentum*, *nov.* 52. *cap.* 2. Excipiuntur & mortis cauſa donationes, quæ inſinuatione non indigent, cujuscumque quantitatis ſint; *l. ult. C. de mort. cauſ. donat.* quia nuda pœnitentia revocantur & morte tantum confirmantur. Dos quoque & donatio propter nuptias, etiam ab extraneo facta mulieri dotis conſtituendæ cauſa, inſinuatione non eget, licet excedat 500. aureos; *l. ult. C. de jur. dot.* quia dos non eſt donatio, ſed contractus; *l. exigere dotem*, *ff. de judic.* Conſtitutione regia omnes donationes inter vivos inſinuationem deſiderant, alioquin nullæ & irritæ ſunt, demtis donationibus mobilium: ſed jure quo utitur ſenatus Toloſanus, exceptio non inſinuatæ donationis non poteſt opponi, niſi a creditoribus.

§. *eſt & aliud.*

ALia eſt donatio inter vivos, quæ ante Conſtit. Juſtiniani vocabatur donatio ante nuptias, quia tacitam in ſe conditionem habebat, ſi nuptiæ ſequerentur, undé quod donatum eſt inter ſponſos, non ſecutis nuptiis repetitur; *l. ſi præſidi*, *C. de donat. ante nupt.* Et hujusmodi donatio non fiebat poſt-

nuptias,

Source : BIU Cujas

nuptias, ſed tantum ante nuptias, & hoc genus donationis veteribus prudentibus incognitum & a junioribus Principibus introductum ait Juſtinianus *hic*. Primi ex Imperatoribus fuere Diocletianus & Maximianus, a quibus id genus donationis memoria celebratum *; l. ſi ante, C. de donat. ante nupt. l. ſi quidem, C. de donat. inter vir. & uxor.* ſed tamen Modeſtino non ignotum fuiſſe conſtat ex *l. inter eos, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Igitur donatio ante nuptias vocabatur, quia ante nuptias tantum fiebat. Primus D. Juſtinus conſtituit, ut ſicut dos conſtante matrimonio augeri poteſt *; l. inter ſocerum, §. cum inter, ff. de pact. dotalib. l. etiam ſi, C. de jur. dot.* & donatio ante nuptias conſtante matrimonio augeri poſſet *; l. ſi conſtante, C. de donat. ante nupt.* Nec obſtitit quod donatio inter virum & uxorem vetaretur, quia verum eſt donationem ſimplicem inter virum & uxorem vetitam eſſe, at donatio propter nuptias non eſt ſimplex donatio ſed donatio propter dotem, donatio quaſi antipherna, & contraria doti, quæ ſc. contra dotem offertur ex parte viri, unde recentiores dotalitium vocant *; cap. ex parte, de foro competent.* Donatio ſimplex non eſt propter nuptias, ſed propter nuptias vetita eſt, quia neque propter nuptiarum affectionem fit, quæ jam contractæ ſunt, ſed propter alias cauſas, & libidinem, vel unius partis egeſtatem *; l. ult. in pr. C. de donat. ante nupt.*

Eadem conſtit. Juſtinus addidit, ut dotis & donationis auctæ conſtante matrimonio æquale augmentum ſit, id eſt ejusdem quantitatis, pacta nimirum de lucro auctæ dotis vel donationis propter nuptias ex conventione jam ineuntur, vel ad modum priorum pactorum, quæ ab initio facta ſunt ante nuptias in dote vel donatione propter nuptias conſtituenda. Et jus hypothecarum, quod datur mulieri agenti de augmento dotis vel donationis propter nuptias, non retro trahitur ad tempus prioris dotis, vel donationis propter nuptias, ſed ad tempus quo dos vel donatio propter nuptias aucta eſt *; d. l. ſi conſtante*. Privilegium dotis, ut mulier præferatur creditoribus hypothecariis etiam anterioribus, non habet locum in augmento dotis vel donationis propter nuptias, ſed ſervatur privilegium temporis *; l. de rebus, C. de donat. ante nupt. l. aſſiduis, C. qui potior. in pignor. l. ſi quidem, C. de donat. inter vir. & uxor.*

Secuta eſt Juſtiniani conſtitutio, ut donatio propter nuptias, non ſolum conſtante matrimonio augeri poſſit, ſed etiam de novo conſtitui exemplo dotis, ex *hoc §. & d. l. ult. C. de donat. ante nupt.* Ait exemplo dotis, dos enim conſtante matrimonio augeri vel conſtitui poteſt *; l. 1. l. ſi pater, ff. de pact. dotalib.* Martian. Capella lib. *9. quo dicto, arcanus ille priſci juris aſſertor, magna nepotum obſecratione conſulitur, reſponditque, regulariter etiam matrimonio copulato, dotem dicere feminam viro nullis legibus prohiberi*. Et eadem conſtitutione effectum, ut donatio propter nuptias dotis quantitatem non excedat, & pacta de lucro dotis valeant & in donatione propter nuptias, etiam ſi ea de re nihil actum ſit, intacta manente conſtitut. Leonis, quæ eſt in *l. ex morte, C. de donat. ant. nupt.* quæ lucra dotis & donationis propter nuptias exæquat, in quota non in quantitate. Eademque conſtitutione impoſitum, ut quæ olim vocabatur donatio ante nuptias, vocaretur propter nuptias, cum conſtante matrimonio in totum fieri vel augeri poſſet *; d. l. ult. & hoc §.* Nihilominus in novellis Juſtiniani eadem ſæpius vocatur donatio ante nuptias, memoria veteris appellationis. Poſtremo vero Juſtinianus conſtituit, ut dotis & donationis propter nuptias augmentum æqualia ſint in quantitate, & ſi in mobilibus augeatur dos, mulieri in eo augmento non detur, niſi privilegium temporis *; nov. 97. cap. † 2. auth. ſed jam neceſſe eſt, C. de donat. ant. nupt.*

Source : BIU Cujas

§. *ult.*

JUre veteri ubi unus ex dominis communem ſervum vindicta vel teſtamento manumittebat, partem ſuam amittebat, & manumittentis pars adcreſcebat ſocio, ut traditur *hic & l.* 1. §. *jus autem*, C. *de commun. ſerv. manumiſſ.* & apud Ulpian. *libr. regular. tit.* 1. §. 19. Et Paul. 4. *ſentent. tit.* 12. Ratio erat, quia ſocius præter fiſcum rem communem in ſolidum vendere alienare non poteſt, invito ſocio ; *l.* 1. *&* 2. C. *de comm. rer. alienat. l. unic.* C. *de vendit. rer. fiſcal. libr.* 10. Sed favore libertatis Juſtinianus conſtituit, ut ſi unus e dominis communem ſervum manumiſerit, manumiſſio rata ſit, ſocio indemni ſervato, id eſt parte pretii ei numerata, pro æſtimatione quæ fiet ſecundum qualitatem ſervi, ex *hoc* §. *& d. l.* 1. Et ita ceſſat jus adcreſcendi.

Quib. alienare lic. vel non.

CAP. VIII.

ALienare proprium eſt domini ; §. *per traditionem*, ſupr. *de rer. diviſ. l. in re mandata*, C. *mandat.* Alienationis nomine continetur non ſolum dominii alienatio, puta venditio donatio permutatio, ſed etiam conſtitutio uſus-fructus vel ſervitutis, pignus, hypotheca, emphyteuſis ; *l. ult.* C. *de reb. alien. non alien. cap.* 5. *de reb. eccleſ. non alienand.*

Interdum evenit, ut domino alienare non liceat, non domino liceat. Lege Julia maritus non poteſt alienare vel obligare fundum dotalem, quamvis ipſius ſit dominus ex cauſa dotis ; *l.* 4. *ff. de fund. dotal.* Hac lege hoc intereſt inter alienationem, & obligationem fundi dotalis, quod fundus dotalis a marito alienari poteſt, conſentiente muliere, obligari autem nullo modo poteſt, neque invita, neque conſentiente muliere ; *l. unic.* §. *& cum lex*, C. *de rei uxor. act.* Lex Julia diſtrictius prohibet obligationem fundi dotalis, quam alienationem, quia facilius mulier conſentit hypothecæ quam alienationi. Quam ob cauſam SC. Vellejanum ſuccurrit mulieri intercedenti pro alio, non donanti, quia facilius mulier ſe obligat, quam alicui donet ; *l.* 4. §. 1. *ff. ad Vellejan.* Legi Juliæ de fundo dotali locus fuit tantum in prædiis Italicis, non in prædiis provincialibus ; *d. l. un.* §. *& cum lex*, & in fundo inæſtimato, qui proprie dotalis eſt, æſtimatus enim libere a marito alienari poteſt, quia dotis æſtimatio eſt venditio ; *d. l. unic.* §. *& cum lex, verſ. in fundo*, niſi electio ſit mulieris, utrum ſoluto matrimonio fundum repetat, aut æſtimationem ; *l. quod ſi fundus, ff. de fund. dotal.* Immo fundus dotalis æſtimatus, etiam ſi poſtea convenerit, ut is ipſe fundus reſtituatur ſoluto matrimonio non æſtimato, adhuc poteſt alienari a marito volente muliere ; *l. ult. ff. de pact. dotalib. l. æſtimatis, ſolut. matrim.* Præterea legi Juliæ de fundo dotali locus tantum eſt in rebus ſoli, quod ſi res dotalis ſit mobilis poteſt alienari a marito, ſi ſit ſolvendo ; *l. res in dotem, ff. de jur. dot. l.* 3. C. *eod. l. ſervum* 21. *ff. de manumiſſ. l.* † *quod ſi, de pact. dotalib. l.* 1. C. *de ſerv. pign. dat. manumiſſ.* Hoc jure ſuperficies fundi dotalis, poteſt alienari a marito conſentiente muliere ; *l. ſi ex lapidicinis, ff. de jur. dot.* quia ſuperficium, quod ſolo inædificatum eſt, non eſt ſoli. Conſtitut. Juſtiniani ſublata differentia, quæ erat inter prædia Italica, & Provincialia, fundi dotalis alienatio, & obligatio omnino prohibetur, ſive invita ſive conſentiente muliere, ne mulier fragilitate ſexus facile conſentiens, in repentinam labatur inopiam ; *d. l. unic.* §. *& cum lex.*

† Hæc l. ſub h. tit. deſideratur. V. l. 3. §. 2. *de ſuis & legit.*

Source : BIU Cujas

lex. Jure pontificio, hujusmodi alienatio consensu mulieris facta valet, accedente ipsius jurejurando ; *cap. cum contingat, de jurejur. cap. licet, eod. tit. in 6.* Mulier ipsa constante matrimonio res dotales alienare, vel donare non potest, cum rei quæsitæ marito dominium invito auferre non possit ; *l. si prædium, l. ubi adhuc, C. de jur. dot. l. constante, C. de donat.*

§. I.

NOn est novum, ut qui dominium non habeat, alii dominium præbeat ; nam & creditor pigneratitius vendendo, causam dominii præstat, quam ipse non habuit ; *l. non est novum, ff. de adquir. rer. domin.* Dominium enim pignoris non transfertur in creditorem, sed manet penes debitorem ; *l. pignus, C. de pigner. act.* Si convenerit ab initio, vel postea inter debitorem & creditorem de vendendo pignore, creditori pignus vendere licet ex pactione, quod si nihil convenerit, nihilominus licet creditori pignus vendere, quia ex voluntate debitoris alienari intelligitur ; *l.* † *si convenit, ff. eod.* quod repetitum est in *hoc* §. Nimirum pactum de vendendo pignore, tacite interpositum ab initio censetur, quia hujusmodi pactum contractibus pigneratitiis adjici solebat, ut si ad diem pecunia soluta non esset, liceret creditori post denuntiationem pignus vendere, unde id pactum vulgare dicitur *l. 4. C. eod.* Ubi vero convenit de non vendendo pignore, creditor pignus vendere non potest, nisi post trinam denuntiationem, debitore non solvente ; *l. 4. ff. eod.* Ubi convenerit de vendendo pignore, tunc sufficit unica denuntiatio ; *l. 4. C. de distract. pignor.* Ex constitut. Justiniani etiam si nihil convenerit de distrahendo pignore, creditor poterit pignus vendere post biennium a die denuntiationis vel condemnationis debitoris ; *l. ult. §. 1. C. de jur. domin. impetr.*

Post denuntiationem debitore cessante, pignus publice sub hasta vendi debet ; *d. l. 4. & l. quæ specialiter, C. eod.* Quod si creditor rem teneat sub specie pignoris, quæ antichresis dicitur, non potest compellere debitorem ut pignus luat, quia antichresis est species pignoris, quæ contrahitur ea lege, ut creditor fructus percipiat vice usurarum, donec pecunia solvatur ; *l. si is qui bona, §. 1. ff. de pignorib. l. si ea lege, C. de usur.*

§. *nunc admonendi*.

PUpillus sine tutoris auctoritate nihil alienare potest : ob id si pupillus cuipiam mutuam pecuniam dederit sine tutore, non obligat sibi accipientem, quia mutuum non contrahitur, nisi pecunia fiat accipientis ; *l. 2. §. appellata, ff. de reb. credit.* ideoque nummi si extent, vindicantur ; si bona fide consumpti sunt, condicuntur ; si mala fide, de his ad exhibendum agi potest, ex *hoc §. l. obligari, ff. de auctor. tut. l. non omnis, §. 1. de reb. credit.* Quod postremum dubitatione non carebat, quia ad exhibendum agitur, ut res exhibita vindicetur ; *l.* † *2. §. 3. ff. ad exhibend.* At consumpta pecunia, non est locus exhibitioni, sed recte agitur ad exhibendum, non ut res exhibeatur, sed ut in litem juretur, id est præstetur quanti actor juratus litem æstimaverit. Ex quibus enim causis res extantes vindicantur, bona fide consumptæ condicuntur, vel si mala fide consumptæ sint, ad exhibendum agi potest ; *l. 9. in princ. & §. si quis rem, ff. ad exhibend. l. 5. C. eod. l. si heres, ff. de legat. 2.* qui enim mala fide desiit possidere, pro possessore habetur, dolus pro possessione est ; *l. qui restituere, ff. de rei vindicat. l. qui dolo, de R. J.*

Si debitor pupillo solverit sine tutoris auctoritate, non liberatur ; *l. pupillo, ff. de solut.* Immo ex constit. Justin. pupillo tuto non solvitur, nisi, præter auctoritatem tutoris, accedat sententia judicis ; *l. sancimus 25. l. constitu-*

† Corrig. *l. 3. §. 3. & 6.* Cui jungi possunt *l. 1. ff. eod. tit. & l. 1. de privat. delict.*

Source : BIU Cujas

tionem, C. *de administr. tutor. l. ait prætor*, §. *sed & si*, ff. *de minorib.* Quod si debitor pupillo sine tutore solverit, & pecunia salva sit, vel ex ea pupillus locupletior factus sit, & adhuc eandem pecuniam petat, repellitur exceptione doli mali, quod si pecunia consumpta & perdita sit, debitor non tuetur se exceptione doli mali, & iterum compellitur solvere, quia pupillo sine tutore temere solvi non potest, ex *hoc* §. *& d. l. pupillo*.

Pupillus mutuam pecuniam accipiendo non obligatur, ne quidem naturaliter, nisi ex ea locupletior factus sit, quo casu solutam pecuniam condicere non potest; *l. pupillus*, ff. *de oblig. & act. l. quod pupillus*, *de condict. indebit.* quia solutum ex naturali obligatione non condicitur. Pupillus sine tutoris auctoritate solvere non potest, & si solvat non liberatur, quia nummos non facit accipientis, & nummi si extent vindicari possunt, plane si consumpti sint liberabitur, ex *hoc* §. *l. quod si forte*, §. *ult.* ff. *de solut. l. obligari*, §. 2. *de auctor. tut.*

Per quas person. cuiq. adquir.

CAP. IX.

In princ.

NOn solum per nosmetipsos adquirimus, sed etiam per eos, quos in potestate habemus, ut per liberos, vel per servos nostros, vel alienos, in quibus usumfructum habemus, vel per liberos homines, id est procuratores, vel servos alienos, quos bona fide possidemus, ex *init. h. tit. & l. adquiruntur*, ff. *de adquir. rer. domin.*

§. I.

JUre civili quicquid filiusf. adquirebat, patri adquirebat, excepto peculio castrensi, *ex hoc* §. *l.* 1. ff. *si a parente quis manumiss. l. ex nota*, *de castrens. pecul.* ita ut confestim ei adquireretur, neque momento aliquo subsisteret in persona ejus, per quem adquirebatur; *l. placet*, ff. *de adquir. hered.* Ideo plerumque filiif. cum a matre instituebantur, vel a cognatis vel extraneis, instituebantur sub conditione, si a patre emancipati essent, ne ususfructus ad patrem perveniret; *l.* 3. §. *si heres*, ff. *de minorib. l. ult. de petit. hered. l. quidam*, *de hered. instit. l.* 3. C. *de instit. & substit.* Tranquill. in Vitell. cap. 6. *Hunc heredem a matre sub conditione institutum, si de potestate patris exisset, manu emisit*. Jure civili, inquam, quicquid filiusf. adquirebat patri adquirebat, excepto peculio castrensi, filiusf. enim in castrensi peculio pro patref. habetur; *l.* 2. ff. *ad Maced.* & liberorum peculium, præter castrense, post mortem patris veniebat in divisione hereditatis; *l. certum est*, C. *famil. ercisc. l. filiæ licet*, C. *de collat.* Et filiof. mortuo, pater bona ejus adventitia occupabat jure peculii, non jure hereditatis, quasi pater, non quasi heres; *l. si infanti*, §. 1. C. *de jur. deliber.* Si mater filio, qui in patris potestate erat, donasset, donatio patri quærebatur; *l.* 3. §. *secundum*, ff. *de donat. inter vir. & uxor.* Primus Constantinus constituit, ut in bonis maternis, ususfructus dumtaxat patri adquireretur, dominio manente penes liberos; *l.* 1. C. *de bon. matern.* Idem statuere Arcadius & Honorius in bonis materni generis, id est profectis a matre, vel avo materno; *l.* 2. C. *eod.* Idem Theodosius & Valentinianus in bonis filiif. quæsitis ex causa matrimonii, id est ex causa dotis, vel dona-

Source : BIU Cujas

donationis propter nuptias ; *l.* 2. *C. de bon. quæ liber.* Idem Leo & Anthemius in bonis quæsitis ex lucro nuptiali ; *l.* 4. *&* 5. *C. eod.* Tandem constit. Justiniani eo res deducta est, ut ususfructus solus patri relinqueretur, etiam in omnibus adventitiis, id est quæsitis ex alia quacumque causa, quam ex substantia patris, puta liberalitate fortunæ, vel laboribus propriis, & ut in bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, pater nihil omnino juris haberet, nec usumfructum, nec proprietatem, ex *hoc* §. *& l. cum oportet*, *C. eod.* in bonis profectitiis nihil a Justiniano mutatum, peculii profectitii dominium remanet penes patrem, filiusf. ejus nudum habet usum & administrationem ; *l. ult. ff. de pecul. legat.* Et hoc est quod intellexit Justin. in *d. l. cum oportet*, cum ait in bonis aliunde quæsitis, quam ex substantia patris, usumfructum solum patri adquiri, ex hoc enim sequitur peculium a patre profectum pleno jure esse in bonis parentum. In bonis adventitiis ususfructus patri adquiritur. Excipiuntur duo casus. Primus est, si bona a matre vel avo materno vel alio filiofamilias data vel relicta sint, ea lege ne ususfructus ad patrem perveniat ; *nov.* 117. *cap.* 1. *auth. excipitur*, *C. de bon. quæ liber.* Secundus casus est, si filiusf. sine liberis defunctus sit, pater & mater & fratres defuncti simul succedunt in bonis ejus adventitiis pro virilibus portionibus pleno jure, nullo usufructu reservato patri ; *nov.* 118. *cap.* 2. *auth. defuncto*, *C. ad Tertyll. auth. item hereditas*, *C. de bon. quæ liber.*

§. *hoc quoque.*

PAter filio emancipato peculio non adempto peculium donasse intelligitur ; *l. donationes* 31. §. *pater qui*, *ff. de donat. l. sive emancipatis*, *C. eod.* Constitutione Constantini, quæ integra extat in *l.* 1. *C. Th. de bon. matern.* pater filium emancipando in bonis, quæ adquisitionem effugiebant, id est in bonis maternis, vel lucris nuptialibus, tertiam partem proprietatis retinebat in præmium emancipationis. Et hoc est quod dicitur in *l. si viva matre*, *C. eod.* patrem emancipando liberos, præmium delatæ emancipationis accipere. Ante Constantinum etiam si liberi emancipati essent matre superstite, post ejus mortem pater in bonis maternis nihil juris retinebat, neque proprietatem, neque usumfructum. Constitutione Theodosii liberis emancipatis vivente matre, pater in bonis maternis tulit virilem ususfructus inter liberos, sive unus, sive plures essent ; *d. l. si viva matre.* Tandem constitutione Justiniani, quia captiosum videbatur filium emancipari damno rerum suarum, patri filium emancipanti ususfructus dimidiæ tantum partis bonorum adventitiorum concessus est, ex *hoc* §. *& l. cum oportet*, §. *pen. C. de bon. quæ liber.* Et hoc est quod ait Justin. *in l. ult. C. de emancipat. liber.* patrem, qui liberos emancipavit, legitima jura omnino habere, etsi ea specialiter in emancipatione sibi non servaverit, id est semissem ususfructus, & jus succedendi. Hodie pater, qui filium emancipavit, omnino usumfructum amittit in adventitiis, tum quia ususfructus in his patri adquiritur jure patriæ potestatis ; *l.* 1. *& passim*, *C. de bon. matern.* qua sublata, & ipsum usumfructum tolli necesse est, cum quia ususfructus tacite remittitur emancipatione ; *d. l. donationes*, §. *pater qui*, quia emancipatione filiusf. fit sui juris, & idoneus ut sibi deinceps omnia in solidum adquirat, nihil patri : unde emancipatus eleganter dicitur a parente habere beneficium bonorum quærendorum ; *l.* 1. *ff. si a parent. quis manumiss. sit.*

§. *item* † *vobis.*

QUicquid servus adquirit vel ex traditione, facta sc. ex justa causa adquirendi dominii, vel ex stipulatu, donatione, vel legato, vel ex qualibet

Source : BIU Cujas

alia causa, domino adquirit etiam invito, & ignoranti, quia servus nihil suum habere jure civili potest, ex *hoc* §. *l. adquiruntur*, §. 1. *l. etiam invitis*, *ff. de adquir. rer. domin. l. servus vetante*, de V. O. *l. quemadmodum*, *de jur. dot.* servus non habet personam, in qua dominium consistat; *l. debitor*, §. *ult. ff. de legat.* 2. Quicquid servus adquirit, domino adquirit, præterquam ex causa hereditatis. Si servus heres institutus sit, non potest adire hereditatem & eam adquirere domino, sine jussu domini, ita ut jussus præcedat, nec sufficiat ratihabitio, ex *hoc* §. *l. si quis mihi*, §. *jussum*, *ff. de adquir. heredit.* Singulare est in fisco, quod si servus fisci heres institutus sit, jussu Procuratoris Cæsaris adeundo hereditatem eam adquirit Cæsari volenti, id est ratum habenti; *d. l. si quis mihi*, §. † *si fisci*, *l. aufertur*, §. *pen. ff. de jur. fisc.* Servus non potest adire hereditatem, & eam adquirere domino injussu domini, ne dominus insciens & invitus per servum implicetur oneribus hereditariis: aliud in legato, quia legatum est sine onere; *l. si hereditatem*, *ff. mandat.*

Non modo proprietas, sed etiam possessio per servum domino adquiritur; cujuscumque enim rei possessionem servus adeptus fuerit, id dominus possidere intelligitur, unde per servum dominus usucapere, vel longo tempore adquirere potest, ex *hoc* §. *l. adquiruntur*, §. *non solum*, *ff. de adquir. rer. domin. l. quod servus*, *de adquir. poss.* Possessio per servum adquiritur domino, quia quamvis possessio sit facti, & servus sibi adquirere possit ea quæ sunt meri facti; *d. l. quod servus*, *& l. qui heredi*, *ff. de condit. & demonstrat.* possessio non est meri facti, ac plurimum de jure mutuatur; *l. possessio*, 49. *ff. de adquir. poss.* Ex possessione enim dominium adquiritur, ex causa peculii domino etiam ignoranti per servum possessio, & per eam usucapio adquiritur; *l.* † 1. §. *item*, *& l.* 3. §. *ceterum*, *ff. eod. l. nunquam*, §. *si servus*, *de usucap.* Voluntate domini possidere intelligitur servus, qui peculium habet permittente domino, per liberam personam puta per procuratorem ignoranti possessio adquiritur, sed usucapio non procedit nisi scienti & volenti; *l. possessio*, 49. §. *ult. ff. de adquir. poss.*

§. *de iis.*

QUidquid servus fructuarius, id est cujus ususfructus alterius est, adquirit ex re fructuarii, vel ex operis suis, adquirit fructuario, quia servi operæ sunt in fructu; *l.* 3. *&* 4. *ff. de oper. serv.* Extra hos casus, quod servus fructuarius adquirit, id adquirit domino non fructuario: puta si servus heres institutus sit, aut quid ei legatum, aut donatum, hereditas, aut legatum fructuario non adquiritur, sed domino, ex *hoc* §. *l. aditio*, §. *præterea*, *ff. de adquir. heredit. l. fructuario*, *de adquir. rer. domin.* ubi ratio redditur, quod in operis servi hereditas non sit. Quod si servus fructuarius ex re fructuarii, vel ex operis ipsius, proprietario nominatim stipuletur, ipsi proprietario adquirit, sed fructuario datur condictio adversus proprietarium; *l. pen. ff. de stipulat. serv.* Ulpian. ex Labeone distinguit, cujus gratia & contemplatione hereditas data, vel legatum relictum sit, utrum proprietarii, an fructuarii, ut si fructuarii, ipsi adquiratur; *l. si servi*, *cum seq. ff. de usufr.* Idem in bonæ fidei possessore quod in fructuario, quod liber homo, vel servus alienus, qui bona fide servit, adquirit ex operis suis, vel ex re bonæ fidei possessoris, illi adquirit: quod si heres institutus, vel legatum ei relictum sit, hereditatem legatumve non adquirit bonæ fidei possessori, quia neque ex re bonæ fidei possessoris, neque ex operis suis id sit, nulla est opera servi in aditione hereditatis; *l. adquiruntur*, §. *pen. l. liber homo*, *l. qui bona*, *ff. de adquir. rer. domin.* Excipitur nisi contemplatione bonæ fidei possessoris heres institutus sit, vel legatum ei relictum, hoc casu adeundo hereditatem adquirit bonæ fidei possessori,

Source : BIU Cujas

sori, quia ex re bonæ fidei possessoris, non ex operis suis adquirere intelligitur; *d. l. aditio*, §. *ult.* Quod servus fructuarius, vel liber homo, aut servus alienus, qui bona fide servit, adquirit ex operis suis, vel ex re fructuarii, aut bonæ fidei possessoris, adquirit fructuario, vel bonæ fidei possessori, sed bonæ fidei possessori, non ante quam ubi usuceperit servum, quia usucapione fit dominus, ex omnibus causis per eum adquiritur. Fructuarius autem usucapere servum non potest, primum quia non possidet, sed est in possessione; *l. 6.* §. *is qui*, *ff. de precar.* hoc est non possidet civiliter, sed naturaliter; *l. naturaliter*, *ff. de adquir. possess.* Naturaliter possidere dicitur qui sciens in alienæ rei possessione est; *l.* *) 10. *ff. eod.* tum quia malam fidem habet, cum sciat rem esse alienam, ex *hoc* §. *& d. l. adquiruntur*, §. *ult.* Non solum dominium, sed etiam possessio per servum fructuarium, vel servum alienum qui bona fide possidetur, vel liberum hominem qui bona fide servit, fructuario, vel bonæ fidei possessori adquiritur, nempe si adquisitio fiat ex re fructuarii, vel bonæ fidei possessoris, vel ex operis servi, vel liberi hominis qui bona fide servit, ex *hoc* §. *& l. possessio*, *ff. de adquir. possess.*

§. *ex his.*

PEr liberum hominem, qui neque nostro juri subjectus est, neque bona fide possidetur, vel per alienum servum, in quo neque usumfructum habemus, neque justam possessionem, nihil adquiri potest. Et hoc est quod dicitur, per extraneam personam nihil adquiri posse, ex *hoc* §. *& l.* 1. *C. h. tit. l.* 1. *l. per procuratorem*, *C. de adquir. possess.* Ratio est quia nemo alteri stipulari potest, præterquam filiusf. patri, servus domino; *l. quo tutela*, §. *ult. de R. J. l. stipulatio ista*, §. *alteri*, *de V. O.* Hujus regulæ exceptio est, quod per liberam personam, veluti per procuratorem, possessio adquiri potest, ex *constitutione D. Severi*, & per possessionem dominium si res tradita sit a domino, vel usucapio, id est usucapiendi causa, seu occasio, si res tradita sit a non domino, ex *hoc* §. *d. l.* 1. *d. l. per procuratorem*, *l. si procurator*, *ff. de adq. rer. domin.* Præterea per procuratorem nostro nomine indebitum solventem condictio indebiti nobis adquiritur; *l. qui heredis*, *& seq. ff. de condict. indebit.* & similiter certi condictio de credita pecunia nobis adquiritur per alium, qui nostro nomine pecuniam credidit; *l.* 9. §. † *si nummos*, *l. singularia*, *ff. de reb. credit.* nec non actio hypothecaria, vel jus pignoris, si mutuo accessit hypotheca vel pignus; *l.* 2. *C. h. tit.*

§. *ult.*

HActenus Justinianus exposuit modos civiles adquirendi res singulas, puta usucapione, vel donatione, jure antiquo enim res universæ usucapi non possunt, sed singulæ dumtaxat, de quo jurisprudentes ridet Seneca de benef. libr. 6. cap. 5. *Jurisconsultorum*, inquit, *istæ acutæ ineptiæ sunt, qui hereditatem negant usucapi posse, sed ea quæ in hereditate sunt.* Ita gregis universi nulla est usucapio, sed singulorum capitum, sicut possessio, ita & usucapio; *l. rerum*, §. *ult. ff. de usucap.* Et eodem jure res universæ donari non possunt, sed singulæ dumtaxat; *l. licet*, *C. de pact. l. æris alieni*, *C. de donat.* Lex *Cincia* donationibus modum imposuit, ut valerent tantum usque ad ducentos aureos; *l. sancimus*, *C. eod.* quo pertinet *l. cum de modo*, *ff. eod.* ubi quæritur de modo donationis. Deinceps exponuntur universales modi civiles adquirendi. Hi sunt, hereditas, bonorum possessio, adrogatio, & addictio bonorum, hi modi civiles dicuntur, quatenus jus civile latius accipitur & complectitur jus prætorium, nam bonorum possessio est juris prætorii. Hereditas

Source : BIU Cujas

est successio in universum jus defuncti ; *l. nihil est aliud , ff. de V. S. l. hereditas nihil, de R. J.* stulte M. Tull. *in topic.* hereditatem definit, pecuniam esse, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit : ac ejusdem erroris consentaneus Seneca *de benef. libr. 6. cap.* 5. nihil aliud hereditatem esse credidit, quam ea quæ in hereditate sunt . Cum enim hereditas in jure consistat , maximum discrimen est inter hereditatem , & res hereditarias, hereditas est jus incorporale , res hereditariæ sunt corpora , quibus constat hereditas.

Porro hereditas vel defertur ex testamento , de quo in *hoc libro* dicetur , vel ab intestato , de quo in *libro sequenti* . Hereditas alia defertur ex testamento , alia ab intestato ; *l.* 1. *ff. de petit. hered. l. 6. quæ in fraud. credit.* hereditas pactis & contractibus dari non potest ; *l. licet , l. pactum quod dotali , C. de pact. l. hereditas , C. de pact. convent.* quia pacta de succedendo tollunt libertatem testandi ; *l.* † *si quis , in pr. ff. de legat.* 1. & inducunt votum captandæ mortis ; *l. ult. C. de pact.* Moribus Galliæ etiam pactis hereditas dari potest, dummodo donatio fiat in contractu matrimonii .

† Sub cit. tit. extant *ll. si quis* 4. 23. 32. 72. 79. 112. 121. & hoc non dicunt. Vid. *l. si quis* 22. *de legat.* 3.

De testamentis .

C A P. X.

In princ.

HEreditas testamentaria, vel legitima, est modus civilis adquirendi universalis rerum dominii; totum jus testamentorum pendet ex jure civili, soli cives Romani heredes instituti possunt ; *l. Divus , l. sed si accepto , ff. de jur. fisci*, & cum peregrinis nulla est testamenti factio ; *l.* 1. *C. de hered. instit.* Unde & Varro *de re rustic. libr.* 2. *cap.* 10. inter modos , quibus legitimum dominium perficitur , refert justæ hereditatis aditionem.

Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri vult ; *l.* 1. *ff. qui testam. fac.* Ait justa sententia , id est solemnis & secundum regulas juris civilis ordinata . Quintil. *declamat.* 308. *Quid est enim testamentum ? voluntas defuncti consignata jure legibusque civitatis &c.* Cum enim quæritur, an testamentum valeat, hoc maxime spectatur, an secundum regulas juris conditum sit ; *l.* 4. *ff. eod.* & testamentum vim sententiæ & legis obtinet ; *l. verbis legis , ff. de V. S.* cuique liberum est supremæ voluntatis arbitrium ; *l.* 1. *C. de SS. eccles.* Adeoque testamenta , quæ fiunt coram Principe , eadem gaudent libertate , voluntatem enim hominum Princeps audit , non jubet ; *l. omnium , C. de testament.* & testamenta privatorum pari religione ac leges publicæ observantur ; M. Tull. Philipp. 2. *in publicis actis nihil est lege gravius , in privatis firmissimum est testamentum .* Et ut intelligamus testatorem in ea re privati modum excedere , & legislatoris officio fungi , testator ipse potest multam indicere heredi , si ejus voluntati non pareat ; *l. in testamento , ff. de condit. & demonstrat. l. si quis sepulcrum , §. funus , de religios. & sumpt. funer.* M. Tull. Verrin. 4. *in cujus testamento quodam loco , si commissum quid esset , multa erat Veneri* . Immo jure noviissimo si heres in exsequenda voluntate defuncti cessaverit intra annum ab adita hereditate , hereditas ei aufertur deducta Falcidia , & portio vacans adcrescit coheredi , & post eum legitimo heredi ; *nov.* 1. *de hered. & falcid.* Quod non servari in Gallia testem habemus Rebuffum . Ait etiam voluntatis nostræ justa sententia, id est solemnior dispositio , ut testamentum distinguatur a codicillis, qui continent minus solemnem voluntatem ; *l. non codicillum , C. de testament.*

Source : BIU Cujas

ment. l. ſi idem, C. *de codicill.* Unde injuſtum dicitur teſtamentum, in quo ſolemnia juris omiſſa ſunt; *l.* 1. *ff. de injuſt. rupt.* Ait etiam voluntatis ſententia, unde teſtamento nomen, quod ſit teſtatio mentis, ut ait Juſtinianus *hic*, & ante eum Gell. ex Servio Sulpitio *libr.* 6. *cap.* 12. Ait de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, quia teſtamentum morte confirmatur, & mutari poteſt usque ad mortem, ambulatoria eſt voluntas hominis usque ad mortem. Nemo enim eam ſibi poteſt legem dicere, ne a priore voluntate recedere liceat; *l. ſi quis, in principio, de legat.* 3. & a jure prorſus alienum quod narratur de quibusdam invitis juſſis, ut natam Chilperici Regis, Gothorum Regi nuptam in Hiſpaniam deducerent, teſtamento condito legem dixiſſe, ut ſtatim atque auditum eſſet ſe Hiſpaniæ fines attigiſſe illud aperiretur, quaſi certo nuntio mortis, de quo Gregor. Tur. *libr.* 7. *cap.* 5.

§. I.

JUre civili tria fuere teſtamentorum genera. Unum quod fiebat calatis comitiis in concione populi. Alterum in procinctu, cum e caſtris milites cincti in prœlium, in aciem deſcenderent. Tertium per æs & libram, id eſt per imaginariam familiæ venditionem, adhibitis libripende, & familiæ emptore, ex *hoc* §. de quo fuſius Gell. *libr.* 15. *cap.* 26. & Theophil. *hoc loco*.

Teſtamentum in procinctu fiebat, ſine ſolemnibus, ſine tabulis, id eſt ſine ſolemnibus mancipationis, coram quatuor, aut quinque teſtibus; Plut. *in Coriolan.* Unde hujusmodi teſtamentum ſine libra & tabulis confici ait M. Tull. 1. de orat. *Ac ſe tamquam in procinctu teſtamentum faceret ſine libra, atque tabulis, populum Romanum inſtituere dixiſſet.* Et hoc genus teſtamenti ſua ætate exoleviſſe ſcribit idem Tull. 2. de natur. Deor. *Bella, quibus reip. ſalus continetur, nullis auſpiciis adminiſtrantur, nulla peremnia ſervantur, nulla ex acuminibus, nulli viri vocantur, ex quo in procinctu teſtamenta perierunt.*

Teſtamentum per æs & libram fiebat per imaginariam venditionem familiæ, adhibitis quinque teſtibus, & libripende & familiæ emptore, quæ omnia ſolemnia deſiderat Quintil. declamat. 308. *Non dixerim ego teſtamentum, cui numerus ſignatorum deeſt, non dixerim teſtamentum, cui libripens, & emptor familiæ, & cetera juri neceſſaria.* Familiæ emptor erat imaginarius ſive fiduciarius emptor hereditatis, qui mox heredi hereditatem remancipabat, ſive revendebat, quod minus aſſecutus eſt Plut. *de fera numin. vindict.* cum ait, Romanos, ubi teſtamenta conſcribunt, alios heredes relinquere, aliis vero patrimonium ipſum vendere, quod ratione carere videatur. Hoc genus teſtamenti, nondum ex uſu ſublatum temporibus Auguſti indicat Tranquill. *in Neron. cap.* 3. cum ait, Domitium emptorem familiæ pecuniæque adhibitum in teſtamento Auguſti. Et hoc genus teſtamenti, licet diutius permanſiſſet, ſua ætate in uſu eſſe deſiiſſe ait Juſtinianus *in fin. h.* §.

§. *ſed prædicta.*

PRædicta teſtamentorum genera ſunt de jure civili, neque teſtium ſigna, id eſt obſignationes, requirunt. Jure prætorio alia condendi teſtamenti forma introducta eſt, hoc jure teſtamenta fiunt ſine ſolemnibus mancipationis, & ſeptem teſtium ſigna requirunt, ex *hoc* §. Nimirum teſtamentis apponebantur ſigna teſtium, id eſt ſigilla, annulo ſculpturam vel imaginem habente; *l. ad teſtium*, §. *ſi quis & ſeq. ff. qui teſt. fac.* Jul. Cæſar de bell. Gallic. libr. 1. *Vulgo totis caſtris teſtamenta obſignabantur.* Edicto Neronis, ex quo SC. factum, in teſtamentis ſignatores requirebantur, apud Tranquill. *in Nerone cap.* 17. Paul. 4. *ſent.* 6. Hoc jure irritum eſt teſtamentum, ſi teſtes non ſignave-

Source : BIU Cujas

rint testamentum, suo vel alieno annulo nihil refert; *l. si unus, C. h. tit.* In testamentis non tantum signa testium, sed & subscriptiones requiruntur; *d. l. ad testium*, §. *si quis*.

§. *sed cum paulatim.*

JUre constitutionum ex moribus & usu hominum deducto, conciliato jure civili cum prætorio, inventa est alia forma testamenti faciendi, composita ex solemnibus utriusque juris civilis & prætorii, & hujusmodi testamentum vocatur in scriptis, quia requirit scripturam, vel solemne, quia requirit multas solemnitates, vel arcanum seu mysticum, quia ita fieri potest, ut testes lateat voluntas testatoris.

In conficiendo solemni testamento multa requiruntur solemnia. Primo, numerus septem testium, quem jus civile quodammodo requirebat, ut ait Justinian. *in hoc* §. Quia præter quinque testes aderat & libripens & familiæ emptor, qui loco testium erant, quatenus testamenti res non ad ipsos sed ad heredes & legatarios spectabat. Amoto libripende & familiæ emptore, quinque testibus duos adjecit prætor, qui septem numerum complent, qui est solemnis numerus testium in testamentis; *l. heredes, ff. qui testam. fac.* In testamento requiruntur septem testes cives Romani puberes; *l. si unus, l. hac consultissima, C. h. tit.* exceptis certis casibus, ut in testamento rure facto sufficit numerus quinque testium, quod ibi desit copia testium; *l. ult. C. eod.* In testamento facto tempore pestis metu contagionis, non remittitur numerus septem testium, sed hoc indulgetur, ut seorsim a testatore subscribant, & obsignent testamentum; *l. Gajus, C. eod.* Ex usu forensi sæviente peste sufficit numerus quinque testium. Testamentum olographum, id est propria manu testatoris perscriptum, non valet sine subscriptione, & obsignatione septem testium; *l. cum antiquitas*, §. *cum autem, C. h. tit.* nisi inter liberos; *auth. quod sine subscriptione, C. eod.* nec obtinuit *nov. Valentiniani 2. de testamentis*, volentis olographum testamentum valere sine testibus extra casum liberorum.

Testamentum imperfectum, id est minus solemne, & defectum numero septem testium, non valet nisi inter liberos, quod si admixta sit extranea persona, non valet quod ad illam, sed pars non capientis adcrescit liberis; *l. hac consultissima*, §. *ex imperfecto, C. h. tit. l.* † *filium quem, C. famil. erciſc.* Imperfectum testamentum inter liberos valet, si probetur saltem duobus testibus; *gloss. & DD. in d. auth. quod sine*. Ubi enim numerus testium non adjicitur, duo sufficiunt; *l. ubi numerus, ff. de testib.* Idem est in testamento ad pias causas; cap. *relatum, h. tit.* quia pia causa gaudet favore liberorum. Quinimmo moribus Tolosanis in testamentis sufficiunt duo aut tres testes, nam in solemnibus testamentorum servantur leges moresque locorum; *l. si non speciali, C. h. tit. l. 2. C. quemadm. testam. aper.* ut & in contractibus; *cap. cum dilectus, de fid. instrument.* In testamento militis quoque sufficiunt duo testes; *l. Divus Trajanus, l. Lucius, ff. de testam. milit.* In testamento cæci, quod non aliter quam per nuncupationem fieri potest, requiruntur septem testes, & tabularius seu tabellio, vel octavus testis, qui supplet vicem tabularii; *l. hac consultissima, C. qui testam. fac.* Ut in solemni testamento, si testator sit imperitus litterarum, vel subscribere nequeat, octavus testis adhibendus est, qui pro eo subscribat; *l. hac consultissima, in princ. C. h. tit.* Secundo, in testamento solemni requiritur præsentia testium, ex *hoc* §. id est ut testes eodem tempore & loco sint in conspectu testatoris, alioqui testamentum non valet; *d. l. si non speciali, d. l. si unus*. Et ut testes sint rogati; *d. l. hac consultissima*. Tertio, ut testamentum fiat uno contextu, *ex hoc ipso* §. id est nullo actu alieno interposito; *l. heredes palam*, §. *ult. ff. qui testam. fac.*

† V. si facit. Et junge *l. ult. C. eod.*

Cujac. *consult.* 25.

fac. & d. l. hac consultissima, ut nullus actus superfluus, & non necessarius intermisceatur; *l. cum antiquitas*, *C. h. tit.* Quarto, subscriptio testatoris, *ex hoc* §. Nimirum testator, qui conditurus est testamentum solemne, id consignatum, vel ligatum, vel clausum, involutumque debet offerre septem testibus, & coram his palam profiteri, id suum esse testamentum, & in reliqua parte testamenti, id est in ima cera, subscribere coram testibus; *d. l. hac consultissima*. Excipitur nisi testamentum sit olographum, id est manu testatoris perscriptum, in hoc enim non requiritur subscriptio testatoris, vel alterius pro eo, sed sufficit obsignatio & subscriptio testium; *d. l. cum antiquitas*, vel nisi testator sit imperitus litterarum, vel subscribere non valeat, quo casu octavus testis adhibetur, qui subscribat pro eo; *d. l. hac consultissima*. Quinto, ut testes subscribant & signent testamentum, *ex hoc* §. *& d. l. hac consultissima*, propria manu testes, ita subscribere oportet: *Ego L. Titius C. Seii testamentum obsignavi; l. pen. ff. qui testam. fac.* Singuli testes debent subscribere pro se, & unus non potest subscribere pro alio, nisi in testamento ruri facto, ubi non est copia litteratorum; *l. ult. C. h. tit.* Igitur in testamento solemni requiruntur subscriptiones, & signacula testium, & subscriptiones testium constitutionibus introductæ sunt, signacula jure prætorio, ex *hoc* §. diutius durasse usum obsignationis testium etiam in Gallia testis Gregor. Turonens. de miracul. libr. 1. cap. 31. *Testamentum suum petit Mummolus scribi, munitumque subscriptionibus, & sigillis, &c.* Sed hodie apud nos subscriptiones testium sufficiunt, nec requiruntur signacula testium, quia non est communis usus sigillorum.

§. *sed † his omnibus*.

CONstitut. Justiniani primum in testamento solemni desideratum, ut nomen heredis scribatur manu testatoris, vel testium in subscriptionibus; *l. jubemus*, *C. h. tit.* Postea etiam illitterato permissum per alium scribere nomina heredum, nec ea prodere testibus; *nov. Justin.* 119. *cap.* 9. Hoc jure licebat etiam illitterato condere testamentum solemne, cum nomen heredis per alium posset scribere, ignorantibus testibus: sed hodie aliud judicatur, ne testamentum pendeat ex aliena fide & arbitrio; *l. illa institutio*, *ff. de hered. instit.* A Justiniano requisita sunt & alia in testamento solemni, hoc loco omissa, nimirum institutio heredis; *l. non codicillum*, *l. ambiguitates*, *C. h. tit.* Item ut testes sint specialiter rogati; *l. hac consultissima*, *C. h. tit. l. heredes palam*, §. *in testamentis*, *ff. qui testam. fac.* ut dies & consul adscribatur, alioquin testamentum sine die & consule non valet; *l. 2. §. diem*, *ff. testam. quemadm. aper. l. 3. C. eod.* Etiam in testamento parentis inter liberos dies & consul desideratur; *auth. quod sine*, *C. h. tit.* Vernaculi usus hujus juris locuples testis M. Tull. libr. 13. epist. 29. *Æger Corcyram venit, ibi est mortuus testamento, quod Romæ Paulo & Marcello consulibus fecerat*. Nec modo in testamentis, sed etiam in aliis instrumentis publicis dies & annus præponitur cum nomine Principis; *l. 1. C. de apoch. public. nov. Justin.* 47. *capitul. libr. 6. cap.* 146. *cap. inter dilectos*, *de fid. instrum.* Apud Judæos instrumentis tam privatis, quam publicis annum Symeonis Pontificis præponi solitum scribit Joseph *libr.* 13. *cap.* 11. Conciliis Catholicorum semper adhibitum annum & consulem, secus omissum in hæreticorum conciliabulis, ne falsi convinci possent, auctorem habemus Augustin. *in breviculi collat.*

§. *possunt autem*.

IN testamento solemni requiruntur subscriptiones & signacula testium, testes omnes uno annulo suo vel alieno testamentum signare possunt, ex *hoc* §. *l.*

Source : BIU Cujas

ad testium, §. *signum*, *ff. qui testam.* Veteres habebant annulos, quibus litteras vel alia instrumenta publica aut privata obsignabant; Trebell. Pollio in Claudio: *Uxori & filiæ annulum sigillaricium quasi privatus instituit*. Et Augustin. epist. 15. *Hanc epistolam signatam misi annulo, qui exprimit faciem hominis attendentis in latus*. Hisque annulis maxime utebantur, obsignandis testamentis; Senec. epist. 8. *Cum ad vadimonium advocatus descenderem, aut tabulis testamenti annulum inprimerem*.

§. *testes autem*.

IN testamentis idonei testes sunt ii, cum quibus testamenti factio est, ex *hoc* §. & Ulpian. *libr. regular. tit. de testament.* id est qui heredes instituti, vel ex testamento capere possunt, licet testamentum facere non valeant. Duplex enim est testamenti factio, activa & passiva. Activa est eorum qui testamentum facere possunt. Passiva eorum qui ex testamento capere possunt; §. *in extraneis*, infr. *de hered. qualit. & different.* Testamenti factionem habere dicuntur, qui ex testamento capere possunt, licet testamentum facere non possint; *l. filiusf. in princ. ff. qui testam.* Tamen proprie illi habent testamenti factionem, qui testamentum facere possunt, cum his autem est testamenti factio qui ex testamento capere possunt: nonnulli tamen in testamentis testes esse non possunt, licet ex testamento capere possint, ut mulier in testamento testis esse non potest, licet in judicio testis esse possit, *ex hoc* §. *& l. qui testamento*, §. *mulier*, *ff. qui testam. l. ex eo*, *de testib.* Etiam in contractibus mulier testis esse non potest; *nov. Leon.* 48. An hermaphroditus in testamento testis esse possit, qualitas sexus incalescentis, id est prævalentis ostendit; *l. repetundarum*, §. 1. *ff. de testib.* Item impuberes & servi in testamentis testes adhiberi non possunt, ex *hoc* §. in testamentis requiruntur testes puberes cives Romani; *l. hac consultissima*, C. *h. tit.* Impuberes sc. quia nondum plenum animi judicium habent, servi quia sunt incapaces eorum quæ sunt juris civilis, & pro mortuis habentur; *l. qui testamento*, §. *servus*, *ff. qui testam.* Qua ratione & monachi professi prohibentur testes esse in testamentis, quia mortua est vox eorum; *can. nullus monachus*, 2. *qu.* 7. *synod.* 6. *in Trull. can.* 41. Hæretici tamen non vetantur testes esse in testamentis, propter utilitatem publicam, ne probationum copia coerceatur; *l. quoniam*, *in fin. C. de hæretic.* Furiosus in testamento testis adhiberi non potest, cum compos mentis non sit, nisi tempore dilucidi intervalli, si habeat intervalla furoris, ex *hoc* §. *& l. qui testamento*, §. *ne furiosus*, *ff. qui testament.* Idem juris est in mutis, & surdis, ex *hoc* §. in mutis, quia testari non possunt quid agatur, in surdis quia non intelligunt quid agatur, quamvis in testem admittatur is qui linguam testatoris non intelligit, cum sufficiat ut sensu percipiat, cuinam rei adhibitus sit; *d. l. qui testamento*, §. *pen.* Is cui bonis interdictum est, id est prodigus, cui a prætore bonorum administratione interdictum est, nec testari, nec in alieno testamento testis esse potest, *ex hoc* §. *& l. is cui lege*, *ff. qui testam.* Licet ex alieno testamento capere possit; *l.* 5. *ff. de adquir. hered.* Denique ii, qui legibus sunt improbi & intestabiles, in testamento testes adhiberi non possunt, cum nec testamentum faciant, quales sunt damnati ob carmen famosum; *ex hoc* §. *d. l. is cui lege*, §. 1. *l. ob carmen*, *ff. de testib.* quia actio injuriarum est famosa. Hæc duo conjungit lex 12. tab. *improbus intestabilisque esto*, apud Gell. *libr.* 6. *cap.* 7. *& libr.* 15. *cap.* 13. Intestabilis est, cujus testimonium lege non recipitur; *l. cum lege*, *ff. qui testam.*

§. *sed*

Source : BIU Cujas

§. *ſed cum aliquis.*

TEſtium conditio inſpicitur tempore teſtamenti, non mortis ; *l. ad teſtium*, §. 1. *ff. qui teſtam.* Ideo cum quæritur, an quis eſſet idoneus teſtis in teſtamento faciendo, ſpectatur tempus teſtamenti, nec nocet caſus ſuperveniens, validitas actuum non debet pendere ex caſu incerto ; *l. patre furioſo*, *ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* puta ſi teſtis quo tempore teſtamentum obſignavit pro libero habebatur, poſtea ſervus apparuerit, teſtamentum non infirmatur, ex *hoc* §. *& l.* 1. *C. h. tit.* Sic & geſta a ſervo, qui furtive prætoris vel judicis officio functus eſt, rata ſunt propter utilitatem publicam ; *l. Barbarius*, *ff. de offic. prætor. l.* 2. *C. de ſentent. & interlocut.*

§. *pater.*

PAter & filius, qui in poteſtate ejus eſt, aut duo fratres, qui in ejusdem patris poteſtate ſunt, in eodem teſtamento vel negotio teſtes adhiberi poſſunt, quoniam nihil nocet ex una domo plures teſtes alieno negotio adhiberi, ex *hoc* §. *l. pater & filius*, *ff. de teſtib. l. ad teſtium*, *qui teſtam. fac.* Fratres, qui in ejusdem patris poteſtate ſunt, ex eadem domo teſtes acciri dicuntur, quia conjuncti ſunt per patriam poteſtatem, quæ eſt vinculum familiæ, ut eleganter dicitur in *l.* † *eum bonis*, *de adquir. hered.* verumtamen licet pater & filius cenſeantur una & eadem perſona ob vinculum patriæ poteſtatis ; *l. cum ſcimus*, §. *ult. C. de agricol. & cenſit.* tamen in alieno teſtamento teſtes adhiberi nihil vetat, quia in alieno negotio, ubi non ſpectatur patria poteſtas, pro diverſis perſonis numerantur.

§. *in teſtibus.*

FIlius in teſtamento patris idoneus teſtis non eſt, vel pater in teſtamento filii, ex *hoc* §. *l. qui teſtamento*, *ff. qui teſtam. l. teſtis idoneus*, *ff. de teſtib.* puta ſi filiusf. teſtetur de caſtrenſi peculio poſt miſſionem intra annum ; *l. teſtamenta*, *ff. de teſtam. milit.* Filiif. milites de peculio caſtrenſi jure militari teſtari poſſunt, dum militant, vel poſt miſſionem intra annum : quod ſi filiusf. teſtetur de caſtrenſi peculio ante miſſionem, pater in ejus teſtamento teſtis adhiberi poteſt ; *d. l. qui teſtamento*, §. *per contrarium*. Item frater in teſtamento fratris teſtis eſſe non poteſt, quia reprobatur in ea re domeſticum teſtimonium ; *d.* §. *per contrarium*, *& ex hoc* §. Idonei non ſunt teſtes de domo ; *l. teſtes*, *ff. de teſtib.*

§. *ſed neque.*

IN teſtamento per æs & libram, familiæ emptor, vel quisquam, qui in ejus poteſtate eſſet, teſtis eſſe non poterat, quoniam familiæ mancipatio, id eſt imaginaria hereditatis venditio, quam in teſtamento faciendo celebrari moris erat, inter teſtatorem & familiæ emptorem fiebat ; Ulpian. *libr. regular. tit. de teſtament.* Totum negotium agebatur cum familiæ emptore, heres erat quaſi extraneus. Ideo heres ſcriptus, vel ei conjuncti, puta pater vel filius vel fratres, non prohibebantur teſtes eſſe in eodem teſtamento, ſed ne hoc jure abuterentur ſuadebatur, teſte Juſtiniano *hoc loco*. M. Tull. pro Milon. *Una fui, teſtamentum Cyri ſimul obſignavi cum Clodio, teſtamentum autem palam fecerat, & illum heredem, & me ſcripſerat*. Hodie neque heres ſcriptus, neque ii, qui ei conjuncti ſunt, in eodem teſtamento teſtes eſſe poſſunt, ex *hoc* §. *& l. qui teſtamento*, *ff. qui teſtam. fac.* quia tota res agitur cum herede ſcri-

Source : BIU Cujas

pto, nec quisquam in re sua idoneus testis intelligitur, *l. nullus, ff. de testib.*

§. legatariis.

LEgatarii, & fideicommissarii, & qui eis conjuncti sunt, in testamento testes esse possunt, ex *hoc §. l. qui testamento, in princ. ff. qui testam.* Neque obstat, quod in re propria testis audiri non debet; *l. omnibus, C. de testib.* Ratio *h. §.* hæc est, quia legatarii non sunt juris successores, heredes sunt juris universi, legatarii rerum singularum; *l. quædam sunt, §. 1. ff. de edend.* Alia ratio est, quia testamentum confirmatur testibus; *l. si quis ita, ff. de reb. dub.* atque ita legatum relictum testibus officii remunerandi causa, utile esse consentaneum est. Scriptor, idemque obsignator testamenti, non prohibetur esse testis in testamento; *l. Domitius, ff. qui testam.* tamen non potest sibi quicquam adscribere in eodem testamento; *l. 1. & tot. tit. C. de his qui sibi adscrib. in testam. l. Divus Claudius,* † *ff. ad l. Cornel. de falsi.* Tranquill. in Neron. cap. 17. *Cautum, ne quis alieni testamenti scriptor, legatum sibi adscriberet.* Quod constitutionibus regiis comprobatum est. Dictantibus testamenta, id est jurisperitis, qui dictandis testamentis adhibebantur. (Vix enim fiebat testamentum sine jurisperito; *l. Lucius* 88. *§. ult. ff. de legat. 2.* Tranquill. in Neron. *cap.* 32. Arrian. in Epictet. *libr.* 2. *cap.* 13. Ammian. *libr.* 28.) & testibus testamento adhibitis, quod vult testator legare potest, ex *hoc §. & l. dictantibus, C. h. tit.* Quod genus legati velut præmium fidei testium non improbat Symmach. epist. 55. libr. 10. *Cum testamenti jure confecti fidem recitatio publicaret, calumnia inanis objecta est, quod signatores nescio quid ex eadem voluntate cepissent, adduntur etiam scripta divalia, quibus adstipulatio cujusdam remota est, qui suam juvisse causam testimonio diceretur, quasi vero simile esset exemplum, ut levis honor, quo subscriptores ob amicitiam defunctus asperserat, legitimum posset abolere judicium, nam si his legibus viveremus inimicis signatoribus tutius uteremur, quorum offensa nihil de testatoris humanitate exigeret.* Non probat Plin. epist. 20. libr. 2. ne via pateat *improbissimo generi falsi.*

C. Blesens. *art. 63.* Aurel. *art.* 27.

§. nihil autem.

TEstamentum in quavis materia scribi potest, puta tabulis ligneis vel in charta membranave, ex *hoc §. l. 1. ff. de bonor. poss. sec. tabul.* Plerumque testamenta conscribebantur in tabulis ligneis, unde bonorum possessio contra tabulas, quæ datur liberis emancipatis testamento præteritis, dicitur bonorum possessio contra lignum; *l. quod vulgo, ff. de bonor. possess. contr. tab.*

§. sed & unum.

UNum & idem testamentum pluribus exemplis, pluribus codicibus confici potest, secundum receptam observationem omnibus factis, ex *hoc §. l. unum, ff. qui testam.* ita ut singulis tabulis adhibitæ sint solemnitates juris, quæ in testamentis desiderantur, puta subscriptiones & signa testium; *l. si binæ, ff. de injust. rupt.* & testamentum, quamvis duobus exemplis scriptum, unum est testamentum, non duo, & ideo si binæ testamenti tabulæ proferantur, & in alteris centum, in aliis quinquaginta Titio legata sint, unum est legatum, & minor summa debetur; *l. Sempronius, ff.* † *de legat. 2.* Testamenta vero duobus exemplis conscribi moris erat, propter varios casus; *d. l. Sempronius*, & ita testamenta Ptolemei Regis, Augusti, & Tiberii duobus codicibus conscripta testantur Jul. Cæsar 3. *de bell. civil.* Tranquill. *in August. cap.* 101. *& in Tiber. cap. 76.*

§. ult.

Source : BIU Cujas

§. *ult.*

ALiud est testamentum solemne sive in scriptis, quod non fit sine scriptura, aliud sine scriptis, quod fit per nuncupationem heredis sine scriptura. Forma hujus testamenti est, quod testator sine scriptis palam nuncupat heredem coram septem testibus rogatis, ex *hoc* §. *l. heredes palam, in princ. & §. in testamentis, ff. qui testam. l. hac consultissima, §. per nuncupationem, l. in testamentis, C. h. tit.* Ex hoc testamento datur bonorum possessio secundum tabulas; *l. si ita scriptum, in fin. ff. de bonor. possess. sec. tabul. l. 2. C. eod.* Et hoc genus testamenti dicitur nuncupativum, quia testator palam & coram testibus propria voce nuncupat heredem; *d. l. heredes palam*, Tranquill. in vit. Horat. *Decessit herede Augusto palam nuncupato*. Id genus testamenti fit sine scriptis, plerumque tamen in scriptum redigebatur, non solemnitatis, sed memoriæ & probationis gratia, & ita modo observatum ex M. Tullio in Miloniana, tabulas testamenti cujusdam Cyri obsignatas ab ipso Tullio, licet ille palam testamentum fecisset: & non sine scriptura fuisse testamentum Domitii, quod ante octo & decem annos erat nuncupatum, indicat Plin. libr. 8. epist. † 18. *Quin etiam Domitius Afer, qui illos in nomen assumpsit, reliquit testamentum ante octo & decem annos nuncupatum*. Testamentum nuncupativum licet scriptum sit, non æstimatur ex scriptura, sed nuncupatione, scriptura ad probandam voluntatem defuncti tantum interponitur, ne morte testium, vel oblivione ejus memoria intercidat, ut & in obligationibus, quæ consensu contrahuntur; *l. 4. ff. de fid. instrum. l. 4. de pignorib. l. cum res, C. de probat.* Ideo in testamentis nuncupativis error scripturæ facile suppletur, quia plus nuncupatum minus scriptum creditur; *l. 1. §. si autem, ff. de hered. instit. l. errore, C. h. tit.* Hoc genus testamenti proditum est ex jure civili, ut ait Justin. *hoc loco*, & constitutionibus probatum, ut constitutione Justiniani, & ante constit. Constantini, qua permissum testari in scriptis vel sine scriptis ἀγράφως; Euseb. *de vit. Constantin. libr. 4. cap. 26.* Jure prætorio ignotum fuit hoc genus testamenti, jus enim prætorium in testamentis scripturam requirit; §. *sed prædicta*, supr. *h. tit.*

De militar. testamento.

CAP. XI.

In princ.

HIc titulus conceptus est de militari testamento, id est de testamento jure militari confecto, aliud enim est testamentum militis a testamento militari, nam milites jure communi testari possunt si velint; *l. 3. l. Titius, ff. h. tit.* & si vacaret, sæpius hoc modo testabantur; Jul. Cæsar de bell. Gallic. libr. 1. *Totis castris testamenta obsignabant*, & qui non militat, jure militari testari potest si sit in hostico, & illic decedat; *l. ult. ff. h. tit. l. unic. de bonor. possess. ex testam. milit.*

Pagani testantur jure communi, id est servatis solemnibus juris. Paganus est quisquis non militat; *l.* † 1. *ff. h. tit. l. filiusf. de liber. & posth.* Tertull. de pallio cap. 4. *Rupices in urbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus*. Milites testantur jure proprio sine ullis solemnibus. Hoc jure testamentum in procinctu fiebat sine libra, & tabulis, id est sine solemnibus; M.

† Potius trahi potest ex *l. 3. h. tit.*

Source : BIU Cujas

Tull. 1. de orator. *tamquam in procinctu testamentum faceret sine libra, atque tabulis*. Constitutionibus Principum in testamentis militum remittuntur solemnitates juris propter nimiam imperitiam eorum, ut ait Justin. *init. h. tit.* id est propter simplicitatem militarem; *l.* 1. *ff. h. tit. l.* 3. *C. eod.* quia milites decet magis arma scire quam jura; *l. scimus*, *C. de jur. deliber.* & militibus, cuncta manu & ferro agere assuetis, facile remittitur ignorantia rerum forensium; Tacit. in Agricol. *Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis jurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat*. Eadem sententia Quintil. libr. 11. instit. cap. 1. *simpliciora militares decent*. Constitutionibus Principum militum imperitiæ venia datur; *l.* † *impuberi*, *ff. de administr. tut.* Unde & militaribus viris, si quid incautius dixerint, ignoscendum ait Augustin. contr. Gaudent. libr. 1. cap. 3. *Si quid ergo iste noster tamquam laicus militaris dixit incautius, quis ei non ignoscat?* Et militum oratio simplex & inculta probatur Cedren. in Isaacio Comneno, δι' ἀφελῶν, καὶ στρατιωτικῶν ῥημάτων, *simplicibus & militaribus verbis*. Constitutione Justiniani milites quomodo possint, aut quomodo velint testari possunt in scriptis vel sine scriptis, videlicet dum in expeditione occupati sunt; *l. pen.* † *C. h. tit.* unde haustum est *initium h. tit.* Privilegium militum ex hac constitutione non habet locum, nisi in militibus in expeditione degentibus, Basilica ἐν στρατοπέδᾳ. Ante constitutionem Justiniani milites jure militari testari poterant, omni militiæ tempore, etiam extra expeditionem; *l. quod constitutum*, *ff. h. tit.* & quod tribuitur Constantino in *l. milites*, *C. h. tit.* milites in expeditione degentes quoquomodo velint, aut quoquomodo possint, testari posse, sapit manum Triboniani; hujus enim juris auctorem se profitetur Justinianus, ne milites jure militari testari possint, quam in expeditione, id est in acie, vel in itinere, vel in castris. Expeditio est belli decursus; Veget. libr. 3. cap. 3. *in omnibus prœliis expeditionis conditio talis est*. Et Cassiod. 1. var. 17. *Hanc merito expeditionem nominant majores, quia mens devota prœliis, non debet aliis cogitationibus occupari*. Milites vero citra expeditionem degentes in aliis locis, vel in suis ædibus, id est domi accepto commeatu, jure communi testari debent. Male Theophilus interpretatur, in suis sedetis, quæ sunt stativa; *l. milites*, *C. de episcopali audient.* constans enim est lectio, in suis ædibus, in aliis casibus spectantibus ad privilegia militum, ut in *l. ult. C. de restitut. milit. & l. ult. C. quib. non objic. long. tempor. præscript.* quibus longi temporis præscriptio, vel tempus petendæ in integrum restitutionis non currit quidem adversus milites tempore expeditionis, secus eo tempore quo fuere in aliis locis, vel in suis ædibus citra expeditionis necessitatem. Et certe valde durum esset in testamentis & aliis, milites non frui privilegio militum, etiam in sedetis seu stativis, quibus non solvitur expeditio & belli necessitas. Et ita hodie obtinuit militum testamenta jure militari valere, quæ facta essent, non modo in prœlio, vel castris, sed etiam in stativis, seu præsidiis, quia totum illud tempus expeditionis appellatione continetur.

§. 1.

EX rescripto D. Trajani privilegium militum, ut quoquomodo facta ab his testamenta rata sint, sic intelligi debet, modo constet de voluntate, saltem adhibitis duobus testibus, & hoc est quod dicitur in *l. Divus Trajanus*, *ff. h. tit.* unde delibatus est *hic* §. *convocatis ad hoc hominibus*; duos enim testes ad minus requirit pluralis elocutio, ubi enim numerus testium non adjicitur, duo sufficiunt; *l. ubi*, *ff. de testib.* Eadem est sententia Pauli in *l. Lucius*, *ff. h. tit.* Ait militibus quoquomodo velint & quoquomodo possint, testari licere, modo voluntas testantis legitimis probationibus ostendatur. Legitimæ

Source : BIU Cujas

mæ enim probationes dici non possunt, ubi non est numerus saltem duorum testium. Perperam Theophilus, unicum testem desiderat, quia unius testimonium nullum est. Testamentum militis fieri debet data opera, & convocatis ad hoc testibus, id est testamenti faciendi consilio: ceterum si quis miles simpliciter dixerit, se aliquem heredem facere, non oportet hoc pro testamento observari, ex *hoc §. & d. l. Divus Trajanus*. Heredis institutio non fit nuda jactatione, vel destinatione, sed solemni declaratione voluntatis, facta coram vocatis ad hoc testibus. Destinatio non est donatio, vel institutio; *l. cum pater, §. a filia, ff. de legat. 2. l. si nondum, C. de furt. l. 1. C. Th. de donat.* Ac proinde si quis Imperatorem se heredem facturum sese jactaverit, fiscus non occupat hereditatem; *l. ult. ff. qui testam. fac.*

§. *quinimmo.*

Miles mutus & surdus jure militari testari potest ante causariam missionem, dum in numeris manet, ex *hoc §. & l. 4. ff. h. tit.* Quod intelligendum est de muto vel surdo facto ex casu post militiam, puta ex vulnere accepto, vel morbo contracto in militia, alioquin vix mutum & surdum in militiam receptum credibile esset. Paganus mutus & surdus testari non potest sine beneficio Principis; *l. qui in potestate, & seq. ff. qui testam.* Constitut. Justin. introducta est distinctio hæc, surdus & mutus simul natura omnino testamentum facere non potest: surdus & mutus ex casu, si sit peritus litterarum, testamentum scripto sua manu facere potest: surdus natura vel casu omnino testari potest, quia nemo ita surdus est, qui penitus non exaudiat, si quis supra illius cerebrum obloquatur, ut placuit Celso: mutus vel naturaliter vel ex casu testamentum sua manu scribere potest, si sit peritus litterarum; *l. discretis, C. eod.*

§. *sed hactenus.*

Milites jure militari testari non possunt, nisi quamdiu militant, & in expeditione versantur: veterani post missionem, vel milites extra expeditionem jure communi testari debent, ex *hoc §. & l. pen. C. h. tit.* Testamentum in militia jure militari factum, post missionem intra annum tantum valet, ex *hoc §. & l. si miles, ff. de injust. rupt.* id est si miles intra annum post missionem decesserit, quia privilegia eorum, qui reip. causa absunt, perseverant intra annum postquam reip. causa abesse desierunt; *§. item qui, supr. de excusat. tutor.* Hocce privilegium, ut testamentum in militia factum jure militari valeat intra annum post missionem, ad eos dumtaxat pertinet, qui mitti solent, id est qui missione militare desinunt, non ad præfectos & tribunos, qui successoribus acceptis militare desinunt; *l. quod constitutum, ff. h. tit.* Idemque beneficium locum habet in testamentis eorum, qui honestam vel causariam missionem meruerunt; nam testamenta eorum, qui ignominiæ causa missi sunt, statim desinunt jure militari valere; *l. testamenta eorum, ff. h. tit. l. ex testamento, C. eod.* Et quod dicitur, testamentum jure militari factum valere, si miles intra annum post missionem decesserit, verum est, etiam si post annum conditio institutionis extiterit; *l. quod dicitur, ff. eod. tit.* quia conditio institutioni apposita quandocumque existens retro trahitur ad tempus mortis; *l. potest, ff. de heredibus instituend.*

§. *sed & si quis.*

Si quis ante militiam non jure & solemniter fecerit testamentum, & postea miles factus sit, testamentum, quod jure communi nullum erat, ex post

Source : BIU Cujas

facto convaleſcit, & jure militari valet, ſi hoc miles maluerit, id eſt poſtquam miles factus eſt declaraverit ſe velle illud teſtamentum valere, puta ſi quædam adjecit, vel detraxit; *l. idemque*, §. 1. *l. tribunus*, §. 1. *l. Titius*, *ff. h. tit.* vel etiam ſi militis voluntas contraria non ſit; *l. in fraudem*, §. *teſtamentum*, *ff. h. tit.* id eſt niſi appareat contraria voluntas teſtatoris volentis illud teſtamentum valere jure communi. Teſtamentum ſc. ante militiam factum, ſi teſtator poſtea miles factus ſit, jure militari valet, quaſi ex nova voluntate, ex *hoc* §. quia teſtamentum militare nuda voluntate perficitur, voluntas militis teſtamentum eſt; *l. ejus militis*, §. *ult. l.* † *miles ſi teſtamentum*, *ff. h. tit.* Ut & teſtamentum militare nuda voluntate rumpitur, ſi cancellatum, vel inciſum fuerit & rurſus nuda voluntate reconvaleſcit, ſi mox annulo obſignatum ſit, pœnitentia mutatæ voluntatis, renovandi teſtamenti animo; *d. l. in fraudem*, §. 1. & prius teſtamentum militis ruptum per poſterius, ex nova militis voluntate redintegratur, ſi teſtator ſignificaverit, ſe ad prius teſtamentum redire velle; *l. centurio*, *ff. h. tit.*

§. *denique.*

QUamvis pagani teſtamentum irritum fiat minima capitis diminutione; §. *alio*, infr. *quib. mod. teſtam. infirm.* puta emancipatione, adrogatione, vel adoptione, teſtamentum militis non infirmatur capitis diminutione teſtatoris, puta emancipatione, vel adrogatione, ex *hoc* §. Cum enim filiusf. in caſtrenſi peculio pro patref. habeatur, ut de eo teſtari valeat, quod ad hoc non videtur capite minui, ſive emancipetur, ſive adrogetur, ideoque teſtamentum ejus non fit irritum emancipatione, vel adrogatione; *l. ſi quis*, §. *ult. ff. de injuſt. rupt.* Vel ſi filiusf. miles teſtamentum fecerit, tum a patre emancipatus, vel in adoptionem datus ſit, teſtamentum ejus ante emancipationem vel dationem in adoptionem factum valet, quaſi ex nova voluntate, ut dicitur *hoc loco*, *& in l. miles filiusf. ff. h. tit.*

§. *ult.*

FIliusf. miles poteſt teſtari jure ſuo de peculio caſtrenſi; filiusf. poteſt teſtari jure communi de peculio quaſi caſtrenſi, ex *hoc* §. *l. ult. C. de inoff. teſtam. l. ult. C. qui teſtam.* quia filiusf. in peculio caſtrenſi & quaſi caſtrenſi pro patref. habetur; *l.* 1. §. *nec caſtrenſe*, *ff. de collat. l.* 2. *ad Maced.* Hoc juris commune eſt, quod querela inofficioſi non habet locum in teſtamento de peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi; *l. teſtamentum*, *l. ult. C. de inoffic. teſtam. l. cum lege leonina*, *& auth. presbyteros* 1. *C. de Epiſc. & cleric.* Filiusf. teſtari non poteſt de peculio paganico, ne quidem permittente patre; *l. 6. ff. qui teſtam. l. ult.* §. 5. *verſ. filiis autem*, *C. de bon. quæ liber.* quia teſtamenti factio eſt juris publici, quod privatorum conſenſu remitti non poteſt: filiusf. tamen voluntate patris mortis cauſa donare poteſt; *l. filiusf.* §. *pari autem*, *ff. de donat.* quia donatio eſt juris privati.

Peculium eſt patrimonium filiif. vel ſervi, quod patris vel domini permiſſu habetur ſeparatum a rationibus paternis vel dominicis; *l.* 5. §. † *ult. ff. de pecul.* Triplex autem eſt peculium filiif. paganicum, caſtrenſe, & quaſi caſtrenſe. Caſtrenſe eſt, quod filiusf. occaſione armatæ militiæ adquiſivit; *l. caſtrenſe*, *ff. de caſtrenſ. pecul.* Quaſi caſtrenſe, quod filiisf. quæſitum eſt occaſione quaſi caſtrenſis militiæ, puta patronis cauſarum, magiſtris ſtudiorum liberalium, archiatris & aliis omnibus qui ſalaria, vel ſtipendia accipiunt de publico; *d. l. ult. C. de inoffic. teſtam. l.* 4. *C. de advocat. diverſ. judicior.*

† Lex iſta *l.* † *proximis*, *C. de proxim. ſacr. ſcrin.* vel quidquid partum eſt occaſione ſa-

de- cræ

cræ militiæ; *l. cum lege*, C. *de Epiſc. & cleric.* vel donatur a Principe vel Auguſta; *l. pen. C. de bon. quæ liber.*

Sunt & alia privilegia militum in teſtamentis ordinandis, quæ hoc loco adjicere operæ pretium eſt. Nimirum miles pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus poteſt decedere: puta poteſt teſtari de bonis paganis, & de caſtrenſibus non teſtari, vel e contra; *l. 1. & 2. C. h. tit.* Et ſi miles Titium ex certo fundo heredem ſcripſerit, quantum ad cetera creditur inteſtatus deceſſiſſe; *l. ſi miles 6. ff. h. tit.* Miles quoque poteſt decedere cum duobus teſtamentis; *l. quærebatur, ff. h. tit.* in qua ſi miles, qui habebat jam factum teſtamentum, aliud fecerit, & in eo heredis fidei commiſerit, ut prius teſtamentum valeret, teſtamentum prius non rumpitur per poſterius, & prius quod ipſo jure non valet, per fideicommiſſum valet, id eſt convertitur in cauſam fideicommiſſi, cui conjungenda eſt *l. miles ſi teſtamentum, ff. h. tit.* ex qua miles, qui plura per varios dies ſcribit teſtamenta, ſæpe facere teſtamenta, id eſt pluribus cum teſtamentis velle decedere intelligitur, quod probatur, quia in teſtamentis militum ſpectatur nuda voluntas teſtatoris. Item miles ex tempore vel ad tempus heredem inſtituere poteſt; *l. in fraudem*, §. *miles*, *l. miles*, 41. *ff. h. tit. l. certi juris*, C. *eod.* Contra paganus non poteſt ſcribere heredem ex die vel ad diem, ſed qui heres ſcriptus eſt ex die vel ad diem, circumſcripto die fit ſtatim heres, heresque permanet; *l. hereditas* 34. *ff. de hered. inſtit.* Item lex falcidia non habet locum in teſtamento militis; *l. ſi certarum*, §. *ult. cum l. ſeq. ff. h. tit. l. in teſtamento*, 12. C. *eod. l. ſi poſt miſſionem, cum l. ſeq. ff. ad l. falcid.* Denique miles poteſt directo ſubſtituere in ſecundum caſum filio puberi, extraneove heredi inſtituto; *l. centurio, ff. de vulgar. & pupillar.*

deſideratur. Extant *ll. proximos* 1. & 8. v. ſi probant. Facit *l. velut*, C. *de adſeſſor. & domeſtic.*

Quib. non eſt permiſſ. fac. teſtament.

CAP. XII.

In princ.

FIliuſf. etiam permittente patre teſtari non poteſt, ex *init. h. tit. & l. qui in poteſtate, ff. qui teſtam. l. pen. C. eod.* duplici ratione. Una quia filiuſf. nihil habet in bonis de quo diſponat. Altera quia teſtamenti factio eſt a lege, & datur ſoli patrifamilias lege 12. tab. *l. verbis legis, ff. de V. S.* Ideoque non poteſt a patre vel avo, privato homine, concedi. Filiuſf. † cum patris permiſſu mortis cauſa donare poteſt; *l. filiuſf. §. pari autem, ff. de donat. l. tam is*, §. 1. *ff. de mort. cauſ. donat.* quia donatio non eſt a lege, & pendet ex voluntate hominis. Ab hac regula excipitur filiuſf. miles, qui poteſt teſtari de peculio caſtrenſi, ex *init. h. tit. l. ult. C. h. tit.* Juvenal. ſatir. 16.

Solis præterea teſtandi militibus jus
Vivo patre datur, nam quæ ſunt parta labore
Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſus.

Quod ſi filiuſf. miles, qui habebat peculium caſtrenſe, inteſtatus deceſſerit, pater peculium caſtrenſe occupat, jure peculii, non hereditatis; *l. 1. & 2. ff. de caſtrenſ. pecul. l. filiuſf. ff. ad leg. falcid. l. ſi infanti*, §. 1. C. *de jur. deliber.* & hoc jure pater non tenetur creditoribus peculiaribus ultra vires peculii. Jure novo, ſi filiuſf. inteſtatus deceſſerit, nullis liberis vel fratribus ſuperſtitibus, peculium inteſtati ad patrem pertinebit, ita ut liberi & fratres patri præferantur; *l. ult. C. comm. de ſucceſſ.* Et hoc eſt, quod ait Juſtinianus

Source : BIU Cujas

hic inteſtati filiiſ. peculium caſtrenſe, nullis liberis vel fratribus ſuperſtitibus ad patrem jure communi pertinere. Jure noviſſimo defuncto filio ſine liberis, fratres utrinque defuncto conjuncti cum patre ſuccedunt in capita, id eſt in viriles portiones; *nov.* 118. *cap.* 2. *auth. defuncto*, C. *ad Tertyll.*

Filiuſ. poteſt teſtari de peculio caſtrenſi, quia peculium caſtrenſe eſt proprium patrimonium filiifamilias; *l.* 1. §. *nec caſtrenſe*, *ff. de collat. bonor.* Ita ut neque a patre ei adimi poſſit, neque a creditoribus paternis diſtrahi ob æs alienum patris, & mortuo patre cum fratribus non conferatur, neque veniat in judicium familiæ erciſcundæ, ut oſtenditur *hic & d.* † *l.* 1. §. *nec caſtrenſe*, *& l.* 1. C. *de caſtr. pecul. libr.* 12. Fliuſ. non poteſt teſtari niſi de peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi; *l. ult.* C. *qui teſtament.* Idem teſtari non poteſt de peculio adventitio, ne quidem iis caſibus, quibus in eo plenum jus habet, vivo patre, ut in caſibus *l. pen.* C. *eod. & l. Imperator*, *ff. ad Trebell.* Itaque ſi filiuſ. teſtatus ſit de peculio paganico, teſtamentum nullum eſt, licet ſui juris factus deceſſerit, ut *hic & d. l. pen. l.* 1. §. *ſed ſi filiuſ. de legat.* 3. Opponitur *l. ult.* §. † 5. *verſ. filiis autem*, C. *de bon. quæ liber.* ubi Juſtin. ait, ſe filiiſ. his dumtaxat caſibus, quibus uſusfructus apud parentes conſtitutus, donec parentes vivunt, de iisdem rebus non permittere teſtari, unde aliis caſibus, quibus peculii adventitii uſusfructus patri non adquiritur, ſed filius plenum dominium habet, ei teſtamenti factionem permittere videtur: ſed Juſtin. ipſe occurrit objectioni in *d. l. pen.* dum vetat ne ex *d. l. ult.* arguatur filiumf. poſſe teſtari in iis rebus, quarum uſusfructus patri non adquiritur. Filiuſ. poteſt teſtari de bonis adventitiis patris conſenſu ad pias cauſas; *arg. cap. licet*, *de ſepultur. in* 6. vel inter liberos, quia favor liberorum idem eſt qui piæ cauſæ.

§. *præterea.*

IMpuberes teſtamentum facere non poſſunt, quia nullum eſt eorum animi judicium, ex *hoc* §. *l. a qua ætate*, *ff. qui teſtam. l.* 4. C. *eod.* id eſt non habent certum animi judicium. Impubes quamdiu eſt in poteſtate tutoris, vix differt a ſervo, tametſi ſit dominus rerum ſuarum, οὐδὲν διαφέρει δούλου κύριος πάντων ὤν, epiſt. ad Galat. cap. 4. Item furioſi teſtamentum facere non poſſunt, quia mentis expertes ſunt, niſi tempore dilucidi intervalli, ſed teſtamentum ante furorem factum non infirmatur ſuperveniente furore, ex *hoc* §. *& l. qui teſtamento*, §. *ne furioſus*, *ff. qui teſtam. l. furioſum*, C. *eod.* Furor ſuperveniens non vitiat teſtamentum, nec ullum aliud negotium recte geſtum; *d. l. qui teſtamento*: nec ſolvit matrimonium; *l. patre furioſo*, *ff. de his qui ſui vel alieni juris ſunt.* In teſtamentis cum quæritur, an teſtatori ſit factio teſtamenti, ſpectatur tempus teſtamenti, non tempus mortis; §. *in extraneis*, infra, *de hered. qualit. & different.* Impubes & furioſus teſtamentum facere non poſſunt, nec horum teſtamentum convaleſcit ſi impubes poſtea pubes, vel furioſus mentis compos, factus deceſſerit, *ex hoc* §. quia in teſtamentis ſpectatur tempus teſtamenti.

§. *item prodigus.*

PRodigus, cui bonorum adminiſtratione interdictum eſt, teſtamentum facere non poteſt, ſed ante bonorum interdictionem factum teſtamentum ratum eſt, ex *hoc* §. *& l. is cui lege*, *ff. qui teſtam. fac.* quia is, cui bonis interdictum eſt, furioſo comparatur; *l.* 1. *ff. de curat. furioſ.* † & quod ad bona pertinet furioſi facit exitum; *l. his qui*, *in fin. ff. de tutor. & cur. dat.* & exemplo furioſi promittendo non obligatur; *l. is cui bonis*, *de V. O.*

† Lege ſic: & quoad bona pertinet, furioſum facit exitum.

§. *item*

Source : BIU Cujas

§. *item surdus.*

SUrdus & mutus non semper testamentum facere possunt, ex *hoc* §. *l. qui in potestate, ff. qui testam. fac.* Ait, non semper, quia certis casibus testari eis permittitur. Ex constit. Justiniani surdus & mutus simul natura, neque testamentum, neque codicillos facere, neque fideicommissum relinquere, neque mortis causa donare potest: surdus & mutus ex casu, puta adversa valetudine, vel alio casu, si sit peritus litterarum testamentum sua manu scribere potest: surdus natura vel casu omnino testari potest, quia nemo ita surdus est, qui penitus non exaudiat, si quis supra cerebrum illius loquatur, ut placuit Celso. Mutus vel natura vel casu testamentum sua manu scribere potest, si sit peritus litterarum; *l. discretis, C. qui testam. fac.*

§. *cæcus.*

CÆcus testamentum facere non potest, nisi ex forma præscripta a Justiniano *hic & in l. hac consultissima, C. qui test. fac.* ex qua in testamento cæci septem requiruntur. I. ut testamentum cæci fiat per nuncupationem, non per scripturam propter metum falsi. II. ut præter septem testes adhibeatur tabularius, id est tabellio, qui conscribat testamentum, vel si tabularii copia non sit, ejus loco adhibeatur octavus testis. III. ut testator coram testibus palam edicat, se eos convocasse, ut sine scripto testetur, & ut palam nuncupet nomina heredum, & dignitates singulorum & judicia, & partes ex quibus eos instituit. IV. ut hæc omnia fiant uno eodemque tempore, id est uno contextu, eadem serie. V. ut tabularius perscribat testamentum coram septem testibus, vel recitet quod alter scripsit dictante cæco. VI. ut testator, post recitatum testamentum, profiteatur se judicium suum agnoscere, id est hanc esse suam novissimam voluntatem, & ex animi sententia quæ lecta & recitata sunt se disposuisse. VII. ut tabularius simul & testes subscribant & obsignent testamentum.

§. *ult.*

QUi apud hostes est, id est qui est in potestate hostium, ut captivus, testamentum facere non potest, quia est servus hostium, & testamentum ab eo interim factum, quamvis ab hostibus postliminio redierit, non valet, ex *hoc* §. *& l. ejus qui, ff. qui testam. fac.* Sed testamentum factum ante captivitatem, licet irritum factum sit captivitate, si ab hostibus redierit convalescit fictione postliminii, quia hac fictione, qui rediit ab hostibus fingitur semper in civitate fuisse; *l. retro, ff. de captiv. & postlim. revers.* Si apud hostes decesserit, testamentum valet fictione legis Corneliæ, ex qua qui decessit apud hostes fingitur decessisse primo captivitatis momento; *l. lege Cornelia, ff. qui testam. l. 6.* §. *quatenus, de injust. rupt. l. lex Cornelia de vulgar. & pupillar. l. 1. l.* † *captum, C. de postl. revers.* Monachi professi non possunt testari de peculio, etiam ex dispensatione pontificia, quia abdicatio proprietatis ita est conjuncta regulæ monasticæ, ut ea non possit remitti nec a summo Pontifice; *cap. cum ad monasterium, de stat. monach.* maxime in Gallia, ubi solus Princeps dispensat in temporalibus, cum in his superiorem non agnoscat; *cap. per venerabilem, qui fil. sint legit.*

† Melius ex *l. in omnibus, ff. de captiv. & postl. revers.*

Source : BIU Cujas

De exheredat. liberorum.

CAP. XIII.

In princ.

LEge 12. tab. liberi impune præteriri, vel exheredari poterant, quia hac lege libera & soluta erat testandi potestas, & testamentum vicem legis obtinebat. Uti quisque legassit suæ rei, ita jus esto; *l. verbis legis, ff. de V.S.* Postea ex interpretatione prudentum ad l. 12. tab. usu evaluit, ut liberi, qui essent in potestate testatoris, nominatim instituendi essent, vel exheredandi, alioquin testamentum ipso jure nullum esset, *ut hic & l. inter cetera, ff. de liber. & posth. l. ult. §. sancimus, C. de liber. præterit. vel exheredat.* idque sive filiusf. miles, sive paganus esset; *l. filiusf. ff. de liber. & posth.* quia cum filiusf. vivo patre quodammodo dominus existimetur; *l. in suis, ff. eod.* visum est non desinere esse dominum, & bona non censeri ei a patre adempta, nisi nominatim ei adempta sint exheredatione. Hocque ita verum est, ut testamentum, in quo filiusf. præteritus est, non convalescat, etiam si filius patre superstite moriatur; *l. si filius, ff. eod.* propter reg. Catonianam, ex qua testamentum, quod ab initio non valet, convalescere non potest; *l. 1. ff. de reg. Caton.* Et ex testamento, in quo filiusf. præteritus est, nihil debetur, neque libertates, neque legata, si filius præteritus queratur: quod si bonis abstineat, licet testamentum ipso jure nullum sit, tamen voluntas testatoris ex æquo & bono sustinetur, & heredi scripto datur bonorum possessio secundum tab.; *l. filio præterito, ff. de injust. rupt.* Filio præterito, testamentum ipso jure nullum est, quod si filia, vel nepos, aut neptis ex filio, & reliqui liberi fuerint præteriti, jure veteri non faciunt testamentum nullum, sed scriptis heredibus adcrescunt, id est quasi jure adcrescendi conjunguntur, & accedunt scriptis heredibus, & cum eis succedunt in portionem certam, nempe scriptis suis heredibus adcrescunt in virilem portionem, scriptis autem extraneis adcrescunt in semissem, ex *init. h. tit. & l. ult. C. de liber. præterit. vel exhered.* Ulpian. *libr. reg. tit.* 22. Paul. *libr. 3. sent. tit.* 4. Jure veteri alii liberi præter filium poterant nominatim vel inter ceteros exheredari, ex *init. h. tit.* hoc modo, *reliqui exheredes sunto; d. l. ult.* filias & nepotes nominatim exheredare necesse non erat, satis erat inter ceteros exheredari, veluti si testator diceret, *Publius filius meus heres esto, ceteri exheredes sunto:* inter ceteros filia & nepotes ex filio recte exheredantur; *l. Titius, ff. de liber. & posth. l. Lucius, de hered. instit.* Nominatim exheredari filius videtur, si ita exheredetur, *Titius filius meus exheres esto*, sive ita exheredetur, *filius meus exheres esto*, non adjecto proprio nomine si modo unicus sit filius, ex *init. h. tit. versic. nominatim, l. 2. ff. de liber. & posth.* certum enim est quod designatur suo nomine, aut ea demonstratione, quæ nominis vice fungitur; *l. certum, ff. de reb. credit.* Nominatim exheredari videtur & unicus filius, si ita testator scripsit, *Titius heres esto, ceteri filii exheredes sunto; d. l. Titius*; quia pluralis elocutio restringitur ad unicum illum filium.

§. I.

POsthumi liberi, vel heredes instituí debent, vel exheredari. Posthumo præterito, cujuscumque gradus vel sexus, valet quidem testamentum sc. si non

Source : BIU Cujas

non naſcatur poſthumus, ſed rumpitur agnatione poſthumi, ex *hoc* §. *l.* 1. *&* 3. §. *ex his*, *ff.* † *de injuſt. rupt. l.* 1. *&* 3. C. *de poſth. hered. inſtit.* M. Tull. pro Cæcina : *Crede huic teſti? has comproba tabulas? hoc non poteſt; cui filius agnatus ſit, ejus teſtamentum non eſſe ruptum judica?* Et idem 1. de orator. *Nam quis eo teſtamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus eſt, hereditatem petit? nemo*, quia conſtat agnaſcendo rumpi teſtamentum. Teſtamentum rumpitur agnatione poſthumi, quia qui in utero eſt, quoties de commodo ipſius quæritur, pro jam nato habetur; *l. qui in utero* 7. *ff. de ſtat. homin.* Teſtamentum rumpitur agnatione poſthumi, ſi vitalis perfecte natus ſit, etiam ſi natus illico deceſſerit, modo vivus natus ſit, & natus homo non monſtrum, nam partus monſtroſus agnatione non rumpit teſtamentum; *l.* 2. *&* 3. C. *de poſth. hered. inſtit.* Ut & ſi mulier abortum fecerit, abortu non rumpitur, *ex hoc* §. *& d. l.* 2. *& l. qui mortui*, *ff. de V. S.* Agnatione poſthumi maſculi rumpitur teſtamentum, niſi nominatim inſtitutus ſit, vel exheredatus, ex *hoc* §. *& l.* 3. *ff. de injuſt. rupt.* ubi agnoſces manum Triboniani, & pro eo quod ſcriptum erat, *poſthumi virilis ſexus*, ab illo ſubjectum, *poſthumi per virilem ſexum deſcendentes*. Feminæ poſthumæ, vel nominatim, vel inter ceteros exheredari poſſunt, dummodo inter ceteros exheredatis legatum adjectum ſit, ne per oblivionem præteritæ videantur, ex *hoc* §. & Ulpian. *libr. reg. tit.* 22. Conſtit. Juſtiniani poſthumi utriusque ſexus, ſive maſculini, ſive feminini, nominatim inſtituendi ſunt, vel exheredandi; *l. ult.* §. *ult.* C. *de liber. præterit. vel exhered.* Poſthumus hoc jure potuit exheredari, licet nihil demereri poſſit de patre, qui nondum eſt in rebus humanis; *l. poſthumus*, *ff. de inoff. teſtam.* quia in cauſis exheredationis non tantum ſpectantur merita exheredati, ſed etiam parentum; *l.* 3. §. *ſi emancipatus* 5. *ff. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* Hodie vero poſthumi exheredari non poſſunt, quia nulla exheredationis cauſa cadit in poſthumos vel infantes; *l. ſi quis in ſuo*, §. *ult.* C. *de inoff. teſtam.* Item cauſa exheredationis nominatim inſerenda eſt teſtamento; *nov.* 115. *auth. non licet*, C. *de liber. præterit. vel exhered.* quæ autem cauſa invenietur in poſthumo? Nec poſthumus poteſt exheredari ob culpam patris, quia non debet quisquam alieno odio prægravari; *d. l. ſi quis in ſuo*, *l. Divi fratres*, *ff. de jur. patronat. l. Paulus reſpondit*, *ff. de bon. libertor.*

§. *poſthumorum*.

TEſtamentum rumpitur agnatione poſthumi ſui præteriti; *l. quod dicitur*, *ff.* † *de liber. & poſth.* Suus heres dicitur qui fuit in poteſtate morientis, & primum in ipſius familia gradum obtinet in cauſa ſuccedendi, inſpecto tempore mortis, quod inſpicitur quoties de ſui heredis jure quæritur; *l. ſcripto*, *ff. unde liber. l. ſi filiuſ. ff. de teſtam. milit.* & ſuus heres dicitur, quia heredem ipſum efficit lex, non pater; *l. in ſuis*, *ff. de liber. & poſthum. l. ult. de bon. damnat.* Suus poſthumus eſt, qui ſi vivo patre naſceretur, in ejus poteſtate naſceretur, & primum ab eo gradum obtineret. Poſthumorum ſuorum loco ſunt & hi, qui in ſuorum locum ſuccedendo quaſi agnaſcendo fiunt ſui heredes, ut nepotes ex filio, mortuo patre vivo avo, jura ſuitatis quaſi agnaſcendo nanciſcuntur, ideoque nominatim inſtituendi ſunt, vel exheredandi, ne agnaſcendo teſtamentum rumpant, idque lege *Velleja* proviſum eſt, ex *hoc* §. *& l. poſthumorum*, *ff. de injuſt. rupt.* unde vocantur *poſthumi Vellejani*, quod lege *Velleja* de his caveatur. Nepos ex filio ſuperſtite poteſt impune præteriri ab avo, nec neceſſe eſt, ut exheredetur, quia non eſt ſuus heres, quippe quem pater, idemque filius, qui eſt in medio mortis tempore antevertit; *l. ſi quis poſthumus*, §. *ſi filium*, *ff. de liber. & poſthum. l. ſi quis filio*, *de injuſt. rupt. l. ſcripto*, *unde liber.* Et avus non tenetur nepotem ex filio inſtituere vel

Source : BIU Cujas

exheredare, nisi in casum legis *Vellejæ*, id est ne si forte patre sublato de medio vivo adhuc avo, in locum filii succederet, testamentum quasi agnatione sui heredis rumperetur; *l. Gallus*, §. *sequenti parte*, §. † *videndum*, *ff. de liber. & posth.* Alias nepoti præterito ex filio prædefuncto, datur bonorum possessio contra tabulas, est enim quod avo imputetur cur cum testamentum conderet nepotem non exheredavit; *l.* 3. §. *si emancipatus*, *ff. de bonor. possess. contr. tabul.*

§. *emancipatos.*

JUre civili liberos emancipatos neque instituere neque exheredare necesse est, quia non sunt sui heredes, ex *hoc* §. & pro extraneis habentur; *l. quin etiam*, *ff. de rit. nupt.* nec sui heredes dici possunt; §. *emancipati*, infr. *de heredit. quæ ab intestat.* Jure prætorio autem emancipati debent instituì, vel exheredari, masculi nominatim, feminæ inter ceteros, alioquin suis vel emancipatis præteritis datur bonorum possessio contra tabulas, ex *hoc* §. & *l.* 1. *ff. de bonor. possess. contr. tab.* quia prætor emancipatos, qui capitis diminutione, id est emancipatione, desierunt sui heredes esse, rescissa eorum capitis diminutione, quasi in integrum restituit, data eis bonorum possessione; *l. sed cum patrono*, §. 1. *ff. de bonor. possess.* Emancipatus præteritus, neque ab intestato heres esse potest, neque ex testamento; quia heredis nomen est juris civilis, cui emancipatus omnino est incognitus, sed si testamento patris præteritus sit, datur ei bonorum possessio contra tabulas, aut ab intestato bonorum possessio unde liberi.

§. *adoptivi.*

ADoptivi liberi, quamdiu sunt in potestate patris adoptivi, debent institui vel exheredari, & si præteriti sint, eis datur bonorum possessio contra tabulas, ex *hoc* §. & *l.* 1. *ff. de bonor. possess. contr. tab. l.* 1. §. *liberos*, *si tabul. testam. null. extab.* quia adoptivi eodem jure habentur quo naturales, id est per adoptionem suorum jus & nomen nanciscuntur; *l. si te*, C. *de suis*, & *legitim. l.* 8. *de injust. rupt. l.* 1. *de adopt.* Emancipati a patre adoptivo impune præteriri possunt, nec datur præteritis bonorum possessio contra tabulas, quia a patre adoptivo semel emancipati amittunt nomen liberorum, & adoptionis jus omnino dissolvitur per emancipationem; *d. l.* 1. §. *liberos*, & *l.* 4. *eod. tit.* E diverso adoptivos quamdiu in aliena familia sunt, pater naturalis neque instituere neque exheredare necesse habet, quia per adoptionem transeunt in alienam familiam, quod si a patre adoptivo emancipati fuerint, tunc ejusdem juris habentur, in quo essent si a patre naturali emancipati essent, ex *hoc* §. id est emancipatis a patre adoptivo, & testamento patris naturalis præteritis, datur bonorum possessio contra tabulas patris naturalis, quæ datur naturalibus emancipatis præteritis, quia adoptivi a patre adoptivo emancipati, non recipiunt jus suorum, sed jus narurale liberorum; *d. l.* 4.

§. *sed hæc quidem.*

JUre veteri masculi nominatim instituendi vel exheredandi erant, feminæ & liberi secundi vel ulterioris gradus nominatim vel inter ceteros exheredari poterant. Jure novo, id est constit. Justiniani, omnes cujuscumque sexus & gradus, sive jam nati, sive posthumi, sive sui, sive emancipati, nominatim debent institui vel exheredari, alioquin tamquam præteriti rumpunt testamentum, ex *hoc* §. & *l. ult. C. de liber. præterit. vel exhered.* Ratio constit. triplex est. Prima, quia lege 12. tab. masculi & feminæ ex æquo succedunt patri intesta-

to;

Source : BIU Cujas

to ; *l. lege* 12. *tab. C. de legit. hered.* Secunda, quia & jure prætorio masculis & feminis æque defertur bonorum possessio. Tertia, quia jure naturali masculi & feminæ eodem jure censentur, & qui differentiam inducunt, naturæ accusatores existunt, cur non omnes masculos creaverit ; *d. l. ult.* Nec ferendum propter hoc solum mulieres puniri, quod feminæ natæ sint, & paterno vitio, si quod est, prolem innocentem gravari ; *d. l. lege*. Jure novissimo liberi etiam a matre, vel avo materno, omnino instituendi sunt, vel nominatim exheredandi, adjecta causa, alioqui testamentum ipso jure nullum est ; *nov.* 115. *cap.* † 3. *auth. non licet, C. de liber. præterit. vel exhered.* Olim præteritione filii non vitiabatur testamentum maternum, quia præteritio matris pro exheredatione habetur, quod mulier non habeat suos heredes ; *l.* 4. §. 2. *ff. de bonor. poss. contr. tabul.*

§. *sed si in expeditione.*

SI paterf. miles in expeditione agens testamento facto liberos jam natos, vel posthumos non ignorans præterierit, præteritio pro exheredatione habetur, ita ut testamentum non rumpatur agnatione posthumi præteriti, ex *hoc* §. Quod si ignorans eos præterierit, testamentum ipso jure nullum & irritum est ; *l. sicut certi juris, l. si cum, C. de testam. milit.* quia conjectura pietatis de patrum in liberos voluntate bene sentiendum est, & præsumitur non fuisse prætermissurum posthumum, nisi ignorasset conceptum. Excipitur unus casus, in quo testamentum militis non rumpitur agnatione posthumi etiam ignoranter præteriti, si eo animo fuit, ut vellet quisquis sibi nasceretur exheredem esse ; *l. qui jure militari, ff. de testam. milit.* quia in testamento militis spectatur nuda voluntas. Testamentum militis non rumpitur præteritione nati, vel posthumi, quia præteritio militis pro exheredatione habetur, sed præteritis quasi exheredatis datur querela inofficiosi testamenti, & hoc verum est cum miles est paterf. sed si sit filiusf. & testetur de peculio castrensi, querela inofficiosi locum non habet in testamento militis ; *l. ult. C. de inoff. test.* In castrensibus quoque præteritis non datur bonorum possessio contra tab. *l.* 3. §. *patronus, ff. de bon. libert. l.* 1. §. *est & alius casus, si quis a parente manumiss. sit.*

§. *ult.*

MAter & avus maternus, vel alii ex stemmate materno ascendentes necesse non habent liberos instituere, vel nominatim exheredare, & præteritio matris, vel ascendentium maternorum, non rumpit testamentum, quia pro exheredatione habetur, ideoque præteritis a matre non competit jus dicendi testamentum nullum, sed jure civili datur eis querela inofficiosi testamenti ; *l.* 1. *& 3. l. filiam, C. de inoff. testam.* & hoc est quod ait Justinianus *hic*, liberis præteritis a matre aliud adminiculum servari, nimirum querela inofficiosi testamenti : recte dicitur adminiculum, quia hæc actio est subsidiaria & ultimum adjutorium ; *l. ult. C. de liber. præterit. vel exheredat.* Præteritis a matre datur querela inofficiosi sicut exheredatis, quia præteritio matris pro exheredatione habetur, & non rumpit testamentum, sed jure novissimo liberi instituendi sunt, vel exheredandi, etiam a matre, vel ascendentibus maternis, alioqui testamentum ipso jure nullum est.

Source : BIU Cujas

De hered. instituend.

CAP. XIV.

PRius de exheredatione liberorum, quam de heredibus instituendis egit Justinianus, quia prior est causa liberorum quam extraneorum, etiam in successione testamentaria, nimirum liberi, qui sunt in potestate testatoris, sunt sui & necessarii heredes, non tam a patre, quam a lege eis defertur hereditas, nec dicuntur proprie instituti heredes, sed abusive, quare non dicuntur adire hereditatem, sed se immiscere, vel heredes existere, & *titulus hic* est de institutione extraneorum heredum, ideoque sequitur titulum de exheredatione liberorum, quæ cadit tantum in liberos, qui sunt sui, id est in potestate testatoris absque medio, mortis tempore.

In princ.

HEredes instituere licet tam liberos homines, quam servos, & tam proprios, quam alienos, dummodo sc. eorum servi sint, qui a nobis heredes instituti possunt, quia testamenti factio cum servis ex persona dominorum introducta est; *l. non minus, ff. h. tit.* Servus ex sua persona hereditatis capax non est, sed ex persona domini, cujus contemplatione heres institutus est, & cui hereditatem adquirit, adeundo eam voluntate domini; *l. 1. ff. de jur. delib. l. si alienus, de legat. 2.* Olim servi proprii non aliter quam cum libertate instituti poterant. Hodie vero ex constit. Justiniani etiam sine libertate heredes instituti possunt, quia hereditatis ut tutelæ datione libertas tacita continetur, ex *init. h. tit. & l. pen. C. de necess. serv. hered. instit. l. quæro, in fin. ff. de testam. tutel.* quod jus Attilicino acceptum refert *hic* Justinianus ex Paulo.

Servus adulterii accusatus cum domina, ab eadem heres institui non potest, etiam cum libertate, ex constitutione Severi & Antonini; *l. his verbis, §. † 2. ff h. tit.* propter suspicionem adulterii; *l. cum filius, §. servus de legat. 2.* Hac de re Plin. libr. 5. epist. 1. *Coheredes mei componere & transigere cupiebant, non diffidentia causæ, sed metu temporum. Verebantur, quod videbant multis accidisse, ne ex centumvirali judicio capitis rei exirent. Et erant quidam in illis, quibus objici & Gratillæ amicitia & Rustici posset.* Et si servus adulterii reus a domina heres institutus sit, ei ut indigno aufertur hereditas & fisco cedit; *l. Claudius Seleucus, ff. † de his quæ ut indign.* Sed hodie leges caducariæ non habent locum in Gallia, & hereditas, quam olim ab indigno fiscus auferebat, ad legitimos heredes pertinet. Jure civili concubina potest capere ex donatione, vel testamento concubini; *l. cum † tabulis, §. 1. ff. de his quæ ut indign. l. 3. §. videamus, de donat. inter vir. & uxor. l. affectionis, † ff. de donat.* quia hoc jure concubinatus est conjunctio legitima & permissa; *l. 3. ff. de concubin. l. 5. C. ad SC. Orfic.* & uxor a concubina non distat, nisi dignitate; *l. item legato, §. † 4. ff. de legat. 3.* Solis militibus non licebat focariis donare; *l. 2. C. de donat. inter vir. & ux.* Hodie concubinæ nihil omnino donatione vel testamento relinqui potest, quia concubinatus est vetitus propter honestatem morum; *can. nemo, 32. qu. 4.*

§. servus

Source : BIU Cujas

§. *servus autem* 1.

SErvus proprius a domino heres institutus, si in eadem causa manserit, id est in potestate ejusdem domini, fit ex testamento liber heresque necessarius, ex *hoc* §. quia volens nolens cogitur adire hereditatem; §. 1. infr. *de hered. qualit. & different.* proinde fit heres etiam ignorans; *l. pen. ff. de reb. credit.* Quod constitutum est in eorum gratiam, qui cum solvendo non essent, unum ex servis necessarium heredem cum libertate instituebant, ut ignominiam bonorum venditionis in heredem rejicerent, id est ut heredis nomine bona venirent, ac ne memoria defuncti injuria afficeretur; §. 1. supr. *quib. ex caus. manumitt. non lic.*

Quod si servus proprius a domino heres institutus, ab eodem postea inter vivos manumissus sit, non fit heres necessarius, & suo arbitrio hereditatem adire potest, vel repudiare, quia utrumque non consequitur ex domini voluntate, id est libertatem & hereditatem, quippe qui jam inter vivos manumissus est, *ex hoc* §. heres necessarius non dicitur, nisi cui eodem testamento libertas & hereditas relinquitur; *l. testamento, ff. h. tit.*

Servus a domino heres institutus, post ab eodem alienatus, non fit ex testamento liber, neque heres, etiam si cum libertate heres institutus fuerit, quia dominus servum, quem testamento manumisit, alienando, destitisse a libertatis datione, id est libertatis dationem tacite revocasse intelligitur: servus tamen a domino heres institutus, si sit alienatus vivo testatore, debet adire hereditatem jussu novi domini, cui eam adquirit, ex *hoc* §. *l. quotiens*, §. *servus*, *l. servum meum, ff. h. tit.*

Servus alienus heres institutus, si in eadem causa, id est in eodem statu, permaneat, hereditatem adire debet jussu domini, *ex hoc* §. *l.* *) 2. *ff. de bonor. poss. contr. tab.* Servus alienus sine libertate heres institui potest, & institutus hereditatem adquirit domino; *l. 3. l. non minus, ff. h. tit.* Et ideo non potest adire hereditatem sine jussu domini, cui hereditatem adquirit, quia domino invito vel ignoranti per servum non adquiritur ex causa hereditatis, ne dominus ignorans vel invitus per servum obligetur oneribus hereditariis; *l. 3. C. h. tit. l. qui in aliena*, † *in princ. ff. de adquir. hered.* Et hoc est quod dicitur in *l. etiam invitis, ff. de adquir. rer. domin.* etiam invitis nobis per servum adquiri, pene ex omnibus causis, nempe præterquam causa hereditatis.

Si servus alienus heres institutus, alienatus sit vivo testatore, vel post mortem ejus ante additionem, debet adire jussu novi domini, in quem alienatus est, *ex hoc* §. *&* † *dd. l. quotiens*, §. *servus*, *& l. servum meum*. At si manumissus est vivo testatore, vel mortuo ante additionem, suo arbitrio adire potest hereditatem, ex *hoc* §.

§. *servus etiam*.

SErvus alienus post domini mortem, vel servus hereditarius ante aditam hereditatem, heres institui potest, *ex hoc* §. *l. non minus*, §. 1. *l. servus hereditarius*, *l. ejus servum, ff. h. tit.* Ratio dubitandi erat, quod servus non potest heres institui ex sua persona, quia personam, id est statum, non habet, non potest institui, nisi ex persona domini, cum quo testamenti factio sit; *d. l. non minus*: & servus hereditarius ante aditam hereditatem nullius esse videtur; *d. l. ejus servum*. Sed verius est, servum hereditarium, id est servum, cujus dominus mortuus est, nec dum ejus adita hereditas, posse recte instituí, quod personam assumat ex persona defuncti, nondum enim adita hereditas vicem defuncti sustinet; *d. l. non minus*, *l. hereditas*, 34. *ff. de adquir. rer. domin.* Unde hereditas jacens dominus, vel domina dicitur, & hereditati ut do-

Source : BIU Cujas

mino per servum hereditarium adquiritur ; *l. hereditas 61. ff. eod.* & a defuncto inchoata usucapio , potest ante aditam hereditatem impleri , si alius medio tempore rem non possederit , quia hereditas jacens personæ defuncti vicem sustinet ; *l. heres , l. cœpta , l. justo , §. nondum , ff. de usucap.* Servus ejus, qui in utero est , potest heres institui , ex *hoc* §. quia personam mutuatur a posthumo , cui adquirit hereditatem , posthumus enim quod ad ejus commodum pro jam nato habetur ; *l. qui in utero 7. ff. de stat. homin.*

§. *servus autem plurium .*

SErvus communis plurium ab extraneo heres institutus , unicuique dominorum, cujus jussu adierit , pro portione domini adquirit hereditatem , ex *hoc* §. *l. servus communis , ff. de adquir. hered. l. si servus plurium , ff. de legat.* 1. Quod si unius jussu adeat , interim non pro majore parte eum heredem facit , quam pro parte dominica , sed postea ceteris sociis non jubentibus , non jubentium , id est deficientium , partes tacito jure ei adcrescunt ; *d. l. servus communis* . Idem de stipulatione ; *l. si communis , ff. de stipulat. servor.*

§. *& unum .*

UNus duo vel plures in infinitum heredes institui possunt , *ex hoc* §. Ait in infinitum , id est indefinite quot quis velit heredes instituere licet , heredum quotquot fuerint certus & finitus sit numerus necesse est : sed tamen dicitur plures heredes institui posse in infinitum , quia lex non definit numerum heredum , sed testatoris arbitrio relinquit : *Uti paterf. legassit suæ rei , ita jus esto* . Hac loquendi formula nuptiæ dicuntur prohiberi inter ascendentes & descendentes in infinitum ; *l. nuptiæ 53. ff. de rit. nupt. & §. 1. supr. de nupt.* & mortua in matrimonio filia , dos a patre profecta ad patrem revertitur , quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum , apud Ulpian. *libr. regular. tit. de dot. §. mortua .*

§. *hereditas .*

HEreditas plerumque dividitur in 12. uncias , quæ assis appellatione continentur : partes hæ sunt sextans , quadrans , triens , quincunx , semis , septunx , bes , dodrans , dextans , deunx : sextans est portio constans ex duabus unciis , quia est sexta pars hereditatis : quadrans ex tribus , quia est quarta pars : triens ex quatuor , quia est tertia pars : quincunx ex quinque , quia continet quinque uncias : semis ex sex , quia est dimidia hereditatis : septunx ex septem , quia habet septem uncias : bes ex octo , quia continet octo uncias : dodrans ex novem , quia continet novem uncias : dextans ex decem , quia continet decem uncias : deunx ex undecim , quia continet undecim uncias : totumque quod est hereditas as appellatur , quia jure veteri testamentum fiebat per æs & libram , id est per imaginariam venditionem hereditatis , quæ fiebat uno nummo , vel asse , qui Caianus dicitur Statio *libr. 4. silvar. 4.*

Non semper hereditas dividitur in 12. uncias ; testator enim potest dividere hereditatem in tot partes quot voluerit , ex *hoc* §. *l. interdum* , §. 1. *l. servum , §. hereditas , ff. h. tit.* quia testatoris voluntas lex est , & si testator ex semisse unum tantum heredem scripserit , non adjecto coherede , totus as in semisse erit , id est heres institutus ex semisse , ex asse & in solidum institutus intelligitur , quia nemo potest , præter militem , pro parte testatus , pro parte intestatus decedere , ex *hoc* §. & si quis ex certo fundo heres institutus sit , non adjecto coherede , institutio valet ex asse , detracta fundi mentione ; *l. 1. §. si*

ex

Source : BIU Cujas

ex fundo, ff. h. tit. & l. coheredi, in fin. de vulgar. & pupill. Heres inſtitutus ex certa re, in univerſum inſtitutus intelligitur, quia hereditas eſt univerſitas juris, hereditas etiam ſine ullo corpore juris intellectum habet; *l. hereditas, ff. de petit. her.* eaque eſt individua; *l. 8. ff. de rei vindicat.* & teſtator non de parte tantum, ſed de univerſis bonis teſtari voluiſſe præſumitur: & hoc eſt quod dicitur, cauſa teſtati trahit ad ſe cauſam inteſtati, & ſi teſtator minus diſtribuerit, id eſt aſſem hereditatis diſtribuerit in pauciores quam duodecim uncias, aſſis diſtributio poteſtate juris in hoc revolvitur, id eſt tacita interpretatione legis ad 12. uncias revocatur, puta ſi duos heredes, ſingulos ex quadrante ſcripſerit, ex ſemiſſe ſcripti videntur; *d. l. interdum*, §. 2. Similiter teſtator poteſt hereditatem dividere in plures quam 12. uncias, & ſi primum ex aſſe heredem inſtituerit, ſecundum ex ſemiſſe, primo ex aſſe inſtituto decreſcit, id eſt detrahitur pro rata, & primus habebit beſſem hereditatis, ſecundus trientem ſervata ſc. proportione dupla, ut primus altero tanto plus habeat, quam ſecundus; *d. l. interdum*, §. *ſed ſi exceſſerit*. Sed hoc correctum eſt conſtit. Juſtiniani; *l. cum quæſtio*, C. *de legat.* ex qua ſi primus heres inſtituatur ex aſſe, ſecundus ex ſemiſſe, vel primo legetur fundus in ſolidum, ſecundo pars dimidia fundi, duo ſemiſſes fient, id eſt æquales partes inter primum & ſecundum, quia teſtator a priore voluntate receſſiſſe intelligitur, & ademiſſe primo ſemiſſem, quem dedit ſecundo.

§. *ſi plures.*

SI plures heredes inſtituti ſint ex certis partibus, hoc caſu partium diſtributio neceſſaria eſt, id eſt diviſio hereditatis fiet ex iis partibus, ex quibus heredes ſcripti ſunt; quod ſi plures heredes inſtituti ſint, non adjectis partibus, ex æquis partibus heredes erunt, ex *hoc* §. *& l. quotiens*, §. *heredes, ff. h. tit.* quia heredes ſunt juris ſucceſſores, & non nominatis partibus teſtator æquas partes inter heredes feciſſe intelligitur. Idem in legatis; *l. legata*, §. *ult. ff. de legat.* 1.

Si teſtator duos ex certis partibus heredes inſtituerit, nec totum aſſem inter eos diviſerit, puta ſi ſingulos ex quadrante inſtituerit, & alium ſine parte heredem inſtituerit, is qui ſine parte inſtitutus eſt, quod aſſi deeſt feret, id eſt reliquum ſemiſſem, ex *hoc* §. *& l. item quod Sabinus, ff. h. tit.* Si duo heredes ſinguli ex quadrante inſtituti ſint, & alii duo, vel plures ſine parte ſcripti ſint, hi omnes in ea parte quæ deeſt ad aſſem implendum concurrunt, ex *hoc* §. *& d. l. item quod Sabinus*. Quod ſi duo ex undecim unciis inſtituti ſint, duo ſine parte, repudiante uno ex his, qui ſine parte ſcripti ſunt, ſemiuncia non adcreſcit ſoli ſine parte ſcripto, ſed omnibus, quia ſine parte inſtituti non ſunt conjuncti quoad jus adcreſcendi; *d. l. item quod Sabinus*, §. 1.

Si teſtator aſſe expleto, id eſt quibusdam inſtitutis ex certis partibus quæ aſſem complebant, alios ſine partibus heredes adjecerit, hoc caſu fiunt duo ſemiſſes, inſtituti ex nominatis partibus vocantur in ſemiſſem, & inſtituti ſine partibus in alterum ſemiſſem, ex *hoc* §. quia hoc caſu teſtator intelligitur alterum aſſem facere, id eſt hereditatem dividere in 24. uncias, & heredes inſtitutos ex certis partibus unum aſſem obtinere, inſtitutos ſine partibus alium aſſem, & hoc eſt quod ait Ulpian. in *d. l. item quod Sabinus*, §. *ſed ſi*. Sed ſi aſſe expleto alium ſine parte heredem ſcripſerit, in alium aſſem veniet, & idem in *l. ult. ff. de bonor. poſſ. ſec. tab.* ubi Paulus ait, eum, qui ſine parte heres inſtitutus eſt, vacantem partem, vel alium aſſem obtinere.

Source : BIU Cujas

§. *videamus*.

SI tres, puta Titius Seius & Mævius, ſinguli ex quadrante heredes inſtituti ſint, pars hereditatis quæ vacat, id eſt ſine herede eſt, tacite ſingulis heredibus pro hereditariis partibus adcreſcit, ac perinde habetur, ac ſi ſinguli ex triente ab initio inſtituti eſſent, ex *hoc* §. *& l. interdum*, §. *denique*, *ff. h. tit.* E diverſo ſi plures heredes inſtituti ſint in portionibus, id eſt ſi plures inſtituti ſint quam ſint partes hereditatis, ex quibus inſtituti ſint, hoc caſu tacite ſingulis decreſcit, pro rata, id eſt ſingulis detrahitur uncia, & perinde eſt ac ſi ſinguli ex quarta parte inſtituti eſſent, ex *hoc* §. *& d. l. interdum*, quia teſtator quidem poteſt dividere aſſem hereditatis in plures quam 12. uncias, & quot velit uncias facere, ſed per rerum naturam non poteſt augere numerum partium, quas vocant quotas, v. g. non poſſunt fieri in hereditate quatuor tertiæ, vel quinque quartæ, ſed ſi numerus partium exſuperatus ſit in perſonis heredum, revocatur ad numerum partium, quem natura ferre poteſt per decretionem, id eſt detrahendo ſingulis heredibus, quod neceſſe eſt.

§. *etſi plures*.

SI teſtator in plures uncias quam 12. aſſem diſtribuerit, & aſſe expleto, aliquem ſine parte heredem inſtituerit, is qui ſine parte inſtitutus eſt, id habebit quod dupondio deeſt, ex *hoc* §. id eſt quod omiſſum eſt a teſtatore in diſtributione dupondii. Dupondium eſt hereditas in duos aſſes, id eſt 24. uncias diviſa, quaſi duo pondo, id eſt duos aſſes. Et ſi teſtator dupondio expleto, aliquem ſine parte heredem ſcripſerit, is ſine parte inſtitutus obtinebit quod deeſt tripondio, & hæ omnes partes dupondii & tripondii heredibus aſſignatæ ad aſſem poſtea revocantur, id eſt ad aſſem conſtantem ex 12. unciis, quamvis ſint plurium unciarum quam 12. ex *hoc* §. Omnis enim diviſio hereditatis, quæ fit in plures quam 12. uncias, puta in dupondium vel tripondium, poteſt revocari ad aſſem, ſervata ſc. proportione, puta eadem hereditatis quota, ſive quis ex aſſe accipiat quatuor uncias, ſive ex dupondio octo, ſive ex tripondio duodecim, ſemper enim conſequitur tertiam partem hereditatis, & ita in *l. item quod Sabinus*, §. *ult. ff. h. tit.* ſi teſtator dupondio diſtributo alium ſine parte inſtituit, hic ſine parte inſtitutus non in alium aſſem vocatur, id eſt non vocatur in partem dupondii, ſed in treſſem ſive tripondium venit. Sic enim legendum recte animadvertit Hottomannus hoc loco pro trientem.

§. *heres & pure*.

HEres pure, & ſub conditione inſtitui poteſt, ex *hoc* §. *l.* 1. & paſſ. *ff. de condit. inſtit.* pure his verbis: *Titius heres eſto*: ſub conditione hoc modo: *Titius heres eſto, ſi navis ex Aſia venerit*. Quod dicitur heredem inſtitui poſſe ſub conditione, abſciſſe ſumptum accipiendum eſt de herede extraneo. Filius, qui eſt in poteſtate teſtatoris, poteſt inſtitui ſub conditione poteſtativa, non ſub caſuali vel mixta, alioqui teſtamentum nullum & irritum eſt, niſi ſub contraria conditione, in defectum conditionis exheredatus ſit; *l. ſuus*, *l. jam dubitari*, *ff. h. tit. l. filius a patre*, *de liber. & poſth. l. ult. de condit. inſtit. l. Lucius Titius*, *de condit. & demonſtrat. l. ſi pater*, *C. de inſtit. & ſubſtit.* Hodie ſi filius, qui eſt ſuus heres, inſtitutus ſit ſub conditione, teſtamentum ſuſtinetur, ſed conditio pro non ſcripta habetur; *l. quoniam in prioribus*, *C. de inoff. teſtam.*

Heres ex certo tempore, vel ad certum tempus inſtitui non poteſt, puta ex

ex *kalendis illis*, vel *usque ad kalendas illas heres esto*, sed dies adjectus pro supervacuo, id est pro non scripto, habetur, & perinde est, ac si pure heres institutus esset, ex *hoc* §. Et hoc est quod ait Papinianus in *l. hereditas, ff. h. tit.* hereditatem ex die vel ad diem non recte dari, sed vitio temporis sublato manere institutionem, id est circumscripto die institutionem puram haberi. Ex die heres institui non potest, quia heredis institutio non debet manere in suspenso, & successio heredis debet esse continua, nec ullo spatio temporis distincta, ut dominium rerum statim a defuncto transeat in heredem; *l. cum miles, ff. ex quib. caus. major.* quæ ait possessionem defuncti quasi junctam descendere ad heredem, optima ratione, ne dominium rerum maneat in suspenso; *l. ult. ff. comm. præd.*

Heres ex die certo institui non potest, ex die incerto hereditas dari potest; *l. in tempus, ff. h. tit. d. l. filius a patre, & l. ab omnibus*, §. *cum quidam, ff.* † *de legat.* 1. Dies enim incertus conditionem efficit; *l. dies, ff. de condit. & dem.* Heres nominatim ex die institui non potest, tacite potest institui ex die vel in diem, veluti: *cum capere poteris heres esto: cum morieris heres esto: cum adoleveris heres esto*; *d. l. in tempus, l. si mater, ff. de vulgar. & pupillar. l. extraneum, C. h. tit.* heres non potest institui ad diem, qui semel heres extitit, nunquam desinit heres esse; *l. ei qui, ff. h. tit.* ut heres rogatus, restituta hereditate nihilominus heres permanet; §. *restituta*, infr. *de fideic. hered.* & actiones directas penes se retinet etiam restituta hereditate, actiones utiles tantum transeunt in fideicommissarium; *l. si heres, ff. ad Trebell.* Et suus heres etiam si se abstineat, nihilominus heres manet, & jure civili tenetur creditoribus hereditariis, licet jure prætorio ab his conveniri non potest post abstentionem; *l. necessariis, ff. de adquir. hered.* & vendita hereditate, heres nihilominus non desinit esse heres, & si conveniatur a creditoribus hereditariis, legatariis, vel fideicommissariis, respondere tenetur, sed si quid præstiterit, id ab emptore repetit actione ex empto; *l. 2. C. de hered. vel act. vendit.*

Etiam legatum non potuit relinqui ad tempus, puta hoc modo: *lego tibi fundum illum usque in quinquennium*; sicut obligatio non potuit constitui ad tempus; *l. obligationum*, 44. §. 1. *ff. de oblig. & act.* Sed ex constitutionibus cum jam obtineret fieri temporales donationes & contractus; *l. 1. 2. & 3. C. de donat. quæ sub mod.* placuit ex voluntate defuncti legata & fideicommissa relinqui posse ad tempus; *l. ult. C. de legat.*

§. *impossibilis.*

IMpossibilis conditio adjecta institutioni legato vel fideicommisso, non vitiat, sed pro non scripta habetur, ex *hoc §. l. servum*, §. 1. *ff. h. tit. l. 3. de condit. & demonstrat.* & hoc receptum favore ultimarum voluntatum. Aliud in contractibus, conditio impossibilis adjecta stipulationi vitiat stipulationem; §. *si impossibilis*, infr. *de inutil. stipulat. l. non solum, ff. de oblig. & act.* quia appositа conditione impossibili, talis voluntas contrahentium & cogitatio fuisse videtur, ut nihil agi existiment; *d. l. non solum.*

§. *si plures.*

SI plures conditiones conjunctim institutioni adscriptæ sint, omnes implendæ sunt, & heres scriptus non fit heres, nisi utraque conditio extiterit: quod si plures conditiones disjunctim institutioni adjectæ sint, unam impleri sufficit, *ex hoc §. l. si heredi plures, ff. de condit. instit. l. cum pupillus*, §. 1. *de condit. & demonstrat.* Idem in conditionalibus stipulationibus; *l. si quis ita sti-*

Source : BIU Cujas

pulatus, *ff. de V. O.* Ratio in conjunctivis est, quia plures unius loco habentur; *d. l. si heredi plures*. Si pater filium heredem instituerit, & ei Titium substituerit, sub pluribus conditionibus disjunctivis, puta si sine testamento, vel sine liberis, vel sine nuptiis decesserit, substitutioni non est locus, nisi omnes conditiones substitutionis extiterint; *l. generaliter*, C. *de instit. & substitut.* quia disjunctiva posita inter conditiones, resolvitur in conjunctivam favore liberorum, ut alias sæpe usuvenit disjuncta pro conjunctis accipi, & retro; *l. sæpe*, *ff. de V. S.*

§. *ult.*

IGnoti heredes institui possunt, ut si quis fratris filios peregre natos instituat, institutio valet, ut *hic:* vel si quis instituat extraneum etiam penitus ignotum; *l. extraneum*, C. *h. tit.* Nec obstat quod incerta persona heres institui non potest; *l. sciendum*, *ff. de V. S. l. quoties*, §. *heres*, *ff. h. tit. l.* 1. C. *de incert. person.* quia ignoti, etsi non sint nobis noti de facie, non sunt ignoti affectu, nec incerti, puta filii fratris peregre nati, quos affectu sanguinis diligimus. Alias peregrini seu advenæ institui non possunt; *l.* 1. C. *h. tit. l. sed si*, §. *solemus*, *ff. eod.* quia sunt incapaces eorum quæ sunt juris civilis: soli cives Romani habent factionem testamenti activam & passivam. Hoc argumento Archiam poetam in civium numero habitum probabat M. Tull. in orat. pro eo habita, quod eo tempore, quo peregrinitatis reus fiebat, testamentum legibus Romanis feciisset, & civium Rom. hereditates ex testamento cœpisset: *Iis temporibus, quæ tu criminaris, ne ipsius quidem judicio, eum in civium Romanorum jure esse versatum, & testamentum sæpe fecit nostris legibus, & adiit hereditates civium Romanorum*. Et hoc jure in Gallia peregrini & advenæ non possunt facere testamentum, neque capere ex testamento, & fiscum habent heredem, nisi sacro diplomate jure civium donati sint; aliud juris erat ex constitutione Friderici II. *auth. omnes peregrini*, C. *comm. de succeſſ.* & lege Gothica; Cassiodor. 9. *var.* 14.

De vulgar. substitutione.

CAP. XV.

In princ.

INstitutionum duo sunt genera, institutio proprie dicta, & substitutio. Institutio est heredis institutio, quæ fit verbis directis primo gradu, ut *Titius heres esto*. Substitutio est heredis institutio, quæ fit verbis directis secundo gradu, vel tertio, ut *si Titius heres non erit, Seius heres esto; l.* 1. *ff. h. tit.* Idcirco substitutio vocatur secundi heredis institutio; *l. ex facto*, §. *Lucius*, *ff. h. tit.* & substitutus secundus heres; M. Tull. 2. de invent. *de hereditate ea, quæ pupillo venit, inter eos, qui patris pupilli secundi heredes sunt, & inter agnatos pupilli controversia est, possessio heredum secundorum est*. Tacit. 1. Annal. de testamento Augusti: *in spem secundam nepotes, tertio gradu primores civitatis scripserat*. Et Plin. lib. 7. cap. 5. *Massurius auctor est, L. Papyrium prætorem secundo herede lege agente bonorum possessionem contra eum dedisse*. Potest testator in suo testamento plures heredum gradus facere per substitutionem, veluti *si Titius heres non erit, Seius heres esto*, & deinceps ut novissimo loco seu gradu, vel servum necessarium heredem instituat, ex *princ. h. tit. l. potest*, *ff. h. tit. l. cum in testamento*, *de hered. inst.* Plures gradus substitu-

Source : BIU Cujas

ſtitutionum in infinitum fieri poſſunt, & deficiente primo ſecundus habetur pro primo: & hoc eſt quod dicitur, ſubſtitutus ſubſtituto, ſubſtitutus intelligitur primo inſtituto; *l. coheredi, ff. h. tit. l. 2. §. 4. ff. de bonor. poſſ. ſec. tab.* Sicut perempto primo gradu inſtitutionis, teſtamentum incipit a ſecundo; *l. 3. §. ult. ff. de liber. & poſth. l. Lucius, l. quidam teſtamento, l. ex facto, §. Lucius, de vulgar. & pupillar.* & heres heredem, ut fluctus fluctum impellit Horat. 2. epiſt. 2.

.... *perpetuus nulli datur uſus, & heres*
Heredem † alternis, velut unda ſupervenit undam.

Per vulgarem plures gradus ſubſtitutionum in infinitum fieri poſſunt, ſubſtitutio vero fideicommiſſaria facta in infinitum, non extenditur ultra quartum gradum; *nov. 159.* ubi prohibitio alienationis, quæ inducit fideicommiſſum non producitur ultra quartum gradum. Ex conſtitutionibus regiis in ratione graduum ſubſtitutionum variatum: conſtit. Aurelianenſi ſubſtitutiones non egrediuntur ſecundum gradum: Molisnenſi, qua noſtri utuntur, porriguntur ad quartum usque gradum incluſive, dempto gradu heredis ſcripti.

§. *& plures.*

SUbſtitutionum duæ ſunt ſpecies, vulgaris & pupillaris. Vulgaris eſt, quæ uſitato & pervulgato modo fit, hac formula, *ſi Titius heres non erit, Seius heres eſto.* Solebant Romani, teſtamento ſubſtituere, ſi heres ſcriptus heres non eſſet; Appian. de bell. civil. libr. 2. de teſtamento Julii Cæſaris: Δέκιμος ὁ Βροῦτος ἐν τοῖς δευτέροις κληρονόμοις ἐγέγραπτο παῖς ἔθος γάρ τοι Ρωμαίοις παραγράφειν τοῖς κληρονόμοις ἑτέρους, εἰ μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι. *Decimus Brutus inter ſecundos heredes ſcriptus erat filius, ſolent enim Romani ſecundos heredes adſcribere, ſi forte priores heredes non extiterint.* Et hujusmodi ſubſtitutio inſtituta eſt lege 12. tab. per quam libera erat teſtandi poteſtas; *l. verbis legis, ff. de V. S.* Subſtitutio pupillaris fit impuberi ſuo heredi, & moribus introducta eſt; *l. 2. ff. h. t.* quoniam fit jure patriæ poteſtatis, quod moribus introductum eſt; *l. patre furioſo, ff. de his qui ſui vel alien. jur.* & poſt mortem patris non durat ultra pubertatem; *l. impuberi, ff. de adminiſtrat. tut.*

Vulgaris ſubſtitutio fit in caſum non aditæ hereditatis, ſi Titius heres non erit: ſubſtitutio pupillaris fit in caſum adquiſitæ hereditatis, ſi filius meus heres erit & impubes deceſſerit, & vulgaris facta dicitur in primum caſum, pupillaris in ſecundum; *l. precibus, C. de impuber.* Et ſubſtitutionem, quæ fit impuberi in hunc caſum, ſi filius heres factus intra pubertatem deceſſerit, Ulpian. *libr. regul. tit. 23. §. liberis* ait fieri jure proprio, id eſt jure ſingulari moribus recepto, quia pater ſubſtituere poteſt filio impuberi etiam eo pacto quo extraneo, ut ibidem ait Ulpianus, nempe in primum ſeu vulgarem caſum ſi heres non erit. Subſtitutio vulgaris finitur aditione hereditatis pupillaris pubertate; *l. in pupillari, l. ex facto, ff. h. tit. l. 5. C. de impuber.* & plures uni ſubſtitui poſſunt, vel unus pluribus, vel ſinguli ſingulis, vel ipſi heredes inſtituti invicem ſubſtitui poſſunt, ex *hoc* §. & hæc eſt quæ dicitur ſubſtitutio reciproca; *l. jam hoc jure, §. 1. ff. h. tit.* dicitur etiam mutua; *l. cum proponebatur, ff. de legat. 2.* Subſtitutio reciproca eſt, quæ fit hoc modo, *primus, & ſecundus heredes ſunto, eosque invicem ſubſtituo.*

§. *etſi ex disparibus.*

SI plures heredes ex diſparibus partibus inſtituti ſint, & invicem ſubſtituti, non deſignatis in ſubſtitutione partibus, ex iisdem partibus ſubſtituti viden-

Source : BIU Cujas

tur, ex quibus instituti, ex constitutione D. Pii ; *l. si plures, ff. h. tit. l. 1. C. de impub.* unde descriptus est *hic* §. Ratio est, quia partes in institutione expressæ, tacite in substitutione repetitæ intelliguntur ; *d. l. 1.* Hæc decisio locum obtinet, cum testator sub appellatione heredum eos substituit, nam si propriis nominibus substitutos designasset, veluti *si Titius heres non erit, Seius & Sempronius heredes sunto*, partes æquales in substitutione datæ Seio & Sempronio intelliguntur ; *l. si heredes, ff. de legat. 1. l. nonnunquam, ad Trebell.*

§. *Sed si instituto.*

SUbstitutus substituto est substitutus instituto : finge, testator duos heredes scripsit Titium & Mævium, ac Titio Mævium substituit, item Mævio Sempronium substituit, si Titius & Mævius uterque repudiaverint hereditatem, Sempronius, qui fuit Mævio substitutus, sine distinctione feret utramque partem jure substitutionis, ex constitutione D. Severi & Antonini, ex *hoc* §. *& l. si Titius, ff. h. tit.* Justinianus ait, sine distinctione, quia non distinguitur, utrum secundus substitutus sit antequam primus, cui substitutus est, coheredi substitueretur, vel postea, nec distinguitur utrum is cui substitutus est decesserit post institutum, aut ante ; *l. coheredi, in princ. ff. h. tit.*

§. *ult.*

SI quis servum alienum, quem liberum esse putabat, heredem instituerit, eique, si heres non esset, Mævium substituerit, & servus institutus jussu domini hereditatem adierit, Mævius substitutus in partem admittitur, quia in dubio verba illa, si heres non erit, ita accipiuntur, si hereditatem sibi, vel ei, cujus juri postea subjectus esse cœperit, non adquisierit, *ex hoc* §. *& l. si paterfam. ff. de hered. instit.* Dubitari poterat, an valeat institutio servi, quem testator liberum esse existimabat, quia error in corpore hominis vitiat institutionem, ut si quis alium pro alio scripserit, neuter heres est, neque is qui scriptus est, quia voluntate destituitnr, neque is de quo cogitavit testator, quia scriptus non est ; *l. quotiens, ff. de hered. instit.* Item si quis aliquem ut filium heredem instituerit, quem, falsa opinione ductus, suum esse credebat, non instituturus si alienum nosset, isque postea subditus & supposititius apparuerit, hereditas ei aufertur ; *l. si pater, C. de hered. instit.* Quod si ipsa per se non valet institutio, ineptum est dicere, institutionem propter substitutionem valere, quia ubi institutio non valet, substitutio valere non potest ; *l. ex pupillari, ff. de vulgar. & pupillar.* Sed hoc casu in dubio, cum testator heredem scripsit servum alienum, quem liberum esse credebat, eique, si heres non esset, Mævium substituit, præsumitur eo animo fuisse, ut vellet valere institutionem, si per se heres sit, vel alium adeundo heredem faciat, id est dominum, nec tamen res carebat magna dubitatione, ideoque in dubio ex præsumpta voluntate testatoris hereditas dividitur inter dominum heredis instituti, & substitutum, & in dubio rei expediendæ causa sequimur judicium rusticorum. Neque pugnat *l. 3. C. de hered. instit.* ubi si quis aliquem ut libertum suum heredem instituerit, eique, si heres non erit, Mævium substituerit, & post mortem testatoris institutum servum communem testatoris & fratris ejus esse apparuerit, an substitutus admittatur, voluntatis est quæstio, nam hic substitutus admittitur ex voluntate testatoris, & ibi agitur de testamento militis, in quo sola voluntas spectatur.

De

Source : BIU Cujas

De pupillar. ſubſtitutione.

CAP. XVI.

In princ.

JUre moribus introducto, pater liberis impuberibus, qui ſunt in poteſtate, tam vulgariter, quam pupillariter ſubſtituere poteſt, hoc modo, *ſi filius meus heres non erit, vel ſi heres extiterit, & intra pubertatem deceſſerit*, ex *init. h. tit. & l. 2. & 4. ff. de vulgar. & pupill.* Ait liberis impuberibus, qui ſunt in poteſtate, quia ſubſtitutio pupillaris fit jure patriæ poteſtatis, quæ poſt mortem patris durat usque ad pubertatem filii; *l. impuberi, ff. de adminiſtr. tut.* Cum enim ante pubertatem teſtari non liceat, æquiſſimum viſum, ad eam usque ætatem liberos in poteſtate patris verſari, & patrem eis teſtamentum facere poſſe. Hinc mater, quæ non habet liberos in poteſtate, non poteſt eis pupillariter ſubſtituere, poteſt quidem filium impuberem cum erit annorum 14. heredem inſtituere, eique pupillaribus tabulis, ſi ſibi heres non erit alium ſubſtituere; *l. ſi mater, ff. de vulgar. & pupillar.* Sed hæc ſubſtitutio, etſi pupillaris videtur, quia confertur in caſum, ſi filius impubes deceſſerit, nec formulam nec effectum habet pupillaris, quia ſubſtitutus matris tantum, non pupilli bona obtinebit. Per vulgarem ſucceditur teſtatori, per pupillarem pupillo, quia ſubſtitutio pupillaris eſt teſtamentum filii; *d. l. 2. & 4.*

§. 1. §. *maſculo.*

JUre civili pater potuit ſubſtituere filio puberi, muto, vel furioſo, non ſine reſcripto Principis; *l. ex facto, in princ. ff. de vulgar. & pupillar. l. heres furioſi, de petit. hered.* Conſtitut. Juſtiniani parentes utriusque ſexus, id eſt pater & mater, liberis furioſis vel mente captis cujuscumque ſexus vel gradus, etſi puberes ſint, ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis ſubſtituere poſſunt; *l. humanitatis, C. de impuber.* unde deſumptus eſt *hic* §. 1. Hæc ſubſtitutio dicitur exemplaris, quia ad exemplum pupillaris comparata eſt: Juſtinianea, quia Juſtinianum auctorem habet, a quo introducta eſt: ad exemplum pupillaris, quia furioſus pupillo æquiparatur; §. † *ſed quod diximus*, infr. *de inutil. ſtipulat.* Multæ ſunt tamen differentiæ has inter ſubſtitutiones. Subſtitutio pupillaris non fit niſi a patre, qui liberos habet in poteſtate: at exemplaris fit a parentibus utriusque ſexus humanitatis intuitu, quæ ex æquo ſpectatur in utroque parente; *d. l. humanitatis.* Subſtitutio pupillaris fit liberis impuberibus: exemplaris liberis puberibus, *ex ead. leg.* nam ſi fiat impuberibus mente captis, ante pubertatem eſt pupillaris. Pupillaris finitur pubertate, ex *utroque hoc* §. *d. l. ex facto, & l. in pupillari, ff. eod. tit. l. 5. C. de impuber.* exemplaris reſipiſcentia & ſanæ mentis recuperatione; *d. l. ex facto, & d. l. humanitatis.* Subſtitutio pupillaris fit etiam in legitima; *l. ex tribus, C. de inoff. teſt.* ſubſtitutio exemplaris fit ſalva legitima; *d. l. humanitatis.* Pupillariter quemlibet etiam extraneum ſubſtituere licet: at exemplariter non licet ſubſtituere, niſi certas perſonas, id eſt liberos mente captos, vel his deficientibus fratres ſi extent; *d. l. humanitatis*: unde ſubſtitutio furioſo facta finitur agnatione ſui heredis; *d. l. ex facto.*

Source : BIU Cujas

§. *igitur*.

IN pupillari substitutione duo quodammodo sunt testamenta. Alterum patris ratione institutionis & vulgaris substitutionis, quæ inest pupillari. Alterum filii ratione pupillaris substitutionis, quæ habetur pro testamento ipsius filii pupilli, aut certe est unum testamentum duarum causarum, id est hereditatum, ex *hoc* §. Utrum testamentum patris, & filii impuberis, unum & simplex sit, an duplex, controversum inter Sabinianos, & Proculianos. Proculiani duplex esse disputabant, Sabiniani unum & simplex, quorum sententia prævaluit; *l. paterf. ff. de reb. auct. judic. possid.* Ideoque ex Sabinianorum sententia, si testamentum patris & filii uno contextu fiat, septem testes sufficiunt; *l. patris, ff. de vulgar. & pupillar.* & legata relicta primis & secundis tabulis contribuuntur, ita ut ex his una falcidia detrahatur; *l. in ratione*, §. *quod vulgo, ff. ad leg. falcid.* Et substitutus pupillo non potest separare hereditatem paternam a pupillari, ut videlicet unam adeat, alteram repudiet, sed utramque debet adire, aut repudiare; *l. sed si plures*, §. *filio, ff. de vulgar. & pupillar.* & tenetur solvere æs alienum tam patris, quam filii; *d. l. paterf.* Et si heres institutus & rogatus hereditatem restituere, coactus a fideicommissario eam adierit, aditione confirmantur, non solum legata & libertates, sed etiam secundæ tabulæ, quia sunt pars prioris testamenti; *l. qui plures*, §. *ult. ff. de vulgar. & pupillar.*

§. *sin autem*.

OLim patres solebant pupillares tabulas seorsim facere, & obsignare a primis tabulis testamenti, & in prioribus tabulis cavere, ne pupillares, seu secundæ tabulæ, aperirentur, priusquam filius impubes decessisset, ex *hoc* §. & *l. ult. ff. ad Trebell.* quo sc. tutior esset salus pupilli, dum ignoraretur quis ei esset substitutus. Sed etsi testator non cavisset, ne pupillares tabulæ aperirentur, attamen si testator eas seorsim a prioribus tabulis obsignatas reliquisset, prætor eas aperiri, nisi causa cognita, non patiebatur; *l. pupillares, ff. testam. quemadm. aper.* quia vitæ pupilli timendum est a substituti insidiis, & malis votis; Persius satyr. 2.

Pupillumve utinam quem proximus heres
Impello, expungam.

Eodem forte consilio edicto Neronis cautum, ut primæ duæ ceræ, id est primæ & secundæ tabulæ testamenti, quibus continebatur heredis institutio & substitutio, inscripto tantum testatoris nomine, cetera vacuæ signatoribus ostenderentur, ut nomen heredis & substituti ignoraretur; Tranquill. in Neron. cap. 17. *Cautum, ut in testamentis primæ duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur.*

§. *non solum*.

PAter filio impuberi, non tantum instituto, sed etiam exheredato, pupillariter substituere potest, & ex substitutione pupillari ad substitutum pertinent, non tantum bona paterna, sed etiam adventitia pupilli, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *substituere, l. sed si plures*, §. *ad substitutos, ff. de vulgar. & pupillar.* Et hoc non sine controversia fuisse intelligitur ex ea quæstione, quæ proponitur apud M. Tull. 2. *de invent.* inter substitutum & agnatos pupilli, ad quem pertinerent bona pupilli postea quæsita. Ratio dubitandi erat, quod lege 12. tab. non licet disponere, nisi de rebus suis; *l. verbis legis, ff. de V. S.* & ab eo cui nihil relictum est, fideicommissum relinqui non potest; *l. ab eo, C. de fidei-*

Source : BIU Cujas

fideicommiſſ. Sed ab eo, cui nihil relictum eſt, fideicommiſſum relinqui non poteſt, quia fideicommiſſum eſt onus; *l. ſi adrogator*, §. 1. *ff. de adopt. l. 2. in fin. ff. de ſuis & legitim.* At exheredato pupillariter ſubſtitui nihil vetat, quia ſubſtitutio pupillaris non eſt onus, ſed beneficium pupillo, cum ſit teſtamentum pupillare, & ſubſtitutus pupillaris non patri, ſed filio heres ſit. A filio pubere exheredato legatum & fideicommiſſum relinqui non poteſt; *l. coheredi*, §. *quod ſi heredem, ff. de vulgar. & pupillar. l. ab exheredati, ff. de legat.* 1. *l. cum quidam*, C. *de legat.* Pater vero pupillariter ſubſtituere poteſt, non modo jam natis liberis, ſed etiam poſthumis, ex *hoc* §. *& l.* 2. *ff. de vulgar. & pupill.* de quo diſputatum in cauſa Curiana, de qua M. Tullius 1. *de orator. in topic. & pro Cæcin.* Et Quintil. *inſtit. libr.* 7. *cap.* 6. Dices ſubſtitutio pupillaris fit jure patriæ poteſtatis, at poſthumi antequam naſcantur non poſſunt dici eſſe in poteſtate patris; *l. ult. ff. de collat.* Sed hoc facile eſt ſolvere: poſthumi, cum quæritur de collatione, non poſſunt dici eſſe in poteſtate, quoniam non poſthumis, ſed natis confertur; *d. l. ult.* Verum cum agitur de ſubſtitutione pupillari, poſthumi pro natis habentur, quia ad eorum commodum pertinet, quo caſu poſthumi pro natis habentur; *l. qui in utero* 7. *ff. de ſtat. homin.*

§. *liberis.*

PAter filio impuberi teſtamentum facere non poteſt, niſi & ſibi faciat, id eſt niſi ſibi heredem prius inſtituat, ex hoc §. *& l.* 1. §. *ult. & l.* 2. *ff. de vulgar. & pupillar.* Nam pupillare teſtamentum pars & ſequela eſt paterni teſtamenti, ut ſubditur in *hoc* §. & hoc eſt quod dicitur in *l. qui plures* 38. *in fin. ff. de vulgar. & pupillar.* pupillares tabulas partem eſſe prioris teſtamenti, & quod in *l. pen. ff. teſtam. quemad. aper.* ſicut codicilli pars ſunt teſtamenti, ſecundas tabulas principalium tabularum partem obtinere videri. Hinc pupillaris ſubſtitutio, per ſe conſiſtere non poteſt ſine heredis inſtitutione; *d. l.* 1. §. *ult.* cum ſit appendix & ſequela paterni teſtamenti, unde injuſto rupto irrito facto teſtamento, pupillare evaneſcit, ex *hoc* §. *& d. l.* 2. Et reſciſſo teſtamento paterno per querelam inofficioſi, etiam reſcinditur pupillare teſtamentum; *l. Papinianus*, §. *ſed nec impuberi, ff. de inoff. teſtam.* Hodie ex cauſa præteritionis vel exheredationis irritum fit teſtamentum quoad heredis inſtitutionem, cetera vero firma permanent; *auth. ex cauſa*, C. *de liber. præterit. vel exheredat.* Ita ut conſerventur legata & fideicommiſſa, tam univerſalia, quam particularia, etiam ſubſtitutio pupillaris.

§. *ut ſingulis.*

PAter, qui plures liberos impuberes heredes inſtituit, & ſingulis liberis vel noviſſimo eorum, qui impubes morietur, ſubſtituere poteſt: ſingulis ſi neminem eorum inteſtatum decedere velit, nam ſubſtitutus unicuique excludet legitimum heredem: noviſſimo morienti ſi jus legitimarum hereditatum integrum inter eos cuſtodiri velit, ex *hoc* §. qui deſumptus eſt ex *l. vel ſingulis, ff. de vulgar. & pupillar.* Notandum eſt quod dicitur his locis, ſubſtitutione pupillari facta ſupremo morienti e pluribus impuberibus heredibus inſtitutis, inter eos conſervari jus legitimarum hereditatum, ex eo enim aperte colligitur, ex hujusmodi ſubſtitutione pupillari facta ſupremo morienti e pluribus impuberibus liberis heredibus inſtitutis, non induci reciprocam pupillarem inter fratres inſtitutos, nam ſi eſſent invicem ſubſtituti, non eſſet locus legitimæ ſucceſſioni inter eos. Aliter in fideicommiſſis ex ſubſtitutione fideicommiſſaria facta ultimo decedenti in tota hereditate, vel in toto fundo, inducitur reciproca fideicommiſſaria inter coheredes vel collegatarios; *l. Titia Seio*, §. *Seia liber.*

Source : BIU Cujas

zis, *ff. de legat.* 2. ex conjectura sc. voluntatis, quia non potest aliter tota hereditas vel totus fundus pervenire ad novissimum e liberis, & ab eo ad substitutum, nisi fratres invicem substituti sint, & hac in re distinguitur substitutio directa a fideicommissaria, quod fideicommissaria inducitur ex conjecturis, directa non nisi expressis verbis; *d. l. vel singulis*, *l. cum proponebatur*, *l. unum ex familia*, §. *ult. l. qui solidum*, §. 1. *ff. de legat.* 2. *l. jubemus*, *C. de testament.*

§. *substituitur*.

PAter filio impuberi substituere potest, aut nominatim, veluti, *si filius meus impubes decesserit*, *Titius heres esto*, vel generaliter, veluti, *quisquis mihi heres erit*, *idem filio impuberi heres esto*. Ex substitutione pupillari vocantur illi qui & scripti sunt heredes & extiterunt, ex *hoc* §. id est illi qui per se in testamento paterno scripti sunt heredes. Itaque pater aut dominus, qui per filium aut servum adquisiit hereditatem, ex substitutione pupillari heres vel heres heredis non fit, quia non venit ex judicio defuncti. Ex substitutione pupillari vocantur & qui adierunt hereditatem paternam, nam substitutus pupillaris, qui paternam repudiavit, non potest adire pupillarem; *l. qui liberis*, §. 1. *l. sed si plures*, §. *filio*, *ff. de vulgar. & pupillar.* Heredes instituti a patre & substituti filio impuberi, ex iisdem partibus substituti intelliguntur, ex quibus instituti sunt, ex *hoc* §. *d. l. qui liberis*, *& d. l. sed si plures*, quia testamentum pupillare pendet ex testamento paterno.

§. *ult.*

SUbstitutio alia est directa, alia fideicommissaria sive precaria. Directa est quæ fit verbis civilibus & directis, ut, si filius heres non erit, Seius heres esto; *l.* 1. *ff. de vulgar. & pupillar.* qualis est vulgaris & pupillaris; *l. verbis*, *l. coheredi*, §. 2. *ff. eod.* Precaria sive fideicommissaria quæ fit verbis precariis, veluti, rogo, volo, mando; *l. cum proponas*, *C. de pact. l. eam quam*, *C. de fideicommiss. l.* 2. *C. comm. de legat.* Filio puberi vel extraneo heredi instituto, non potest directo substitui, id est non potest ita substitui, ut, si heres extiterit, & intra certum tempus decesserit, alius ei sit heres, sed ei per fideicommissum substitui potest, ita ut per fideicommissum obligetur a testatore alii hereditatem vel in totum vel pro parte restituere, ex *hoc* §. Verum hæc improprie & abusive dicitur substitutio; *l. cum pater*, §. *volo*, *ff. de legat.* 2. *l. heredes mei*, §. 1. *& 2. ff. ad Trebell.* & potius est restitutio; *l. sancimus* 53. §. *item illud*, *C. de Episc. & cleric. l. ult. C. de his qui veniam ætat. impetr.* quia substitutus directo in heredis deficientis locum succedit, & fit heres: fideicommissarius vero, cui hereditas ex fideicommisso restituta est, non est heres, sed heredis vice; §. † *& Neronis*, infr. *de fideicommiss. heredit. l.* 1. §. † 2. *l.* 4. cum *l. ille a quo*, *ff. ad Trebell.* & quod ex fideicommisso adquiritur, hereditatis nomine non continetur; *l.* 1. *in fin. ff. de jur. codicillor.*

Quib.

Source : BIU Cujas

Quib. mod. testament. † infirment.

CAP. XVII.

In princ.

IN hoc tit. non agitur de omnibus testamentorum vitiis, sed tantum de injusti rupti labe, ut satis ostendit Justin. ex eo quod ait *init. h. tit.* testamentum jure factum eo usque valere donec rumpatur irritumve fiat, & latius patet *tit. D. de injust. rupt. irrito facto testamento*. Injustum, aut non jure factum testamentum est, in quo solemnia juris desiderantur, puta numerus septem testium, subscriptiones, & signa; *l.* 1. *ff. de injust. rupt. l.* 6. *ff. ad l. Cornel. de fals.* Idem imperfectum testamentum dicitur, quod non est subscriptum & signatum a testibus; *l. ex imperfecto*, *l. hac consultissima*, *C. de testam.* Nullum est, quod ipso jure nullum est ab initio ob præteritionem sui heredis; ruptum est, quod rumpitur posteriore testamento, vel agnatione sui heredis; irritum est, ex quo non aditur hereditas; *d. l.* 1. *de injust. rupt.* quod proprie dicitur desertum vel destitutum. Ex testamento enim, ex quo non est adita hereditas, nihil debetur, & legata intercidunt; *l. eam quam*, *C. de fideicommiss.* Et ita nullum ab irrito recte distinxit Plin. lib. 36. cap. 2. *Nullæ potius quam irritæ leges.*

§. I.

TEstamentum rumpitur adoptione vel adrogatione filii vel filiæ, quasi agnatione sui heredis, ex *hoc §. & l.* 8. *ff. de injust. rupt.* quia adoptio imitatur naturam; *l. filio quem*, *ff. de liber. & posthum.* & per eam agnascuntur liberi, qui rumpunt testamentum quasi agnascendo.

§. posteriore. §. ex eo autem.

PRius testamentum perfectum rumpitur posteriore perfecto, etiam si ex posteriore testamento nemo heres extiterit, puta si heres scriptus aut noluerit heres esse, aut vivo testatore aut post mortem ejus decesserit, ante aditam hereditatem, aut conditione sub qua institutus est defectus sit; §. *posteriore*. Prius testamentum non rumpitur posteriore imperfecto, nisi posterius jure militari factum sit, vel in posteriore institutus sit is, qui omnino ab intestato ad hereditatem vocatur, quo casu posterius testamentum valet, non quasi testamentum, sed quasi voluntas ultima intestati; *l.* 2. *ff. de injust. rupt. l. si jure*, *ff. de legat.* 3. *l. hac consultissima*, §. *si quis autem*, *C. de testam.* Testamentum rumpitur posteriore testamento perfecto, quia ambulatoria est voluntas hominis usque ad mortem; *l.* 4. *ff. de adimend. legat.* neque potest quisquam eam sibi legem dicere, ne a priore sibi voluntate recedere liceat; *l. si quis in principio*, *ff. de legat.* 3. Testamentum non rumpitur nuda voluntate, & pœnitentia, puta si testator declaraverit se nolle prius testamentum valere, sed testamento rite perfecto, quod introductum oratione D. Pertinacis; §. *ex eo autem*, de qua Capitolin. in Pertinac. *Legem hanc tulit, ut testamenta priora non prius essent irrita, quam alia perfecta essent.* Testamentum, inquam, non infirmatur nuda voluntate, nisi voluntas facto aliquo declarata sit, puta si testator testamentum deleverit vel inciderit, utpote voluntate mutata testamentum irritum fit; *l.* 1. *ff. de his quæ in testam. delent. l. pen. C.*

Source : BIU Cujas

de testament. Olim testamentum evertebatur solo decennio ; *l. 6. C. Th. de testam.* ex præsumpta mutatione voluntatis lapsu tanti temporis, quo se referre videtur Plin. libr. 8. epist. † 18. *Quinetiam Domitius Afer, qui illos in nomen assumpsit, reliquit testamentum ante octo & decem annos nuncupatum : adeoque postea improbatum sibi, ut patris eorum bona proscribenda curaverit.* Constit. Justiniani testamentum non antiquatur solo decennio, si contraria voluntas testatoris non appareat, quod enim non mutatur, cur stare prohibetur ? sed si medio tempore testator coram tribus testibus, vel apud acta declaraverit, se nolle prius testamentum valere, decennio infirmatur ; *l. sancimus, C. de testament.*

§. sed & si quis.

TEstamentum prius rumpitur posteriori æque perfecto, etiam si in posteriore heres scriptus sit ex certis rebus, ex rescripto Severi & Antonini, quod si testator in posteriori testamento fideicommiserit, ut prius testamentum valeret, prius testamentum non valet ut testamentum, quia nemo potest decedere cum duobus testamentis, nisi miles ; *l. quærebatur, ff. de testam. milit.* sed convertitur in causam fideicommissi ; *l. posthumus, §. 1. ff. de injust. rupt. l. si quis priore, ad Trebell.* unde desumptus est *hic §.* Et heres scriptus in posteriore testamento tenetur restituere hereditatem instituto priore testamento, deductis rebus sibi datis, vel suppleta quarta ex lege falcidia, id est suppleta quarta Trebellianica, quæ persæpe falcidiæ nomine intelligitur, quia exemplo falcidiæ introducta est ; *§. sed quia heredes*, infr. *de fideic. hered. l. coheredi, §.* † *cum filia, de vulgar. & pupillar.*

† Corrig. §. *cum filiæ*, & v. si probat, & an trahi possit ex §. *quod si heredem.*

§. alio autem modo. §. hoc autem.

TEstamentum rumpitur, manente in eodem statu testatore, agnatione sui heredis, vel quasi agnatione, ut adoptione, vel adrogatione filii. Testamentum rumpitur mutatione status testatoris ex capitis diminutione maxima, puta si captus sit ab hostibus, vel si ultro se venundari passus sit ad actum gerendum, vel pretii participandi causa, vel si capite damnatus sit, ex *utroque hoc §. & l. si quis filio, §. irritum & seq. ff. de injust. rupt.* Irritum etiam fit testamentum, & ex eo soluta legata repetuntur, si defuncti memoria damnata sit, ob crimen perduellionis ; *l. cum filius, §.* † *ult. ff. de legat. 2.*

§. ult.

EX oratione D. Pertinacis Princeps non admittit hereditatem litis causa, id est ut potentior adversarius opponeretur, sibi relictam, ex *hoc §. & l.* † *ex hoc edicto, ff. de alienat. judic. mut. caus.* quia Imperatorem litis causa heredem instituí, invidiosum est ; *l. pen. ff. de hered. instit.* Æque ex testamento imperfecto & minus solemni Princeps non capit hereditatem, quia etsi Princeps legibus solutus sit, secundum leges vivere debet, ex *hoc §. & l. ex imperfecto, de legat. 3. l. 3. C. de testam.* Immo testamentum jure & solemniter scriptum, non rumpitur posteriore nuncupativo, in quo Princeps heres nuncupatus sit ; Capitolin. in Pertinac. *Ipseque professus est, nullius se aditurum hereditatem, quæ aut adulatione alicujus delata esset, aut lite perplexa, ut legitimi heredes & necessarii privarentur, &c.*

† V. si probat. Faciunt *l. ult. ff. qui testam. facere poss. l. 22. §. lites donatas, de jur. fisc. l. 2. C. ne fisc. vel resp. Paul. 5. sent. 12. §. 7. & 8.*

De

Source : BIU Cujas

De inoffic. teſtament.

CAP. XVIII.

In princ.

TEſtamentum inofficioſum eſt, in quo liberi, vel parentes præteriti ſunt, vel injuſte exheredati; M. Tull. Verrin. 3. *Teſtamentum P. Annius fecerat, non improbum, non inofficioſum, non inhumanum.* Id vero reſcinditur per querelam inofficioſi teſtamenti. Querela inofficioſi eſt actio in rem petitione hereditatis, ex cauſa de inofficioſo teſtamento, quæ datur liberis injuſte exheredatis, vel præteritis, qui pro exheredatis habentur, veluti præteritis a matre, vel avo materno; præteritio enim matris, vel avi materni, pro exheredatione habetur; §. *ult.* ſupr. *de exhered. liberor.* Hæc actio modo dicitur querela, modo actio, modo accuſatio; *l. poſthumus*, §. *ult. l. quemadmodum*, *in fin. l. qui repudiantis*, *ff. h. tit.* quia impugnat judicium defuncti; modo petitio hereditatis; *l. ſi quis filium*, *C. h. tit.* quia reſciſſo teſtamento per querelam inofficioſi, uno eodemque judicio exheredatus fert hereditatem ab inteſtato, & ideo querela inofficioſi agebatur apud centumviros; *l. Titia*, *l. qui repudiantis*, *ff. h. tit.* quia continet petitionem hereditatis, quæ eſt centumvirale judicium; *l. 5. in fin. ff. de petit. hered. l. ult. C. eod.* M. Tull. 1. *de orator.* Hoc diſtat a petitione hereditatis, quod petitio hereditatis datur adverſus eum qui pro herede vel pro poſſeſſore poſſidet, querela inofficioſi non datur niſi adverſus heredem ſcriptum, vel adverſus fideicommiſſarium, qui eſt heredis vice; *l. Papinianus*, §. *ſi conditioni*, *ff. h. tit. l. 1. C. eod.* Querela inofficioſi datur hoc colore, quaſi teſtator non ſanæ mentis fuerit, non quaſi vere furioſus, alioquin teſtamentum eſſet nullum, ut exponitur *init. h. tit. l. 2. l. Titia in fin. l. mater*, §. *præterea*, *ff. h. tit.* Quare furioſum teſtamentum ab inofficioſo diſtinguebat Aſinius orator apud Quintil. inſtit. libr. 9. cap. 2. *Audisne? furioſum, inquam, non inofficioſum teſtamentum reprehendimus.*

§. I.

QUerela inofficioſi datur liberis præteritis, vel injuſte exheredatis, & parentibus vel fratribus germanis non uterinis, ita demum ſi turpis perſona inſtituta ſit: cognatis ultra fratres, ſeu ceteris transverſalibus, puta fratris & ſororis filiis, patruis vel avunculis, amitis vel materteris non datur; *l. 1. ff. h. tit. l. cum filium*, *l. fratris*, *l. fratres*, *C. eod.* liberis & parentibus ex æquo datur querela inofficioſi contra quoscumque heredes ſcriptos, nam deficientibus liberis legitima debetur parentibus ad excludendam querelam inofficioſi teſtamenti; *l. nam etſi*, *ff. h. tit. l. ſcripto*, in fin. *unde liber. l. 1.* §. *largius*, *de ſucceſſor. edict.* Fratribus non datur querela inofficioſi, niſi inſtituta turpi perſona, id eſt notata infamia juris vel facti; *d. l. fratres.*

§. *tam autem.*

QUerela inofficioſi datur tam liberis adoptivis, quam naturalibus, ſi nullo alio jure ad defuncti bona venire poſſint, ex *hoc* §. Hinc impuberi adrogato non datur querela inofficioſi, cum ferat quartam in bonis adrogatoris, ex conſtitutione D. Pii; *l. Papinianus*, §. *ſi quis impubes*, *ff. h. tit.*

Source : BIU Cujas

l. si adrogator , de adopt. l. 1. §. si impubere , de collat. bonor. quia querela inofficioſi eſt actio ſubſidiaria , quæ non datur, niſi deficientibus aliis ; *l. ult. C. de liber. præter. vel exhered.*

§. ſed hæc ita.

QUerela inofficioſi datur his quibus nihil omnino a teſtatore relictum eſt, non datur his quibus quid etiam minus legitima relictum eſt, ſed iis datur actio ad ſupplendum id quod deeſt legitimæ portioni , ex *hoc §. l. omnimodo , l. quæ nuper , l. quoniam novella , C. h. tit.* Olim ſupplebatur legitima , ſi teſtator teſtamento caviſſet , eam boni viri arbitratu ſuppleri ; *l. 4. C. Th. h. tit.* ſed hodie legitima , ſi quid minus ea relictum ſit , ſuppletur condictione ex lege , hoc eſt conſtitutione Juſtiniani , etiam ſi teſtator de ea ſupplenda nihil dixerit ; *d. l. omnimodo* . Hoc diſtat actio ad ſupplementum , a querela inofficioſi , quod querela inofficioſi præſcribitur quinquennio a die aditæ hereditatis ; *l. ſi quis filium , in fin. l. pen. §. ult. C. h. tit. l. 2. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſar.* quia eſt actio odioſa & extraordinaria . Actio ad ſupplementum , ex communi doctorum ſententia , quæ recepta eſt contra Bartolum , non præſcribitur , niſi triginta annis , quia ſupplementum petitur condictione ex lege , quæ eſt actio perſonalis , quæ durat triginta annis . Item querela inofficioſi non datur ei, qui legatum accepit ex teſtamento , in quo exheredatus eſt , etiam ſi ſit minus legitima , quia agnovit judicium defuncti ; *l. ſi pars , §. ult. ff. h. tit.* Actio vero ad ſupplementum , non denegatur ei , qui legatum teſtamento relictum pro omni jure legitimæ ſimpliciter agnovit , etiam ſi minus ſit legitima , niſi ſpecialiter eam remiſerit ; *l. ſi quando , §. † pen. C. h. tit.* quo jure utimur . Hodie querelæ inofficioſi locus non eſt , niſi duobus caſibus . Primus eſt , ſi filius exheredatus ſit nominatim adjecta cauſa ingratitudinis , ſi præteritus ſit vel exheredatus non adjecta cauſa , non datur querela inofficioſi , ſed jus eſt dicendi teſtamentum nullum ; *nov. 115. cap. 3.* Secundus eſt , ſi frater præteritus ſit , inſtituta turpi perſona ; *l. fratres , C. h. tit.*

§. ſi tutor . §. ſed ſi e contrario .

QUi legatum accepit ex teſtamento , in quo exheredatus eſt , repellitur a querela inofficioſi ; *l. ſi pars , §. ult. ff. h. tit. l. parentibus , §. 1. C. eod.* Quod ſi tutor teſtamento patris exheredatus pupilli nomine legatum accepit , ex eodem teſtamento non vetatur ſuo nomine querela inofficioſi agere ; *§. ſi tutor* . Et ſi tutor pupilli nomine teſtamentum inofficioſum dixerit , nec obtinuerit , non amittit legatum ſibi eodem teſtamento relictum ; *§. ſed ſi e contrario , l. adverſus , §. † tutoribus , ff. h. tit. l. tutorem , ff. de his quæ ut indign.* quia officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum ; *d. l. tutorem , l. inter officium , ff. de rei vindicat. l. videlicet , ex quib. cauſ. major.*

§. ult.

QUarta , quæ legitima vocatur , inofficioſi querelam excludit quocumque titulo relicta ſit , vel jure hereditario , id eſt jure inſtitutionis , legati , vel fideicommiſſi , donationis mortis cauſa , vel inter vivos certis caſibus a lege expreſſis , ex *hoc §. l. Papinianus , §. ſi quis mortis cauſa , & §. quoniam , ff. h. tit. l. cum quæritur , C. eod. l. pen. C. de collat.* Donatio inter vivos non imputatur in legitimam , niſi certis caſibus . Primus eſt , ſi ea lex donationi dicta ſit , ut imputetur in legitimam ; *l. ſi quando , §. & generaliter , C. h. tit.* Secundus eſt , ſi dos vel donatio propter nuptias profecta ſit a patre

Source : BIU Cujas

vel a matre ; *l. quoniam novella* , *C. h. tit. l. ut liberis* , *C. de collat.* Tertius, si militia palatina empta sit ex pecunia patris ; *l. omnimodo* , §. *impuberi* , *C. h. tit.* Hodie donatio quælibet profecta a parentibus confertur & imputatur in legitimam , nisi expresse facta sit præcipui titulo ; *nov.* 18. *cap.* 6. *auth. ex testamento* , *C. de collat.* quia donatio videtur facta in repræsentationem legitimæ , *en representation d' hoirie* , ut loquuntur forenses .

Olim legitima erat quarta, non omnium bonorum, sed legitimæ portionis, quam quisque habiturus esset ab intestato ; *l. Papinianus* , §. *quoniam* , *ff. h. tit. l. parentibus* , *C. eod. l. illud* , *C. de collat.* Jure novissimo legitimæ modus adauctus est , si unus duo tres vel quatuor sint liberi , legitima est triens; si plures, semis ; *nov.* 18. *cap.* 1. *auth. novissima* , *C. h. tit.* & legitima quocumque titulo relicta excludit querelam inofficiosi ; *d. l. quoniam novella* , *d. l. si quando* , §. *& generaliter* . Aucto modo legitimæ ut esset triens , vel semis pro numero liberorum , hoc a Justiniano servatum , ut quocumque titulo relinqui posset ; *d. auth. novissima* , sed hoc abrogatum ab eodem *nov.* 115. *cap.* 3. quæ est posterior , & constitutum , ut legitima nominatim jure institutionis relinquatur : sed ea hodie non servatur , & sublatis solemnitatibus verborom , legitima quocumque titulo relinqui potest , juxta *nov.* 18.

Legitima est quota bonorum , non hereditatis, ob id non debetur nisi deducto ære alieno ; *d. l. Papinianus* , §. *quarta autem* , & quota omnium bonorum , in ponenda enim legitima habetur ratio omnium bonorum , etiam donatorum ; *d. l. quoniam novella* . Legitima est pars bonorum , quæ pro rata distribuitur inter eos, qui de inofficioso agere possunt , ex *hoc* §. veluti si unus est , trientem habebit ; si duo , sescunciam , hoc est unciam cum dimidia ; si tres, singuli unciam ; si quatuor , singuli tres sicilicos .

De hered. qualitat. & different.

CAP. XIX.

§. I.

TRiplex est heredum qualitas & differentia , alii sunt heredes necessarii , alii sui & necessarii , alii extranei . Heres necessarius est servus a domino suo heres institutus , sic dictus , quia volens nolens liber & necessarius heres fit , & ob præmium libertatis hereditatem adire cogitur : itaque qui facultates suas suspectas habent , solent unum e servis necessarium heredem instituere , ut si bona non sint solvendo , heredis nomine potius , quam testatoris , bona a creditoribus veneant , ex *hoc* §. *&* §. 1. *supr. quib. ex caus. manumitt. l.* 1. *C. de necessar. serv. hered. instit.* Servus a domino heres institutus , invitus hereditatem adire cogitur , sed non tenetur creditoribus ultra vires hereditatis , & parta post mortem patroni ipsi reservantur , ex *hoc* §. unde ad hoc impetrare potest bonorum separationem , ut si non attigerit bona patroni , quidquid postea adquisierit , ei seponatur ; *l.* 1. §. *ult. ff. de separat. bonor.*

§. *sui autem* .

SUi & necessarii heredes sunt , qui *ἀμέσως* in potestate morientis fuerunt , id est nulla media persona interposita , puta filius vel nepos ex eo patre , vivo avo emancipato , vel morte de medio sublato , ex *hoc* §. Suus non dicitur , nisi qui in potestate morientis est , & proximum ab eo gradum obtinet ; *l. scripto* ,

Source : BIU Cujas

ff. si tabul. testam. null. extab. Sui ideo dicuntur, quia domestici heredes sunt, ut ait Justinian. *hic*, id est vernæ & domi nati, & vivo patre quodammodo domini existimantur; *l. in suis, ff. de liber. & posth.* Itaque non dicuntur fieri heredes, sed existere, non hereditatem adire, sed se immiscere, non repudiare, sed se abstinere, unde in successione parentum ab intestato, prior causa est liberorum; *l. 3. C. Th. de legitim. hered.* Necessarii vero ideo dicuntur, quia ipso jure inviti heredes existunt sine aditione, sine facto suo, ante apertas tabulas, sed a prætore habent beneficium abstinendi; *l. necessariis, & seq. ff. de adquir. hered. l. in suis, de suis & legitim. l. licet, l. suum heredem, C. de jur. deliber.* vel etiam non incongrue dici heredes possunt, quia ex lege 12. tab. quasi necessaria eis defertur hereditas parentum. Apul. de asino aureo libr. 10. *Huic infantulæ, quod leges necessariam patris successionem deferrent, sustinebat ægerrime.*

§. *ceteri.*

EXtranei heredes sunt, qui non sunt in potestate morientis, ut liberi emancipati, a patre instituti, ex *hoc* §. *l. tutelas, ff. de capit. minut.* Emancipatus pro extraneo habetur; *l. quinetiam, ff. de rit. nupt. l. nihil interest*, §. 1. *rer. amotar.* Extranei heredes item sunt liberi a matre instituti, quia mater liberos in potestate non habet, ex *hoc* §. & hoc est quod dicitur in *l.* 4. §. 2. *ff. de bonor. possess. contr. tabul.* mulieres suos heredes non habere. Extraneus est omnis extra parentem virilis sexus, & personam de qua agitur in potestate habentem; *l. unic.* §. † *accedit, C. de rei uxor. act.*

§. *in extraneis.*

IN testamentis capacitas spectatur tempore testamenti, superveniens casus non infirmat testamentum; §. *præterea*, supr. *quib. non est permiss. fac. testam.* in extraneo herede necesse est ut fuerit capax tempore testamenti, ut institutio ab initio valeat, & tempore mortis testatoris, ut effectum habeat, & tempore aditæ hereditatis, medio tempore mutatio juris heredi non nocet, ex *hoc* §. *l. si alienum*, §. 1. *ff. de hered. instit.* In herede capacitas spectatur tempore testamenti, quia testamentum, quod ab initio non valet, ex post facto non convalescit, per reg. Catonianam; *l.* 1. *ff. de regul. Catonian.* in testamento spectatur tempus mortis testatoris, quia testamentum morte testatoris confirmatur, spectatur & tempus aditæ hereditatis, quia jus heredis, hoc maxime tempore inspicitur, quo adquirit hereditatem, media tempora non nocent heredi. Itaque si civis Romanus heres scriptus, post testamentum deportatus sit, & ante mortem testatoris, vel eventum conditionis institutionis, beneficio Principis restitutus sit, heres erit; *l. liber homo*, §. *si heres, ff. de hered. inst.*

§. *extraneis.*

EXtraneo heredi scripto datur tempus ad deliberandum de adeunda hereditate, vel non, ex *hoc* §. *& l.* 1. *ff. de jur. delib. l. quamdiu* 69. *de adquirend. hered.* Et tempus deliberandi est arbitrarium, id est datur arbitrio judicis, ita ut non dentur pauciores centum diebus; *l.* 2. *ff. de jur. delib.* quia & solemne tempus cretionis erat centum dierum, ex Ulp. *libr. regul. tit.* 22. §. 27. Heredi scripto jus adeundæ hereditatis perpetuum est, nisi a prætore præstitutum fuerit tempus deliberandi, postulante substituto vel creditoribus; *d. l. quamdiu*. Jus adeundi hereditatem non præscribitur spatio longi temporis, sed 30. annorum tantum; *l. licet in continenti, C. de jur. deliber. l. heredi-*

reditatis, C. *de petit. hereditat.* Constitutione Justin. jus deliberandi supervacuum effectum est, ex quo heres, si adeat hereditatem confecto inventario, non eget deliberatione, cum beneficio inventarii non teneatur creditoribus ultra vires hereditatis; *l. scimus*, C. *de jur. deliber.* Quod si omisso beneficio inventarii heres institutus petat tempus ad deliberandum, a Principe datur annus, a judice novem menses; *d. l. scimus*, §. † *& hæc quidem, vers. sed quia.*

Extraneus heres, qui semel adiit damnosam hereditatem, non restituitur adversus aditionem, nisi sit minor 25. annis, qui semel adiit hereditatem, eam repudiare non potest; *l. sicut major*, C. *de repud. vel abstinend. hered.* quia heres adeundo hereditatem contrahere videtur cum creditoribus & legatariis; *l.* 3. §. *ult. & l. seq. ff. quib. ex caus. in poss. eat. l. si quis absentis*, §. *heres quoque, de oblig. & act.* Si minor 25. annis damnosam hereditatem adierit, restituitur abstinendi causa; *l. ait prætor*, §. *sed etsi hereditatem, ff. de minorib. l.* 1. *& auth. si omnes*, C. *si minor ab heredit. se abstineat.* Constit. Gordiani, milites, qui per errorem damnosam hereditatem adierunt, etiam omisso inventario non tenentur ultra vires hereditatis, ex *hoc* §. *& d. l. scimus*, §. *ult.* Major 25. annis extraneus, qui semel repudiavit hereditatem, ad eam redire non potest; *d. l. sicut major.* Suus heres etiam major 25. annis, qui semel abstinuit bonis patris, potest ad ea redire intra triennium, modo res sint integræ, id est modo nondum bona venierint; *l. ult.* C. *de repud. vel abstinend. heredit. l. quod si minor*, §. *Scævola, ff. de minorib. l. si quis suus, ff. de jur. delib.* quia suus heres etiam post abstentionem heres manet; *l. cum quasi*, §. *sed & si suus, ff. de fideic. libertat.*

§. *ult.*

OLim hereditas non potuit adquiri nisi actu legitimo & solemni, puta aditione hereditatis, quæ est actus legitimus, qui fit in jure judicioque; *l. actus legitimi, de R. J.* vel cretione, quæ fiebat verbis solemnibus, *eam hereditatem adeo cernoque*; Ulpian. *libr. regul. tit.* 22. §. 28. testibus † præsentibus; M. Tull. 13. ad Attic. epist. † 46. *Ex eo cognovi cretionem Cluvii (o Vestorium negligentem!) liberam cretionem, testibus presentibus, sexaginta diebus:* actu solemni; *l. unic.* C. *Th. de cretion. & bon. poss. l.* 1. 4. *&* 8. C. *eod. de bon. matern.* id est adhibito aliquo symbolo, puta per saltum vel crepitum digitorum, de quo noti sunt loci M. Tull. 3. *offic.* & Ambros. 3. *offic.* 11. sed hodie cretionis solemnia sublata sunt, & aditio hereditatis fit sine ullis solemnibus; *d. l. unic.* & aliis modo laudatis; *l. cretionum*, C. *de jur. deliber.* Hereditatis aditio potest fieri nuda voluntate, vel nudo facto pro herede gerendo, ex *hoc* §. Pro herede gerere videtur, qui rebus hereditariis tamquam heres utitur, vendendo res hereditarias, vel prædia colendo locandove, vel quoquomodo suam voluntatem declaret re, id est facto, vel verbo adeundæ hereditatis, dummodo sciat eum, de cujus bonis agitur, decessisse, & se heredem esse ex testamento vel ab intestato: & hoc est quod dicitur in *l. pro herede, ff. de adquir. hered.* pro herede gerere eum, qui aliquid facit quasi heres, id est animo heredis, quia pro herede gerere non tam facti est, quam animi: & quod in *l. gerit pro herede, ff. eod.* eum pro herede gerere, qui animo agnoscit hereditatem, licet nihil attingat hereditarium, id est de corporibus hereditatis. Extraneus heres fit pro herede se gerendo, dummodo sciat se jure heredem esse, & qua ex causa sibi deferatur hereditas testati vel intestati; *l. si is ad quem, ff. eod.* Hoc jure, sicut aditio hereditatis fit nuda voluntate sine ulla solemnitate verborum, ita hereditas nondum adita repudiatur nuda contraria destinatione, ex *hoc* §. Et hereditas repudiatur non tantum verbis, sed etiam re, id est facto, & alio quovis judicio voluntatis; *l. recusari, ff. de adquir. hered.* Solebat tamen re-

Source : BIU Cujas

pudiatio fieri in jure judicioque nuda teſtatione ; *l.* 3. & 4. *C. de repud. vel abſtinend. heredit.*

De legatis.

CAP. XX.

§. I.

NOn una in libris noſtris eſt definitio legati. Modeſtino legatum definitur, donatio teſtamento relicta ; *l. legatum, de legat.* 2. Legatum eſt donatio, nam mortis cauſa donationes per omnia fere legatis comparantur ; §. 1. ſupra, *de donat.* & legatum eſt ſine onere ut donatio, ſicut enim onus æris alieni non tranſit in donatarium certæ rei ; *l. æris alieni, C. de donat.* ita nec in legatarium, ſed in heredem, aut eum qui heredis vice eſt ; *l. ult. C. de heredit. act. l. ſi hereditatem, ff. mandat. l.* 1. §. *ſi heres, ad Trebellian.* Plenior eſt definitio legati, quam ponit Juſtinianus *hoc loco*, legatum eſſe donationem teſtamento relictam ab herede præſtandam. Legatum dicitur præſtandum ab herede, ut diſtinguatur a fideicommiſſo, nam legatum a ſolo herede relinquitur, fideicommiſſum relinqui poteſt ab herede, legatario, vel donatario mortis cauſa ; *l. ut heredibus, l. cum pater*, §. † 1. *de legat.* 2. *l. ab eo, l. ult. C. de fideicomm.* Non ſine cauſa Juſtinianus addidit, legatum eſſe ab herede præſtandum, quia hodie ſublata differentia, quæ olim erat inter legata, legatarius per ſe non poteſt occupare legatum, ſed legatum jure judicioque petere debet, ut ſibi præſtetur ab herede, alioquin ſi per ſe legatum occupaverit, tenetur interdicto quorum legatorum ; *l.* 1. *ff. quod legat.* niſi teſtator voluerit ut legatarius per ſe legatum caperet ; *l. Titia cum teſtamento*, §. 1. *de legat.* 2. Heres ſcriptus, a quo pure relicta ſunt, ſtatim ab adita hereditate, etiam ſi ei fiat controverſia hereditatis, puta ſi falſum teſtamentum dicatur, debet ſine mora præſtare legata, interpoſita cautione evicta hereditate, de reſtituendis legatis ; *l. ſi in fraudem, C. h. tit.* Aliam legati definitionem Florentinus in *l. legatum* 116. *ff. de legat.* 1. *legatum eſt delibatio hereditatis, qua teſtator ex eo, quod univerſum heredis foret, alicui quid collatum velit* ; & hæc definitio eſt propter legem falcidiam, qua non licet exhaurire hereditatem legatis, ſed usque ad dodrantem tantum.

§. *ſed olim.*

OLim quatuor erant legatorum genera, per vindicationem, per damnationem, per ſinendi modum, & per præceptionem. Legatum per vindicationem ita relinquebatur, *do, lego*, vel *ſumito, capito, habeto*. Per damnationem ita, *heres meus damnas eſto dare*. Per ſinendi modum ita, *heres meus damnas eſto ſinere, L. Titium ſumere illam rem ſibique habere*. Legatum per præceptionem ita, *illam rem præcipito*, ex Ulpiano *libr. regular. tit. de legatis*, §. 6. Caio 2. *inſtit.* & Paulo 3. *ſentent.* Legatum per vindicationem peti poterat actione in rem, & perſonam, & actione ad exhibendum ; *l. quod legatur, ff. de judic. l. hujusmodi*, §. *ult. de legat.* † 1. Et ſtatim ipſo jure recta, & ſine facto heredis tranſibat in legatarium ; *l. legatum* 80. *de legat.* 2. *l.* 3. §. *ſi rem, de legat.* 3. *l. a Titio, de furt.* de hoc genere legati intelligendus eſt Servius in illum locum 5. Æneid. *Sume pater . . . . . verbum eſt jurisconſultorum, quo utuntur quoties legatum non ab herede datur, ſed eſt in acci-*

Source : BIU Cujas

accipientis arbitrio. Legatum per damnationem peti poterat actione ex testamento, quæ est in personam ; *l. duos*, *ff. de usufruct. legat.* ut & legatum per sinendi modum, & utrumque ab herede peti debuit. Legatum per præceptionem veniebat in judicio familiæ erciscundæ ; *l. heredes*, §. *ult. l.* † *si pignori*, *l. si ita*, *ff. famil. erciſc.* quia cum uni ex heredibus prælegatur, ea legati pars, quam heres a se ipso capit, non tam jure legati, quam jure hereditario capitur ; *l.* †† *& quidem*, *de legat.* 1. *l. miles ad sororem*, §. *ult. de legat.* 2. *l. eum qui*, §. *ult. ff. de his quæ ut indign.* constitut. Constantini & filiorum Constantii & Constantis in legatis sublata est verborum solemnitas, ita ut quibuscumque verbis relinqui possent ; *l. in legatis*, *C. h. tit.* Euseb. de vit. Constantin. *libr.* 4. *cap.* 26. & constit. Justiniani sublata est differentia, quæ ante erat inter legata & fideicommissa, & quibuscumque verbis concepta sint legatorum causa tres datæ actiones. Actio ex testamento, quæ est in personam heredis, actio in rem, & actio hypothecaria, nam bona defuncti tacite legatariis obligantur ; *l.* 1. *C. comm. de legat.* Hoc tamen differt tacita hypotheca, quæ datur legati nomine, ab aliis quæ sunt in jure, quod est dividua, nisi in legatis piis ; *d. l.* 1.

† V. si probat. Et adde *l.* 4. *eod. tit. l. qui filiabus*, §. 2. *de legat.* 1.

†† Cum *l. miles*, & *l. eum qui* concordat *l. qui filiabus*, §. 2. *de legat.* 1. V. tamen si faciunt.

§. *sed non usque.*

ANte Justinianum multæ erant differentiæ inter legata & fideicommissa. Legatum non aliis quam civilibus & directis verbis relinquebatur. Fideicommissum obliquis & precariis, puta, *rogo*, *volo*, *mando* ; Ulpian. *libr. regul. tit.* 25. Legata petebantur actione ordinaria in rem, vel ex testamento, quæ est in personam, fideicommissa extra ordinem, cognitione prætoris, qui fideicommissarius dicebatur. Legatum relinqui non poterat, nisi testamento, vel codicillis testamento confirmatis, fideicommissum etiam ab intestato relinqui poterat, ab herede legitimo ; §. *præterea*, infr. *de fideicommiss. heredit.* Fideicommissum relinqui potest etiam in epistola fideicommissaria & in libello fideicommissario, vel nutu solo, vel sine scriptura adhibitis quinque testibus ; *l. & in epistola*, *C. de fideicommiss.* Legatum relinqui poterat a solo herede : fideicommissum ab herede, legatario, vel donatario mortis causa ; *l. ut heredibus*, *de legat.* 2. Ante heredis institutionem legari non poterat, fideicommitti poterat ; §. *ante heredis*, infr. *h. tit. l. un. C. ut action. ab heredib. & contr. hered. incip.* In legatis, ubi verba perspicua erant, non admittebatur quæstio voluntatis ; *l. ille aut ille*, §. *cum in verbis*, *ff. de legat.* 3. *l. si alii*, *de usufr. legat.* In fideicommissis etiam si verba essent aperta, magis voluntas quam verba spectabatur ; *l. cum virum*, *C. de fideicommiss. l. quisquis*, *de legat.* 3. Denique olim legata strictiori jure concludebantur, fideicommissis autem, quæ ex voluntate magis descendunt, pinguior natura erat, ut ait Justinianus *hoc loco*, unde fideicommissum humanius quam legatum dicitur *l.* 2. *C. comm. de legat.* Sed constit. Justin. legata per omnia exæquata sunt fideicommissis, ita ut legata & fideicommissa indistincte quibuscumque verbis, vel directis, vel precariis, relinqui possint, & legatorum & fideicommissorum causa æque competant in rem actio, personalis, & hypothecaria ; *d. l.* 2. Legatorum & fideicommissorum nomine competunt plures actiones, sed non omnibus simul agere licet, sed una electa consumitur alia ; *l. cum filius*, §. *variis*, *de legat.* 2.

§. *non solum.*

NOn solum res propria testatoris vel heredis, sed etiam aliena legari potest, ex *hoc* §. *l. cum servus*, §. *constat*, *ff. de legat.* 1. Ratio dubitandi erat, quod rei alienæ donatio nulla est ; *l. si filius*, † *C. de donat.* er-

Source : BIU Cujas

go idem videbatur dicendum in legato, sed in promptu est responsio : legatum rei alienæ sustinetur, quia heres, a quo res aliena legata est, videtur damnatus rem redimere, & præstare legatario, itaque hoc proprium fuit legati per damnationem. Per vindicationem legari poterat tantum res propria testatoris, per damnationem res aliena ; Ulpian. *libr. regular. tit.* 24. §. 7. & 8. *l. Stichus* 39. *ff. de manumiss. testament.* Donatio rei alienæ non valet, quia donator non præsumitur velle donare rem alienam, & lex donationibus modum imposuit, quia donare est perdere ; *l. filiusf. ff. de donat.* Res aliena legari potest, utique si parari potest, etiam si ipsius paratio sit difficilis ; *d. l. cum* † *servus*, §. *constat*, quia difficultas præstationis non reddit inutile legatum, exemplo stipulationis ; *l.* 2. §. *ex his*, *ff. de V. O.* Re aliena legata, heres tenetur eam redimere, & præstare legatario, quod si redimi non possit, puta nolente domino eam vendere, vel immodicum pretium ejus rei petente, heres liberatur præstando æstimationem, ex *hoc* §. *l. si domus*, §. *qui confitetur*, *ff. de legat.* 1. *l. non dubium*, §. *ult. l. qui quatuor*, §. *ult. de legat.* 3. Quod dixi rem alienam legari posse, verum est si res sit in commercio, id est emi vendi possit, quod si res non sit in commercio, veluti res sacra, publica, fiscalis, nec æstimatio debetur, quia furiosi est talia legata testamento adscribere ; *d. l. cum servus*, §. *ult.* Sed si res in commercio quidem sit, & ejus commercium legatarius non habeat, æstimatio debetur ; *l. sed si res*, *l. filiusf.* §. *si quid*, *ff. de legat.* 1. ut legata servo militia, æstimatio debetur ; *l. fideicommissa*, §. *si servo*, *ff. de legat.* 3. quia servus militiæ incapax est, non æstimationis. Ita demum valet legatum rei alienæ, si testator sciens rem alienam legaverit, & hoc casu is qui agit, id est legatarius, debet probare scisse defunctum rem alienam, quia actori incumbit onus probandi, ex *hoc* §. *l. verius*, *ff. de probat.* Si testator per errorem rem alienam legaverit, non aliter valet relictum, nisi conjunctæ personæ, vel uxori, vel ei demum reliquerit, cui relicturus esset si sciisset esse alienam ; *l. cum alienam*, *C. h. tit.* Alias sive sciens, sive ignorans testator legaverit rem heredis, legatum debetur heresque tenetur eam præstare, quia facilis est rei præstatio, cum dominium ejus sit apud heredem ; *l. unum ex familia*, §. *si rem*, *de legat.* 2.

§. *sed & si rem.*

SI testator rem pignori obligatam sciens legaverit, vel per fideicommissum reliquerit, ab herede luenda est, nisi alio animo fuerit testator, id est nisi aliud expresserit : si ignorans, a legatario, vel fideicommissario, nisi vel hanc, vel aliam rem ejusdem pretii relicturus fuerit, si sciisset obligatam, ex *hoc* §. & *l. si res*, *ff. de legat.* 1. *l. licet placeat*, *de dot. prælegat. l. prædia*, *C. de fideicommiss.*

§. *si res aliena.*

SI res aliena legata sit, & ejus rei legatarius dominium adquisierit vivo testatore, aut rem adquisierit ex causa onerosa, puta ex causa emptionis, tunc actione ex testamento æstimationem rei petere potest, aut ex causa lucrativa, puta ex causa donationis, hoc casu legatum extinguitur, quia duæ lucrativæ in eadem re, & eadem persona non concurrunt, ex *hoc* §. *l. hujusmodi*, §. *qui servum*, *l. si servus* 108. §. *Stichum*, *ff. de legat.* 1. *l. nutu*, §. *fideicommissum*, *de legat.* 3. Re aliena legata, si legatarius eam adquisierit ante diem legati cedentem ex causa onerosa, rei æstimatio ei debetur, quia cui pretium rei abest, ei res ipsa abesse videtur ; *l. si servus*, §. & *ideo*, *ff. de evict.* Re aliena legata, si legatarius eam quæsierit ex causa lucrativa, nihil petere potest, quia ei nihil abest, & eadem res iterum præstari non potest ; *d. l. si servus*,

Source : BIU Cujas

vus, §. *Stichum*, quod semel nostrum est, amplius nostrum fieri non potest, ejusdem rei dominium non potest ad nos pertinere ex pluribus causis ; *l.* 3. §. *ex † plurimis*, *ff. de adq. possess. l. non ut ex pluribus*, *de R. J.* Quod dixi, eum, qui legatæ rei dominium ex causa lucrativa nactus est, legatum petere non posse, neque rem, neque æstimationem, non habet locum si dominium rei apud eum non sit perpetuo remansurum : finge res aliena mihi legata est testamento primi, deinde eadem res testamento secundi, qui erat verus dominus, legata est tertio sub conditione, pendente conditione heres secundi eam mihi donavit, non extinguitur actio ex testamento, quia donatio est temporalis, & finietur existente conditione ; *l. non quocumque*, *ff. de legat.* 1. Quod si Titius Seio tesseram frumentariam comparari voluerit, post diem trigesimum a morte sua, si vivo testatore Seius tesseram frumentariam ex causa lucrativa adquisierit, puta beneficio Principis, pretium tesseræ frumentariæ ex testamento petere potest, quia fideicommissum tesseræ frumentariæ, magis in quantitate, id est modo frumenti, qui erogatur propter tesseram, quam in corpore consistit ; *l. Titia* 87. *ff. de legat.* 2. & ita duæ lucrativæ non concurrunt in eadem re.

Si duorum testamentis eadem res mihi legata sit, ex uno testamento petere potero rei æstimationem, ex altero rem ipsam ; *l. plane* 34. §. *sed si duorum*, *ff. de legat.* 1. Hac ratione si duobus testamentis, id est duorum testamentis, mihi eadem res legata sit, multum interest utrum rem an æstimationem ex priori testamento consecutus sim, nam si prius rem habuero, non potero postea petere æstimationem, quia rem habeo ex causa lucrativa, si prius æstimationem consecutus fuero ex primo testamento, potero rem petere ex secundo testamento, quia ex primo testamento non sum consecutus rem, sed æstimationem, ut ostenditur *in hoc* §.

§. *ea quoque*.

EA quæ in rerum natura non sunt, si quidem futura sunt legari possunt ; veluti fructus qui ex illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit, ex *hoc* §. *l. quod in rerum*, *ff. de legat.* 1. Hujusmodi legato inest tacita conditio, si fructus nascantur, vel partus edatur, quæ non facit legatum conditionale. Conditiones enim, quæ tacite insunt, id est quæ extrinsecus veniunt ex natura rei, non ex testamento, id est dispositione testatoris, non faciunt legatum conditionale ; *l. conditiones*, *ff. de condit. & demonstrat.*

§. *si eadem res*.

SI plures heredes conjunctim, vel disjunctim instituti sunt, portio deficientis adcrescit coheredibus etiam invitis ; *l. unic.* §. *his ita*, *C. de caduc. tollend.* quia heredes singuli tacite in solidum vocati intelliguntur ; *l. heredes*, *l. si ita quis*, *ff. de hered. instit.* ne testator pro parte testatus, pro parte intestatus decedat. Quod si eadem res duobus legata sit conjunctim, puta, *Titio & Mævio fundum do lego*, *Seio eundem fundum do lego*, si ambo petant legatum, legatum scinditur, id est dividitur inter eos, quod si alter defecerit, puta si vivo testatore decesserit, vel legatum repudiarit, portio deficientis adcrescit collegatario ; *d. l. unic.* §. *ubi autem*, *l. si pluribus*, *ff. de legat.* 1. quia conjuncti re & verbis, vel re tantum, solidum habent ab initio, concursu partes faciunt ; *l. conjunctim*, *de legat.* 3. Conjunctio, ex qua jus adcrescendi nascitur, triplex est, re & verbis, re tantum, verbis tantum. Re & verbis conjuncti sunt, quibus conjunctim, id est conjuncta oratione, eadem res legatur, ut, *Titio & Mævio fundum Sempronianum do lego*. Re conjuncti

Source : BIU Cujas

sunt non etiam verbis, quibus separatim res eadem legatur, ut, *primo fundum Sempronianum do, lego, secundo eundem fundum do, lego.* Verbis autem non re conjuncti sunt, quibus eadem res æquis partibus relinquitur, ut, *Titio & Seio fundum æquis partibus do, lego; l. re conjuncti, de legat. 3. l. triplici, de V. S.* Olim jus adcrescendi non habuit locum indistincte inter conjunctos, si duobus conjunctim eadem res legata esset per vindicationem, jus adcrescendi erat inter eos, quia conjuncti ab initio solidum habent, sed concursu partes faciunt. Si duobus eadem res legata esset per damnationem, non erat jus adcrescendi inter eos, quoniam singuli ab initio partes habent; *l. plane, §. si conjunctim, de legat. 1.* Sed hodie sublata differentia legatorum, jus adcrescendi locum habet indistincte inter collegatarios conjunctos re & verbis, vel re tantum, & si duobus res eadem legata sit conjunctim, vel disjunctim, portio deficientis adcrescit collegatariis; *d. l. unic. §. ubi autem.* Inter collegatarios verbis conjunctos tantum, non est jus adcrescendi; *l. 3. l. pen. ff. de usufruct. adcresc.* quia videtur testator non tam eos conjunxisse, quam celerius dixisse; *d. l. si ita quis.* Jus adcrescendi locum habet tantum inter conjunctos, unde jus conjunctionis appellatur; *d. l. re conjuncti, d. l. unic. §. ubi autem.* Si duobus ejusdem fundi ususfructus legetur, inter eos non est jus adcrescendi; *l. pen. ff. de usufruct.* quia jus adcrescendi est reale, portio portioni adcrescit non personæ, quod in usufructu locum non habet, cum ususfructus sit jus personale, quod personam non egreditur; *l. si ususfructus, ff. de jur. dot.* Si duobus conjunctim res eadem relicta sit, pars deficientis adcrescit collegatario volenti non invito cum onere: si disjunctim res eadem duobus relicta sit, pars deficientis adcrescit collegatario sine onere, quod collatum est in personam deficientis, quia solidum habuit ab initio, & suum retinet non alienum; *d. l. un. §. ubi autem.*

§. *si cui fundus.*

ITS, cui fundus alienus legatus erat, si proprietatem emerit, & morte vel capitis diminutione fructuarii ususfructus per consolidationem ad eum pervenerit, nihilominus actione ex testamento fundum petere potest, quia etsi habet usumfructum ex causa lucrativa, nempe per consolidationem, tamen proprietatem habet ex causa onerosa, nempe titulo emptionis, & licet ususfructus in multis partibus juris habeatur pro parte dominii; *l. 4. ff. de usufruct.* revera tamen in casu proposito non est pars rei, sed servitutis locum obtinet: sed quia legatarius usumfructum habet ex causa lucrativa, officio judicis continetur, ut æstimationem rei legatæ accipiat, deducto usufructu, ex *hoc §. & l. non quocumque, §. fundus, ff. de legat. 1.*

§. *sed si rem.*

RES legatarii ei legari non potest, quia quod semel nostrum est, amplius nostrum fieri non potest; & quamvis vivo testatore rem alienaverit, nec res, nec æstimatio debetur, *ex hoc §. & l. proprias, C. h. tit.* propter reg. Caton. *Quod ab initio non valet &c.* Excipiuntur nonnulli casus. Primo, res mea mihi legari potest, si pignori sit obligata, & tunc ex testamento actio mihi datur in heredem ut pignus luat; *l. si tibi homo, ff. de legat. 1.* Secundo, rei meæ legatum valet, si ejus ususfructus alienus sit; *l. Mævius, §. fundo, ff. de legat. 2.*

§. *si quis rem.*

SI quis rem, cum falso existimaret esse alienam, legaverit, valet legatum, plus

Source : BIU Cujas

plus enim valet quod est in veritate, quam quod in opinione : si quis rem suam cum existimaret esse legatarii legaverit, valet legatum quia voluntas defuncti exitum habere potest, ex *hoc* §. id est error facti, non impedit effectum juris, quia plus est in veritate, quam in opinione ; *l.* † 4. *ff. de manumissis testam.* † V. etiam *l.* 9. §. 4. *de jur. & fact. ignor.*

§. *si rem suam.*

SI testator rem legatam alienaverit, nihilominus legatum debetur, nisi adimendi legati animo rem vendiderit, puta si ultro rem vendidit, quod si urgente necessitate, æris alieni solvendi causa, legatum non extinguitur, quia non videtur habuisse animum adimendi legati, ex *hoc* §. *l. si ex toto, ff. de legat.* 1. *l. rem legatam, l. legatum* 24. *de adimend. legat. l. fideicommissa,* §. † *si rem suam, de legat.* 3. *l. scribit,* §. † *item scribit, de aur. & argent. legat.* Quod si rem legatam pignori vel hypothecæ obligavit, non videtur ademisse legatum, itaque heres debet eam luere, & præstare legatario, ex *hoc* §. *& l.* 3. *C. de legat.* Ratio est, quia vix res nostras pignori damus, nisi necessitatis causa, puta pro mutua pecunia, pecuniæ enim non solebant credi a fœneratoribus, nisi sub pignore; Tertull. de idololatr. *Pecuniam de ethnicis mutuantes, sub pignoribus fiduciati, jurati cavent, & sic negant.* Ambros. de Tob. cap. 4. *Vos, inquam, dicitis creditores, qui non homini, sed pignori credidistis.*

§. *si quis debitori.*

SI quis debitori liberationem legaverit, utile est legatum, ita ut heres neque a debitore, neque ab herede ejus, neque ab alio, qui vice heredis sit, puta substituto, debitum petere possit. Et si debitor ab herede conveniatur, datur ei exceptio doli mali, vel actio ex testamento, si velit agere adversus heredem, ut liberetur per acceptilationem, ex *hoc* §. *l.* 3. *l. quod si mihi, ff. de liberat. legat. l. pen.* §. *ult. de bon. libert.* Nempe liberatione legata Titio, debitor liberandus est per acceptilationem, si Titius solus sit debitor, vel per pactum de non petendo, si cum alio sit debitor ; *d. l.* 3. §. *nunc de effectu.* Ratio differentiæ est, quod acceptilatio habet vim solutionis, & obligationem tollit, & prodest utrique debitori ; *l.* 3. §. *ult. ff. de duob. reis.* Pactum de non petendo est personale, non prodest correo ; *l. si unus,* §. † *pactus, ff. de pactis.* Liberatio potest legari in perpetuum, vel ad tempus ex *hoc* §. quia hodie legari potest ad tempus ; *l. ult. C. h. tit.* puta si testator ab herede suo testamento caverit, ne a Titio debitore suo quidquam exigeret quamdiu viveret, debitor conventus ante diem, potest se tueri opposita exceptione doli mali ; *l. Aurelio, in princ. ff. de liberat. legat.* Quod si liberatio legata sit pure & simpliciter, puta si testator caverit, quod mihi debetur a Titio peti nolo, debitor omnino tutus erit exceptione doli mali, vel actione ex testamento, & liberatio prodest non solum debitori, sed & heredi ejus ; *l. non solum* 8. §. *si verba, ff. eod.*

§. *ex contrario.*

SI debitor creditori suo quod debet legaverit, inutile est legatum, si nihil amplius est in legato quam in debito : quod si debitum in diem vel sub conditione, pure legetur, utile est legatum propter commodum repræsentationis; debitor enim ante diem conveniri non potest, nisi in casu *l. in omnibus, ff. de judic.* Et si debitor, qui tutus erat exceptione perpetua doli vel pacti, quod debet legaverit, utile est legatum, quia exceptionem remisit, ex *hoc* §. *l. si creditori, & seq. ff. de legat.* 1. *l.* † *si creditor, & seq. de liberat. legat.* Adeoque tale legatum valet, ut si vivo testatore dies vel conditio extiterit,

Source : BIU Cujas

tamen legatum consistat, quia semel constitit, secundum Papiniani sententiam, cujus vestigium deprehenditur in *l. 5. ff. ad l. falcid.* & hanc probat Justinianus *hoc loco*, explosa sententia existimantium legatum extingui, cum in eum casum pervenerit, a quo incipere non potest, quæ fuit sententia Pauli *in l. debitor, ff. de legat. 2.* ubi si vivo testatore dies cedat, inutile est legatum, quamquam ab initio constiterit, quia inutile est legatum, quoties in eam causam pervenit, a qua incipere non potest, id est si testator post diem vel conditionem existentem, id legaverit quod debebat, testamentum non valet, quia in eam causam decidit, a qua incipere non potest.

§. *sed si uxori.*

SI maritus uxori dotem legaverit valet legatum, quia plenius est legatum dotis, quam de dote actio, ex *hoc* §. nimirum propter commodum repræsentationis; *l. 1. §. & verum, ff. de dot. prælegat.* Dos solvebatur annua, bima, trima die, id est tribus pensionibus annuis. Hodie dos, quæ in mobilibus consistit, restituitur intra annum; *l. unic. §. cum autem, C. de rei uxor. act.* At legatum dotis debetur statim a morte testatoris; *d. l. 1. §. & verum:* unde dos prælegari dicitur, quia hujusmodi legatum continet commodum repræsentationis: dicitur etiam relegari, quoniam reddi potius videtur quam dari, ideoque dos prælegata non cadit in fideicommissum ab uxore relictum; *l. cum pater, §. fidei tuæ, de legat. 2.* & dos prælegata falcidiam non patitur, quia in ære alieno computatur; *l. cum ab uno, §. ult. ff. eod.* Si maritus, qui nullam dotem accepit, uxori simpliciter dotem legaverit, non designata certa re, vel quantitate, inutile est legatum, ex *hoc §. & l. 6. ff. de dot. prælegat.* At si maritus centum legaverit uxori hoc adjecto, *quæ mihi dedit in dotem*, licet non dedit, centum uxori debentur; *l. cum quidam 21. de legat. 2.* ratio est quia quantitas certa legata est, quæ extat, aut facile confici potest ex bonis hereditariis, atque id etiam in bonis extare intelligitur; *l. si pecunia, de legat. 2.*

§. *si res.*

SI res sine facto heredis perierit, legatario perit, ex *hoc* §. id est si res legata perierit sine mora & culpa heredis, heres interitu rei legatæ liberatur; *l. non amplius, §. 1. † de legat. 1. l. omnia, §. species, de legat. † 2. l. si ex legati causa, de V. O.* Si res legata perierit post moram heredis, heres præstat interitum rei legatæ; *l. cum servus, §. fructus, l. cum res, §. ult. l. si servus 108. §. si servus legatus, ff. de legat. 1.* quod si res perierit mora legatarii, tunc legatarius repellitur opposita exceptione doli mali; *l. hujusmodi, §. si cui homo, ff. de legat. 1.*

†† Corrig. *de instruct. vel instrum. legat.* & dele quod dicitur, *Paulum sibi contrarium fuisse patet in l. si cui, ff. eod.* nam id non patet.

§. *si quis ancillas.*

SI fundus instructus vel cum instrumento legatus sit, fundo alienato, & instrumenti legatum extinguitur, ex *hoc* §. & hæc fuit sententia Pauli; *l. 1. ff. †† de dot. prælegat.* quem tamen sibi contrarium fuisse patet in *l. si cui, ff. eod. de instr. vel instr. legat.* Plenius est legatum fundi instructi, quam cum instrumento, quia legato fundi cum instrumento, tantum continentur instrumenta fundi, ut aratra, ligones, & cetera agri colendi causa necessaria: legato fundi instructi, non tantum continentur instrumenta fundi, sed etiam proprium instrumentum patrisf. quod ibi habuit in usum suum; *l. quæsitum, §. sed si fundus, ff. eod.* † Augustin. libr. 2. quæst. in exod. cap. 47. *Sicut nunc instructum dicere voluimus, dum tamen eo nomine & homines, & ju-*

† sc. *de instruct. vel inst. legat.* & adde §. *proinde ejusd. l.*

Source : BIU Cujas

& jumenta vel omnia pecora intelliguntur.

§. *si grex.*

INcrementum vel decrementum rei legatæ pertinet ad legatarium : legatum gregis augetur acceſſione capitum, & decreſcit morte veterum, & ſi grex pecudum legatus ad unum redierit, quod ſupereſt vindicari poteſt, licet grex eſſe deſierit, ex *hoc* §. *& l. ſi grege*, *ff. de legat.* 1. Meum eſt quod ex re mea ſupereſt, cujus vindicandi jus habeo ; *l. ſolum*, *ff. de rei vindicat.* Grege legato, ovium capita, quæ poſtea gregi per fœturam accedunt, ad legatarium pertinent, ex *hoc* §. *l. grege legato*, *ff. de legat.* 1. Aliud eſt in uſufructu gregis legato, ſi grex redierit ad unum bovem, uſusfructus omnino amittitur, quia grex eſſe deſiit ; *l. ult. ff. quib. mod. uſufruct. amitt.* multum intereſt inter uſumfructum & proprietatem, uſusfructus facilius amittitur, quam proprietas. Uſusfructus formæ mutatione extinguitur ; *l.* 5. §. 2. *ff. eod.* at proprietas non amittitur niſi interitu rei.

§. *ædibus.*

SI inſula legata conflagrarit, area tamen debetur ; *l. ſi grege*, *ff. de legat.* 1. domo legata, columnæ & marmora, quæ poſt teſtamentum adjecta ſunt, legato cedunt ; *l. cetera*, §. *pen. ff. eod.* unde deſumptus eſt *hic* §. Alia eſt ratio uſusfructus, uſufructu domus legato, ea combuſta, ne areæ quidem uſusfructus debetur ; *l. repeti*, §. *rei mutatione*, *ff. quib. mod. uſusfr. amitt. l. qui uſumfructum*, *ff. de uſufr.* Et areæ uſufructu legato, ac ædificio impoſito, uſusfructus extinguitur ; *d. l. repeti*, §. *ſi areæ.*

§. *tam autem.*

NOn ſolum res corporales, ſed etiam incorporales, ut nomina & actiones, legari poſſunt. Legato nomine, heres non tenetur debitam pecuniam exigere, & præſtare legatario, ſed tenetur tantum cedere actionibus, ex *hoc* §. *l. ſervum*, §. † *ſed etſi nomen*, *l. ſi ſic legatum*, §. 2. *ff. de legat.* 1. *l. qui chirographum*, *de legat.* 3. Qui idcirco tenetur, quod habet actionem, liberatur cedendo actionibus ſuis ; *l. quod debetur*, *ff. de pecul.* Hodie legato nomine, utiles actiones, quæ defuncto adverſus debitorem competebant, transeunt in legatarium, ſine ceſſione ; *l. ex legato*, C. *h. tit.* idemque eſt in omnibus caſibus, in quibus nomen ex juſta cauſa tranſlatum eſt in alium, idque ex reſcripto D. Pii ; *l. ſi cum emptore*, *ff. de pact. l.* † *ult. C. quand. fiſc. vel privat. l.* 2. C. *de oblig. & act.* Nomine legato, ſi ipſe teſtator ſuperſtes debitam pecuniam exegerit, legatum extinguitur, ex *hoc* §. *l. ſi ſic legatum*, §. 2. *ff. de legat.* 1. niſi exegerit, non tamen animo adimendi legati, puta ſi nomen debitoris exegit, & pecuniam pro depoſito habuit, vel ſi pecuniam a debitore non exegit, ſed oblatam accepit, quam non potuit non accipere ; *l. fideicommiſſa*, §. *ergo & ſi nomen*, *de legat.* 3. *l. pen.* §. *ult. de adimend. legat.* quia creditori invito etiam ante diem ſolvi poteſt ; *l. quod certa*, *ff. de ſolut.* Legatum, ut heres ædes Titii reficiat, vel illum ære alieno liberet, valet, *ex hoc* §. ſi teſtator opus fieri juſſerit, ſinguli heredes tenentur in ſolidum, quia obligationes faciendi ſunt individuæ ; *l. ſtipulationes* 72. *l. in executione*, §. 2. *ff. de V. O. d. l. fideicommiſſa*, §. *ſi in opere*. Heres opus facere juſſus, non liberatur ſumptum operis offerendo, cum teſtator per ipſum id fieri voluerit ; *d. l. fideicommiſſa*, §. *ult.*

Source : BIU Cujas

§. *si generaliter.*

SI generaliter servus vel res alia legetur, electio est legatarii, ex *hoc* §. *l. si servus* 108. §. *cum homo*, *ff. de legat.* 1. Pugnare videtur *l. si a substituto*, §. 1. *ff. eod.* ubi homine generaliter legato, electio est heredis quem velit dare: sed distingue legatorum genera, ut si legetur per vindicationem, electio sit legatarii. Homine generaliter legato per vindicationem, ita est electio legatarii, ut optimum eligere non possit, puta actorem, sed nec pessimum accipere cogatur; *l. legato*, *ff. de legat.* 1. Homine generaliter legato per damnationem, electio est heredis, ita ut non deteriorem det; *d. l. si a substituto*, *& l. si heres* 110. *ff. eod. de legat.* 1. Hodie sublata differentia legatorum, homine in genere legato, electio est legatarii, nisi testator aliud dixerit, ut subjicit Justinian. *hic*, id est nominatim caverit se velle electionem esse heredis. Hæc decisio locum habet in corporibus legatis, non in quantitate legata, v. g. nummis indistincte legatis, in dubio quod minimum est sequimur; *d. l. si servus*, §. † *ult. l. nummis*, *de legat.* 3.

†V. si probat. Faciunt *l.* 14. in fin. *l. cum servus*, §. *scio ex facto*, *de leg.* 1. *l.* 43. *in fin. de leg.* 2. *l.* 29. §. 1. *de legat.* 3.

§. *optionis.*

OLim optionis legatum, ubi testator optionem servi vel alterius rei hereditariæ legasset, erat conditionale, id est habebat in se conditionem, si legatarius vivus optasset, ut ait Justinianus *hoc loco*, quia optio est personalis; *l.* † *si stipulatus* 76. *l. si servus* † *ult. ff. de V. O.* & quod Paulus ait in *l. illud aut illud*, *ff. de opt. legat.* electione Stichi aut Pamphili legata, si nullo electo legatarius decesserit, post diem legati cedentem jus eligendi ad heredem transmitti, sapit manum Triboniani, a quo dempta negatio, ut hunc locum Pauli accommodaret constitutioni Justiniani, ex qua optionis legatum est purum. Et si uni legata sit optio servi, vel alterius rei hereditariæ, & legatarius decesserit, non facta electione, eligendi potestas transmittitur ad heredem legatarii, vel si plures sint legatarii, quibus optio relicta est, & inter se in eligendo dissentiant, alio alium servum aliamve rem eligere volente, tunc lis sorte dirimitur, ita ut quem sors prætulerit, habeat potestatem eligendi, & ceteris collegatariis vel coheredibus præstet contingentis partis æstimationem, & rem solidam sibi retineat; *l. ult. C. comm. de legat.* unde promptus est *hic* §. Nec novum in jure judicium per sortem, in aliis enim causis, ut in judicio familiæ erciscundæ, si res aliter expediri non possit, lis sorte dirimitur; *l.* 5. *ff. famil. erciscund.* Optione legata, si semel legatarius rem elegerit, non potest variare, quia jus optionis prima testatione, id est prima electione, consumitur; *l. apud Ausidium*, *ff. de opt. legat.* Idemque juris est in stipulationibus, si quis stipulatus Stichum aut Pamphilum dari utrum elegerit, si semel unum elegerit, non potest mutare voluntatem; *l. si quis stipulatus*, *ff. de V. O.* Optio prima testatione consumi dicitur, quia optio est actus legitimus; *l. actus legitimi*, *de R. J.* qui fiebat certis solemnibus coram testibus, & coram prætore; Seneca controvers. libr. 7. cap. 8. *Optio est enim quæ legitime fit, illa non est facta legitime, si prætor defuisset, numquid optionem vocares?* Optio est unius e duobus; electio de pluribus; Donatus in Andria, in hæc verba, *quæ sese inhoneste optavit: optare est unum de duobus eligere.*

§. *legari.*

ILlis solis legari potest, cum quibus est testamenti factio, ex *hoc* §. intelli-
ge testamenti factionem passivam, quam habent hi qui ex testamento capere

Source : BIU Cujas

pere possunt, puta legari non potest his qui in hostium potestate sunt; *l. si servo*, §. 1. *ff. de legat.* 1. *l.* 4. *de his quæ pro non script. habentur.*

§. *incertis.*

OLim incertis personis nec legatum, nec fideicommissum relinqui poterat, ne quidem a militibus, ex *hoc* §. quia in legatis, ut in institutione, certum debet esse judicium & consilium testantis; *l. qui in testamento*, *ff. qui testam. fac.* Incerta persona videtur, quam testator incerta opinione animo suo subjicit, veluti si ita dicat, *quicumque filio meo filiam suam in matrimonium dederit, ei heres meus illum fundum dato*, ex *hoc* §. Sub certa vero demonstratione e certis personis incertæ personæ legari etiam olim potuit, veluti si testator dicat, *e cognatis meis, qui filiam meam uxorem duxerit, heres meus illi centum dato*, ut subjicitur in *hoc* §. *l. quidam*, *ff. de reb. dub.* Legatum pauperibus relictum, non quasi incertis personis relictum evanescit, sed omnino debetur pauperibus loci, in quo testator larem fovit, & domicilium habuit; *l. id quod pauperibus*, *l. si quis ad declinandum*, §. 1. & 2. *C. de Episc. & cleric. nov.* 131. *cap.* † 11. Incertis personis relictum legatum, vel fideicommissum, per errorem solutum condici non potest, ut subjicitur in calce *h.* §. Ita & fideicommissum ex minus solemni testamento præstitum repeti non potest; *l. fideicommissum*, *ff. de condict. indeb. l.* 2. *C. de fideicommiss.* quoniam ex nuda voluntate testatoris naturalis obligatio subest, ex qua solutum condici non potest; *l. si non sortem*, §. *libertus*, *ff. de condict. indebit.* Et si heres solida legata solverit, falcidia non potest condici; *l. ult. C. ad l. falcid.*

§. *posthumo.* §. *sed nec.* §. *posthumus.*

OLim posthumo alieno legari non potuit, quod incerta persona sit. Alienus posthumus est, † qui natus suus heres futurus est. Constit. Justiniani, quæ desideratur, alieno posthumo legari potest; §. *posthumo*, & *seq.* Alienus posthumus & olim institui poterat, & hodie potest; §. *posthumus*, §. 1. infr. *de bonor. possess. l. posthumus*, *ff. de inoffic. testam.* Quod dixi alienum posthumum olim heredem institui potuisse, non de jure civili, sed de jure prætorio intelligendum est, idque abusive & improprie, quia prætor non facit heredem, sed bonorum possessorem, bonorum autem possessor pro herede est.

† Sic legendum: *qui natus inter suos, heres testatoris futurus non est.*

§. *si quidem.*

ERror in nomine non vitiat legatum nec institutionem, dummodo constet de persona, nomina enim hominum significandorum gratia inventa sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest, ex *hoc* §. & *l.* 4. *C. de testament.* Extraneus, qui frater non est, fratris nomine recte heres instituitur; *l. nemo dubitat*, §. 1. *ff. de hered. instit. l.* 5. *C. eod. l. falsa demonstratio*, *ff. de condit. & demonstr.* Error quoque in designanda regione fundi, non vitiat legatum; *l. patronus*, §. *libertis*, *ff. de legat.* 3.

† §. iste desideratur. Adde *l.* 33. & 40. *eod. tit.*

†† Corrig. *l.* 9. §. *si quis*, *ff. de hered. instit.* Et junge *l.* 6. *in fin. de rei vindic.* & *l.* 34. *de cond. & demonstr.*

§. *huic proxima.*

FAlsa demonstratio non vitiat legatum, puta si testator Stichum servum emptum quasi vernam legaverit, valet legatum, ex *hoc* §. *l. demonstratio*, *l. nominatim*, §. † *sed etiam*, *ff. de condit. & demonstrat.* Demonstratio nominis vice fungitur; *l.* †† 1. §. *si quis*, *ff. de hered. instit. l.* 6. *de reb. credit.*

Source : BIU Cujas

§. *longe magis*.

FAlsa causa adjecta legato non vitiat legatum, veluti si testator ita dixerit, *Titio, quia me absente negotia mea curavit, Stichum do, lego*, licet Titius negotia defuncti minime curaverit, utile est legatum ; *l.* † *demonstratio*, §. *quod autem*, *l. cum tale*, §. *falsam 6. ff. de condit. & demonstr.* Et soluto ex falsa causa legato, non est locus condictioni ; *l. in summa*, §. *id quoque*, *ff. de condict. indebit.* Ratio est, quia causa legandi legato non cohæret ; *d. l. cum tale*, §. *falsam 6.* Sic falsa causa debiti vel depositi non vitiat legatum ; *l.**) *si sic legatum*, §. *ult. ff. de legat.* 1. *l. Lucius*, §. *quisquis* † *mihi heres* 10. *de legat.* 2. *l. Aurelius*, §. *ult. de liber. legat.* Aliud est si conditionaliter causa adjecta sit legato, hoc modo, *Titio, si negotia mea curavit, fundum do, lego*, ex *hoc* §. quod enim sub una conditione datum est, sub contraria conditione ademptum intelligitur ; *l. si legatum*, *l. legata inutiliter*, *ff. de adimend. legat. l. aliquando*, *de condit. & demonstrat.* Conditio proprie in futurum, causa in præteritum confertur ; *l. cum ad præsens*, *& dd. seqq. ff. de reb. credit. l. si ita legatum*, *de condit. & demonstrat.*

§. *ante heredis*.

OLim nec legata nec libertates ante heredis institutionem relinqui poterant, quia testamentum ex heredis institutione vim & robur accipit ; *l. quod per manus*, *ff. de jur. codicillor.* & ob id heredis institutio est caput & fundamentum totius testamenti, ut ait Justinian. *hic* & Ulpian. *libr. regular. tit.* 24. §. 15. Ambros. in psalm. 118. *Recitetur igitur testamentum*, *& institutiones ejus considerentur*. Constit. Justiniani legata ante vel post heredis institutionem vel inter medias heredis institutiones relinqui possunt, quia in testamentis non spectatur ordo scripturæ, sed voluntas testatoris ; *l. ambiguitates*, *C. de testam.* unde desumptus est *hic* §. Qua ratione inter plures legatarios eodem testamento honoratos, non est locus prælationi, sed omnes concurrunt ; *l.**) *cum pater*, §. *fidei tuæ*, *de legat.* 2. *l.* 5. §. *qui prior*, *ut in possess. legat.*

§. *post mortem*.

OLim post mortem heredis vel legatarii legatum relinqui non poterat, puta hoc modo, *Titius heres meus post mortem suam, centum Seio dato, vel Titius heres meus, Seio post mortem ejus centum dato*, propter antiquam juris regulam, quod actio, quæ non cœpit a defuncto vel in defunctum, non potest incipere ab herede neque contra heredem ; *l. dubium*, *C. Th. de divers. rescript.* Obligatio enim non potest conferri in id tempus, a quo incipere non potuit. Sed constitut. Constantini legatum exemplo fideicommissi, ex quo legata per omnia exæquata sunt fideicommissis, potest relinqui post mortem heredis vel legatarii, ita ut hodie actio possit incipere ab herede, & contra heredem ; *l.*† 1. *C. ut actiones & ab herede*, *& contra heredem*, unde sumptus est *hic* §. Hæc autem legata, cum heres morietur, vel legatarius, etiam olim valebant ; *l.* 4. *ff. quand. dies legat. ced.* quia momentum moriendi vitæ magis quam morti deputatur ; *l. qui duos*, §. 1. *ff. de manumiss. testam.*

† *l. un.* quæ debetur Justiniano.

§. *ult.*

OLim pœnæ nomine legatum relinqui, adimi, vel transferri non poterat, puta, *heres meus, si filiam Seio collocaverit, vel nisi collocaverit ; h.* §. *ult.*

Source : BIU Cujas

ult. & apud Ulpian. *tit.* 24. §. 17. *l.**) *si ita legatum, ff. de condit. & demonstrat.* quia legata instituta sunt non in pœnam, sed in honorem heredis. Et primus Antonin. P. id legati genus confirmavit ex Capitolin. Etiam legatum pœnæ causa relictum nec Principi capere licuit, nec ex militis testamento tale legatum relictum valebat. Constit. vero Justiniani, legatum pœnæ causa relictum valet, nisi relictum sit sub conditione impossibili, proposa, vel illicita; *l. unic. C. de his quæ pœnæ nomine relinquuntur*, unde haustus est *hic* §.

De adempt. legator.

CAP. XXI.

In princ.

HEreditas testamento data, nuda voluntate adimi non potest, sed alio testamento solemni, & jure perfecto, puta hereditas codicillis neque dari neque adimi potest; *l. quod per manus, ff. de jur. codicillor. l. si idem, C. de codicill. l. non codicillum, C. de testam.* Legatum nuda voluntate, id est minus solemni voluntate, adimi potest, sive eodem testamento, sive codicillis ad testamentum factis; *l. datum, C. de legat.* Legatum adimitur tacite, vel expresse; si expresse, ipso jure extinguitur; quod enim ademptum est, nec legatum videtur; *l. si ita sit, ff. de legat.* 1. Legatum adimitur tacita voluntate, puta supervenientibus capitalibus inimicitiis, vel re ultro alienata, & si legatarius petat, repellitur opposita exceptione doli mali; *l.* 3. §. *ult. l. rem legatam, ff. h. tit.* Legatum tamen generali sermone non adimitur, & transfertur in alium; *l. uxorem*, §. *felicissimo, de legat.* 3. Legatum quibuscumque verbis adimi potest ex *init. h. tit.* quia & quibuscumque verbis, nuda voluntate relinqui potest; *l. & in epistola, C. de fideicommiss.*

§. *transferri.*

SIcut legatum adimi potest, ita & ad alium transferri, veluti hoc modo, *quod Titio legavi, Seio do, lego, ex hoc* §. *l. sicut, ff. h. tit.* Legatum transfertur quatuor modis. I. a persona ad personam, puta a Caio ad Seium. II. cum onus præstandi legati, ab uno ex heredibus transfertur in alium. III. cum res pro re datur, veluti pro fundo decem. IV. cum quod pure datum est, transfertur sub conditione; *l.**) 4. *l.* 6. *ff. h. tit.* Alias legatum relictum sub conditione, vel onere, de persona ad personam transfertur sub eadem conditione, & sub eodem onere; *l. legatum, ff. h. tit. l. Gaio*, in princ. *de aliment. & cibar. legat.* Legatum autem transfertur, sive eodem testamento, sive codicillis ad testamentum factis.

De lege falcidia.

CAP. XXII.

In princ.

OLim lege 12. tab. patrif. libera erat legandi potestas, *uti quisque legassit*

Source : BIU Cujas

ſuæ rei, ita jus eſto ; l. verbis legis, ff. de V. S. id eſt hereditas legatis impune exhauriri & conſumi poterat. Sed quia plerumque hereditas exhauſta non inveniebat heredem, qui adire vellet, & ſe immergere oneribus hereditariis propter nullum aut minimum lucrum, lata eſt lex Furia, ne cui ultra mille aſſes legare vel mortis cauſa donare liceret ; Ulpian. *libr. regular. tit.* 1. §. 2. *& tit.* 28. §. 7. Verum hac lege non ſatis cautum erat heredi, quæ de ſingulis legatariis lata erat. Nam ſi plures eſſent, univerſam hereditatem legatis abſumere licebat. Succeſſit lex Voconia, ne legatarius plus accipere ex teſtamento poſſet, quam heres, ut liquet ex Verrin. 3. *Quod ſi plus legarit, quam ad heredem heredesve perveniat, quod per legem Voconiam ei qui cenſus eſſet non licet.* Verum hæc lex eodem fere vitio laborabat, nam ſi plures legatarii eſſent, fieri poterat, ut tam heredes, quam legatarii ſinguli minimum quid acciperent. Tandem temporibus Auguſti lata eſt lex falcidia, rogante ſc. Falcidio tribuno plebis ; Dio *libr.* 48. ne teſtator legare poſſit ultra dodrantem, ita ut non minus, quam quarta pars hereditatis heredi ſumpſit ; *l.* 1. *ff. h. tit.* quæ retentio jure teſtamenti fieri dicitur ; *l. qui duos, ff. de vulgar. & pupillar.* quia legata per legem falcidiam ipſo jure minuuntur ; *l. pen. C. h. tit. l. lineam, l. in quantitate,* §. *ult. ff. eod.* §. 33. infr. *de actionib.* id eſt poteſtate legis quarta bonorum debet remanere penes heredem ; Plin. libr. 5. epiſt. 1. *Si mater, inquam, te ex parte quarta ſcripſiſſet heredem, num queri poſſes? quid ſi heredem quidem inſtituiſſet ex aſſe, ſed legatis ita exhauſiſſet, ut non amplius apud te quam quarta remaneret?*

§. I.

IN ſingulis heredibus ponenda eſt ratio legis falcidiæ, puta ſi Titius & Seius heredes inſtituti ſint, & portio Titii exhauſta ſit legatis, vel ſupra modum onerata, etſi Seio quadrans bonorum relictus ſit, Titio competit beneficium legis falcidiæ, ex *hoc* §. *& l. in ſingulis, ff. h. tit.* Tot enim videntur hereditates, quot ſunt heredes, id eſt portiones hereditatis, quælibet pars fundi eſt fundus ; *l. locus, ff. de V. S.* Eadem ratione ſi plures ſint ſubſtituti, a quibus nominatim legata relicta ſunt, & pars unius ſubſtituti exhauſta ſit legatis, is falcidiam ex ſua perſona inducet ; *l. in ratione* 11. §. *ſi filio, ff. h. tit.*

§. † *quantitas autem.*

IN ponenda ratione legis falcidiæ, tempus mortis ſpectatur, id eſt modus patrimonii, ex quo quarta deducenda eſt, ſpectatur a mortis tempore. Puta ſi teſtator, qui centum in bonis habebat, centum legaverit, & poſt mortem teſtatoris ante aditam hereditatem, tantum acceſſerit hereditati ex fructu pecorum, vel partu ancillarum, vel alia ratione, quantum ſufficit ad implendam quartam heredi, nihil legatariis prodeſt acceſſio hujusmodi, ſed nihilominus quarta e legatis detrahitur ; quod ſi teſtator e centum, quæ in bonis habebat, ſeptuaginta quinque legaverit, & ante aditam hereditatem bona caſu decreverint, ut non amplius quam ſeptuaginta vel etiam minus ſuperſit, ſolida legata debentur, nec ea res damnoſa eſt heredi, id eſt non eſt quod queratur heres, cui integrum eſt non adire hereditatem, ex *hoc* §. *l. cum quo, l. in quantitate, ff. h. tit.* quia heres non cogitur adire hereditatem legatorum ſervandorum cauſa : & ſpeciale eſt in fideicommiſſo univerſali, ut heres rogatus reſtituere hereditatem, ſi † nolit adire, cogatur a prætore adire & reſtituere hereditatem ; *l. ſi quis omiſſa, ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. l.* 4. *ad Trebell.* In ponenda ratione legis falcidiæ, tempus mortis ſpectatur, quia dies legatorum cedit, non ab adita hereditate, ſed a morte teſtatoris ; *l. unic.*

Source : BIU Cujas

l. unic. §. cum igitur, C. de caduc. tollend.

§. *ult.*

IN ponenda ratione legis falcidiæ, prius de bonis defuncti deducitur æs alienum, quia sc. bona non intelliguntur, nisi deducto ære alieno; *l. subsignatum, §. bona, ff. de V. S.* Impensa funeris, quia est æs alienum defuncti; *l. 1. ff. de religios.* Pretia servorum testamento manumissorum, ex *hoc §. l. † si ea, C. h. tit.* & quod impensum est explicandarum venditionum causa; *l. quantitas, ff. h. tit.* id est bonorum distrahendorum causa.

De fideicommissar. heredit. & ad SC. Trebell.

CAP. XXIII.

§. I.

SUperioribus titulis actum est de substitutionibus directis, quæ fiebant verbis civilibus & directis, nunc Justinianus progreditur ad fideicommissarias, quæ fiunt verbis obliquis & precariis. Fideicommissum primis temporibus, id est ante Augustum, nullo vinculo juris, sed solo pudore continebatur, id est fide heredis, cujus vinculum est pudor. Ex causa fideicommissi nulla erat actio in heredem, sola fides tuebatur fideicommissa, nec quisquam cogebatur præstare id de quo rogatus erat. Fideicommissa enim introducta sunt in fraudem legum, ut iis qui ex testamento capere non poterant, relinqueretur interposita persona capace. Puta fideicommissa fiebant mulierum causa, quæ solidum capere non poterant lege Voconia; Quintil. inst. libr. 9. cap. 2. *Nam quia per leges institui uxor non poterat heres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommissum pervenirent*, quo alludit Tertull. 1. ad uxor. *Tu modo* (inquit) *ut solidum capere possis, hoc meæ admonitionis fideicommissum Deus faciat.* Constitutionibus Principum clericis ex testamento capere non licebat, sed legi fraus fiebat per fideicommissa; Hieronym. ad Nepotian. *Provida severaque legis cautio, & tamen nec sic refrænatur avaritia, per fideicommissa legibus illudimus.* Hoc consilio fideicommissum in gratiam proscripti factum memorat Tull. Verr. † 1. 47. *P. Trebonius viros bonos & honestos complures fecit heredes: in his fecit suum libertum. Is A. Trebonium fratrem habuerat proscriptum. Ei cum cautum vellet, scripsit, ut heredes jurarent, se curaturos, ut ex sua cujusque parte, ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proscriptum perveniret.* Simile argumentum fideicommissi a Q. Fabio Gallo relicti extat & apud Tull. 2. *de finib.* Fideicommissa, inquam, nullo vinculo juris continebantur, sed ex fide heredum pendebant, & hoc est quod ait Ulpian. *libr. regular. tit.* 25. fideicommissum non ex rigore juris civilis proficisci, sed ex voluntate dari relinquentis. Verum quia dubia & fragilis est fides hominum, ut plurimum testatores cum jurejurando heredes obtestabantur, ut fideicommissum præstarent; *l. cum pater, §. † filius, de legat. 2. l. 3. de jur. fisc. l. 2. C. comm. de legat.* Tertull. de præscript. adversus heretic. *Ego sum heres Apostolorum, sicut caverunt testamento, sicut fideicommiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo.* Quinimmo & testatores ipsi heredes scriptos jurejurando obstringebant de præstando fideicommisso, ut jam intelligere licuit ex loco Tull. supra exscripto, quem illustrat & alter locus Tull. 2. de finib. cujus verba hic apponere non pigebit: *Memini me adesse P. Sextilio Rufo, cum is ad amicos rem ita deferret, se es-*

Source : BIU Cujas

se heredem Q. Fabio Gallo, cujus in testamento scriptum esset, se esse ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Is Sextilius factum negabat. Poterat autem impune: quis enim redargueret? Nemo nostrum negabat: eratque verisimilius hunc mentiri, cujus interesset, quam illum, qui id se rogasse scripsisset quod debuisset rogare. Addebat etiam, se in legem Voconiam juratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur. Primus D. Augustus cognitionem de fideicommissis consulibus demandavit, inde crescente paullatim jure fideicommissorum auctoritas eo usque evaluit, ut prætor proprius crearetur, qui de fideicommissis jus diceret, quem fideicommissarium appellabant, ut exponitur in *hoc* §. *&* §. 1. infr. *de codicill. l.* 2. §. 32. *vers. post deinde, de orig. jur.* Fideicommissa non petebantur per formulam, id est actione ordinaria, quæ dabatur ex formula, sed de his extra ordinem cognoscebant in urbe consules, aut prætor fideicommissarius; *l. pecuniæ* 178. §. *actionis, ff. de V. S. l. mulier* 22. §. *non est*, & passim, *ad Trebell.* in provinciis præsides; *l. cum etiam, C. de reb. credit.* & fideicommissi nomine non dabatur in rem actio, sed persecutio; *l. in fideicommissi, ff. de usur.* Hodie fideicommissa petuntur actione ordinaria, ex quo magistratus non judicem dant, sed ipsi solent judicare; *l.* 2. *C. de pedan. judic.* D. Claudius creavit duos prætores, qui de fideicommissis jus dicerent; *d. l.* 2. §. 32. *vers. post deinde, de orig. jur.* Idemque perpetuam jurisdictionem de fideicommissis prætoribus in urbe, præsidibus in provinciis mandavit; Tranquillus in Claud. cap. 22. *jurisdictionem de fideicommissis quotannis, & tantum in urbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum, atque etiam per provincias potestatibus demandavit.* Et hoc est quod inspexit Justinianus *hoc loco*, cum ait, jus fideicommissorum paullatim in assiduam jurisdictionem conversum. Cognitio de fideicommissis in urbe erat consulum, aut prætoris, nimirum prætor de his cognoscebat usque ad certum modum patrimonii, de majori consules; Quintil. instit. libr. 3. cap. 3. *Non debes apud prætorem petere fideicommissum, sed apud consules, major enim prætoria cognitione summa est.*

§. *in primis.*

FIdeicommissum tribus modis relinquitur, testamento, codicillis, & ab intestato; §. † *ult.* infr. *h. tit. &* §. † 1. infr. *de codicill.* Si testamento relinquatur fideicommissum, non potest relinqui sine heredis institutione. In primis opus est, ut quis recto jure, id est directo heres instituatur, alioqui inutile est testamentum, in quo nemo heres instituitur ex *hoc* §. quia heredis institutio est caput & fundamentum testamenti; §. *ante heredis*, supr. *de legat.* & fideicommissum præsupponit heredem primo gradu scriptum, & aditam hereditatem; verumtamen perempto primo gradu, hoc est herede mortuo vivo testatore, testamentum potest incipere a secundo gradu, & sic a fideicommissario; *l. Thais*, §. *Spendophorus, ff. de fideicommiss. libert.* Fideicommissum totius hereditatis vel ejus partis relinqui potest, idque pure, vel sub conditione, vel ex certo die, ex *hoc* §. Ubi fideicommissum pure relinquitur, statim præstari debet; *l.* 1. *ff. de condit. & demonstrat. l. uxorem*, §. *ult. de legat.* 3. Si heres rogatus sit alii restituere hereditatem his verbis, *ut faciat hereditatem ad eum pervenire*, fideicommissum collatum intelligitur in tempus mortis; *l. epistolam*, §. *mulier, ff. ad Trebell.* quia verbum perveniat, habet tractum temporis; *l. fideicommissa*, §. *hæc verba & seq. ff.* † *de legat.* 3. Ubi pure fideicommissum datum est, & adjectum, *rogo, ut des filio meo, faciasque, ut ad eum perveniat*, videtur fideicommissum datum filio in id tempus quo capere poterit, id est cum sui juris erit morte patris, vel emancipatione; *l. ubi pure, ff. eod.*

§. *re-*

Source : BIU Cujas

§. *restituta* . † §. *& Neronis*.

REstituta hereditate ex SC. Trebelliano, omnes actiones activæ, & passivæ transeunt in fideicommissarium ; *l.* 1. §. *cujus verba*, *ff. ad Trebell. l. si mulier* 59. §. 1. *de jur. dot.* Excipiuntur actio legis Aquiliæ, & actiones populares, quia ex bonis defuncti non pendent ; *l. qui ita*, §. *si damnum*, *ff. ad Trebell.* Restituta hereditate ex SC. Trebelliano, actiones transeunt in fideicommissarium, quia fideicommissarius est heredis loco, ut ostenditur *in hoc* §. † *& Neronis*, *& l. postulante*, §. 1. *ff. ad Trebell. l. si filiusf.* §. 1. *quod cum eo qui in alien. potest. est*. Et restituta hereditate, licet verbo tantum, non secuta traditione rerum, omnes actiones transeunt in fideicommissarium ; *l. restituta*, *l. facta*, *ff. ad Trebell.* quia hereditas est nomen juris, non facti. Restituta hereditate, actiones directæ, quæ heredi & in heredem competunt, jure civili non transeunt in fideicommissarium, quia semel heres non desinit esse heres ; *l. ei qui*, *ff. de hered. instit.* sed in eum transeunt utiles dumtaxat, ex *hoc* §. † *& Neronis*, *l. si heres*, *ff. ad Trebell.* Restitutione hereditatis fideicommissarius non fit dominus quiritarius & legitimus, quia fideicommissa fuere incognita juri civili, sed fit dominus bonitarius, id est incipit res hereditarias habere in bonis ; *d. l. facta*, *l. qui usumfructum*, *ff. si usufr. petat.* Restituta hereditate, si heres conveniat debitores hereditarios, vel conveniatur a creditoribus hereditariis, repellitur, vel tuetur se exceptione restitutæ hereditatis ; *l. ita tamen*, §. *qui ex Trebell. ff.* † *ad Trebell.* Hodie si heres rogatus restituere hereditatem, dolo malo & contumaciter, vel morte præventus non restituerit, actiones utiles ipso jure transeunt in fideicommissarium ; *l. sancimus*, §. *ult. C. ad Trebell.* cap. *in præsentia*, *de probat.* quia ubi heres est in mora restituendæ hereditatis, hereditas fictione & ministerio legis pro restituta habetur.

§. *sed quia*.

QUia cum heres totam aut pene totam hereditatem restituere rogabatur, plerumque ob nullum vel modicum lucrum hereditatem adire recusabat, atque ob id extinguebatur fideicommissum, cum non adita hereditate ex testamento nihil debeatur, neque legata, neque fideicommissa ; *l. si nemo*, *ff. de testam. tutel. l. ita tamen*, §. *quotiens*, *ad Trebell. l. si nemo*, *de R. J. l. eam quam*, *C. de fideicommiss.* ex SC. Pegasiano, ut heres aliquo præmio provocaretur ad adeundam hereditatem, permissum quartam deducere ex fideicommissaria hereditate, ut quarta falcidia deducitur ex legatis. Quarta sc. Trebellianica deducitur ex fideicommisso universali, ut quarta falcidia ex legatis, unde quarta Trebellianica falcidia dicitur, quia ad exemplum falcidiæ constituta est ; *l. coheredi*, §. † *quod si heredem*, *ff. de vulgar. & pupillar.* Quarta Trebellianica detrahitur ex fideicommisso universali, non ex fideicommisso particulari ; *l. mulier* 22. §. *ult. ff. ad Trebell.* Quarta Trebellianica ex singulis rebus, quæ per fideicommissum relinquuntur, detrahitur, ex *hoc* §. id est ex qualibet re hereditaria exemplo falcidiæ ; arg. *l. lineam*, *l. Plautius*, *ff. ad l. falcid. l.* 2. *C. eod.* Sed ex æquitate officio judicis quarta Trebellianica assignatur in una re, vel altera ; *l. potest autem*, *ff. de legat.* 1. *l.* 2. *C. quand. & quib. quarta pars*. Et si heres certas res alienaverit, res alienatæ heredi imputantur in quartam ; *l. Marcellus*, §. *res quæ*, *ff. ad Trebellian.* Restituta hereditate ex SC. Pegasiano deducta quarta, onera hereditaria, puta æs alienum, & onus legatorum dividuntur pro rata inter heredem & fideicommissarium, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *pen. & ult. ff. ad Trebell. l.* 1. *&* 2. *C. eod.* Restituta hereditate, actiones activæ & passivæ manebant quidem apud here-

Source : BIU Cujas

dem, solus poterat agere & conveniri; & fideicommissarius, qui partem hereditatis ex fideicommisso recipiebat, legatarii partiarii loco habebatur, id est legatarii, cui pars bonorum legata erat, quæ species legati, partitio vocabatur, & agnoscebat onus æris alieni, quia legatarius partis bonorum pro herede habetur; *l. ult. ff. de usufruct. legat. l. si quis bonorum, de legat.* 1. Unde quæ solebant stipulationes interponi inter heredem & legatarium partiarium, eædem interponebantur inter heredem, & fideicommissarium, de lucris & damnis hereditariis pro rata communicandis, ex *hoc* §. & Ulpian. *libr. regular. tit.*25. §.15.

§. *ergo si quidem*.

SI heres scriptus non amplius quam dodrantem rogatus esset restituere, ex Trebellianico SC. restituebatur hereditas, & actiones hereditariæ pro rata dividebantur inter heredem & fideicommissarium, tamquam heredem. At si plus quam dodrantem, vel etiam totam hereditatem rogatus esset restituere, hereditas restituebatur ex SC. Pegasiano deducta quarta, & heres, qui semel adierat hereditatem, universa onera sustinebat, & stipulationes interponebantur inter heredem & fideicommissarium de lucris & damnis invicem communicandis, tamquam inter legatarium partiarium, & heredem. Cum vero tota hereditas restituebatur, emptæ & venditæ hereditatis stipulationes interponebantur inter heredem, & fideicommissarium, id est quales solebant interponi inter heredem, & emptorem hereditatis, ex *hoc* §. Quæ esset illa stipulatio emptæ & venditæ hereditatis, ut scias, nempe venditor hereditatis non tenetur de evictione rerum hereditariarum, sed tantum de facto suo satisdare debet; *l. 2. ff. de hered. vend.* Ideo vendita hereditate, plerumque mutua stipulatio inter emptorem & venditorem hereditatis interponebatur ex parte emptoris, quanta pecunia hereditatis nomine ad venditorem perveniisset, tantam emptori præstari; *l. in illa* 50. §. *ult. ff. de V. O.* Ex parte autem venditoris quantam pecuniam venditor hereditario nomine solverit, tantum ab emptore venditori restitutum iri. Igitur quemadmodum heres promittebat emptori hereditatis, se ei restituturum quidquid ex hereditate ad se perveniisset, ita idem promittebat fideicommissario, & quemadmodum emptor hereditatis, ita etiam fideicommissarius promittebat heredi se ei restituturum quidquid creditoribus hereditariis solvisset.

Si heres scriptus hereditatem quasi damnosam adire recusarit, ex Pegasiano SC. cogebatur jussu prætoris adire, & restituere hereditatem, & actiones ex Trebelliano SC. transibant in fideicommissarium, ut subditur in *hoc* §. Ex Pegasiano, si heres scriptus & rogatus hereditatem suspectam diceret, cogebatur invitus postulante fideicommissario per prætorem adire, & restituere hereditatem periculo fideicommissarii, & quartæ deducendæ commodum amittebat; *l. quia poterat, l. cogi, §. cum quidam, l. ita tamen, §.† si præceptis, ff. ad Trebell. l. si quis omissa, ff. si quis ommiss. caus. testam.* SC. Pegasiano inducta est coactio adeundæ & restituendæ hereditatis, ne destituto testamento, & ex eo non adita hereditate fideicommissum extingueretur. Sed ea hodie sublata est, totumque ipsum SC. Pegasianum, ex *novell.* 1. *cap.* 1. §. 1. *de hered. & falcid.* ex qua detrectante instituto adire, fideicommissario licet adire hereditatem, & per additionem eam sibi adquirere. Olim quo casu ex SC. Pegasiano heres cogebatur adire & restituere hereditatem, nullis stipulationibus opus erat, quibus prospiceretur heredis indemnitati, quia heres coacte adeundo & restituendo securus erat, cum adiret periculo fideicommissarii, & ex Trebelliano actiones transferebantur in fideicommissarium, ut discimus ex *hoc* §.

§. *sed*

Source : BIU Cujas

§. sed quia stipulationes.

OLim restituta hereditate ex SC. Pegasiano, stipulationes interponebantur inter heredem & fideicommissarium de lucris & damnis communicandis. Sed quia hujusmodi stipulationes captiosæ erant, & explicatu difficiles, & materia litium, exploso SC. Pegasiano, & transfuso in Trebellianum, constitut. Justiniani, quæ desideratur, fideicommissariæ hereditates ut restituantur ex Trebelliano statutum, sive habeat quartam ex voluntate testatoris, finge eum non plus quam dodrantem rogatum restituere, sive heres plus quarta, vel minus, vel nihil habeat, ut si rogatus sit totam hereditatem restituere, & quarta, quæ detrahebatur ex Pegasiano, detrahitur ex Trebelliano, ut docetur in *hoc* §. Jure Digestor. quarta non potuit vetari; arg. *l. si legatus*, §. *ult. ff. ad Trebell.* Constitutionibus saltem non potuit vetari in liberis primi gradus; *l. jubemus*, C. *eod. l. si ut allegas*, C. *ad leg. falcid.* Jure novissimo vero potest prohiberi in liberis primi gradus, modo vetetur nominatim exemplo falcidiæ, *auth. sed cum testator*, C. *eod.*

Si heres rogatus restituere hereditatem, totam hereditatem restituerit, per errorem facti, puta per errorem calculi, potest quartam condicere, ex *hoc* §. *l. si heres*, §. 1. *ff. ad Trebell. l. si sponsus*, §. † 15. *de don. int. vir. & uxor.* Quod si heres sciens sibi jus esse quartæ deducendæ, universam hereditatem restituerit, non habet condictionem indebiti soluti, quia non videtur indebitum solvisse, qui plenam fidem exhibuit voluntati defuncti, quinetiam si per errorem juris totam hereditatem restituerit sine deductione quartæ, ignorans jus heredis deducendæ quartæ, cessat condictio; *l. fideicommissum*, *ff. de condict. indebit. l. error*, C. *ad leg. falcid.*

Si heres rogatus hereditatem restituerit deducta quarta, actiones hereditariæ pro rata dantur in heredem & fideicommissarium ex Trebelliano, ut discitur ex *hoc* §. Puta si heres deducta quarta dodrantem restituerit, onera hereditaria, & legata præstantur per heredem & fideicommissarium pro rata ex Trebelliano; *l.* 1. *&* 2. C. *ad Trebell.* Quod si heres rogatus sponte totam hereditatem restituerit, non deducta quarta, omnes actiones hereditariæ activæ, & passivæ transeunt in fideicommissarium, ex *hoc* §. *& l. qui totam*, *ff. ad Trebell.* qui enim non nisi hereditatis nomine tenetur, liberatur cedendo hereditate; *l. cum fructuarius*, *ff. de usufruct.* Olim heres rogatus, si nollet adire hereditatem quasi suspectam, invitus cogebatur adire & restituere, ex SC. Pegasiano, & hoc præcipuum fuit caput SC. Pegasiani, ut ait Justinianus *hoc loco*, sed constit. Justiniani coactio illa translata est ad SC. Trebellianum, ex *hoc* §.

§. si quis una.

SI heres rogatus sit, præcepta certa re vel summa, hereditatem, vel partem hereditatis restituere, actiones ex Trebelliano transferuntur in fideicommissarium, perinde ac si retenta quarta rogatus esset hereditatem restituere, quia res præcepta imputatur in quartam; *l. in quartam*, *ff.* † *ad l. falcid.* & res præcepta manet apud heredem sine onere, quasi ex legato adquisita, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *si heres*, *l. si legatus*, §. *pen. ff. ad Trebell.* legatum sc. est sine onere æris alieni; *l. ult.* C. *de hereditar. act. l.* 1. C. *si cert. petat.* Si heres rogatus est retenta quarta restituere hereditatem, restituta hereditate retenta quarta, actiones hereditariæ pro rata scinduntur inter heredem, & fideicommissarium, ex *hoc* §. *& d. l. si legatus*, §. † *antepen.*

Source : BIU Cujas

§. *præterea*.

FIdeicommissum ex testamento vel ab intestato relinqui potest, licet legata nisi testamento relinqui non possunt, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *hoc autem*, *l. recusare*, §. 1. *ff. ad Trebell.* Ratio differentiæ est, quod fideicommissum est dispositio minus solemnis, quæ pendet ex voluntate relinquentis (ut supra dixi) ex quo fit ut in fideicommissis quinque testes sufficiant; *l. ult. C. de codicillis*, *l. ult. C. de fideicommiss.* §. *ult.* infr. *h. tit.* etsi in testamentis septem requirantur.

§. *eum quoque*.

PLures gradus fideicommissi fieri possunt: fideicommissum relinqui potest non modo ab herede, sed etiam a fideicommissario, & fideicommissarius, cui ex causa fideicommissi restituta est hereditas, rogari potest, ut eandem hereditatem, vel partem, vel rem aliam restituat, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *de illo quæritur*, *ff. ad Trebell.* Si fideicommissum pluribus diversi gradus, sub nomine collectivo relictum sit, puta liberis aut descendentibus, agnatis, vel cognatis, plures gradus fideicommissi facti intelliguntur, omnesque vocantur, non simul, sed ordine successivo, & servata graduum prærogativa; *l. omnia*, §. *in fideicommisso*, *ff. de legat.* 2. *l. heredes mei*, §. *ult. ff. ad Trebell.* Plures, inquam, gradus fideicommissi fieri possunt, sed quarta Trebellianica semel detrahitur per heredem, qui prior rogatus est; *l. lex falcidia*, *ff. ad l. falcid.* ne detractione & decremento plurium quartarum, exhauriatur hereditas, & ad quartam, vel nihilum redigatur. Et si semel heres quartam detraxerit, fideicommissarius primus non detrahit quartam secundo, nisi forte heres hereditatem restituerit non detracta quarta, ut ea primo fideicommissario cederet; *l.* 1. §. *inde Neratius*, *l. si patroni*, §. *qui* † *fideicommissam*, *ff. ad Trebell. gloss. in l. sancimus*, C. *de fideicommiss.*

§. *ultim.*

TAcita fideicommissa, quæ fidei heredis committuntur, introducta sunt in fraudem legum, ut his, qui ex testamento palam capere non poterant, relinqueretur interposita persona capace; *l. in tacitis*, *l. Lucius*, §. *ult. ff. de legat.* 1. *l. in fraudem*, *de his quæ ut indign. l.* 3. §. *tacita autem*, *de jur. fisc.* præter Quintilianum, & alios supra adductos, Dio Chrysostomus orat. 75. **) ἔνιοι τε τῶν νόμων ἀπαγορευόντων μὴ καταλιπεῖν κληρονόμους, οὓς αὐτοὶ βέλονται, ἑτέρους καταλείπουσιν ἐντελλόμενοι τὰ χρήματα ἀποδόναι τοῖς αὐτῶν ἐπιτηδείοις· *Nonnulli legibus interdicentibus, ne relinquant heredes quos ipsi volunt, alios relinquunt cum mandatis, ut pecunias restituant ipsorum necessariis*. In hujusmodi fideicommissis, cum quis in fraudem legum tacitam fidem accommodavit testatori, ei velut indigno aufertur hereditas, & fisco vindicatur; *d. l.* 3. §. *cum ex causa*, *& l. cum tacitum*, *ff. eod.* Hodie hereditas, quæ olim ut indigno a fisco auferebatur, non vindicatur fisco, sed ad legitimos heredes pertinet, quia leges caducariæ non habent locum in Gallia. Aliquando & tacita fideicommissa citra fraudem legum, arcano heredis vel alterius concredebantur, eaque sustinebantur favore fideicommissorum, & jurato fides habebatur; *l. Theopompus*, *ff. de dot. prælegat.* Constitutione Justiniani in fideicommissis quinque testes requiruntur, ubi scriptura & testes adhibentur, quod si remotis scriptis & testibus testator fidem & religionem heredis eligat, heres si inficietur fideicommissum, compellitur jurare, quod si detrectet jusjurandum, omnino compellitur præstare fideicommissum, licet sine scriptura & testibus relictum sit, quia testibus minime opus est in ea re, in qua ipse heres judex & testis electus est;

l. ult.

Source : BIU Cujas

l. ult. C. de fideicommiſſ. cujus ſumma continetur *hoc* §.

De ſingulis reb. per fideicommiſſ. relict.

CAP. XXIV.

In princ.

ALiud eſt fideicommiſſum univerſale, quo relinquitur univerſitas rerum, id eſt hereditas, vel pars hereditatis, aliud ſingulare, quo ſingulæ ſeu certæ res relinquuntur, & hoc genus fideicommiſſi exæquatum eſt legatis; *l. 2. C. comm. de legat.* Hoc diſtat inter fideicommiſſum particulare ab univerſali, quod rogatus hereditatem reſtituere, ſi ſuſpectam dicat, compellitur adire & reſtituere, rogatus vero reſtituere certam rem, vel ſummam, non poteſt cogi adire hereditatem; *l. nam quod*, §. *non omnis*, §. *quare & dd. ll. ſeqq. ff. ad Trebell. l. ſi quis omiſſa, ff. ſi quis ommiſſ. cauſ. teſtam.* fideicommiſſario ſingulari non habente jus cogendi heredis, tamquam qui non ſit juris ſucceſſor; §. † *legatariis*, ſupr. *de teſtament.* Item quarta non detrahitur ex fideicommiſſo ſingulari, quia ad hoc ut quarta detrahatur, non ſufficit de hereditate rogatum eſſe, ſed quaſi heredem rogari oportet; *l. mulier* 22. §. *ult. ff. ad Trebell.* & in fideicommiſſo ſingulari non eſt locus Trebelliano; *l. cogi*, §. *ſed & ſi miles, ff. eod.*

Fideicommiſſum poteſt relinqui non ſolum ab herede, ſed & a legatario, vel fideicommiſſario, vel donatario mortis cauſa, ut docetur *init. h. tit. & l. ut heredibus, l. cum pater*, §. 1. *de legatis* 2. *l. ei cui, de mort. cauſ. donat.* Legatarius, vel fideicommiſſarius particularis non poteſt onerari fideicommiſſo ultra vires legati vel fideicommiſſi; §. 1. infr. *h. tit. l. filiuſf.* §. *apud Marcellum, ff. de legat.* 1. *l. Imperator*, in princ. & §. *ſi centum, de legat.* 2. *l.* 3. §. *Julianus, de legat.* 3. Ab eo qui neque legatum, neque fideicommiſſum, neque hereditatem, vel mortis cauſa donationem accepit, fideicommiſſum relinqui non poteſt; *l. ab eo*, C. *de fideicommiſſ.* puta heres rogatus reſtituere hereditatem ei quem ex familia elegerit, non poteſt gravare fideicommiſſo eum quem elegerit, quia facultas neceſſariæ electionis, non eſt beneficium propriæ liberalitatis, ſed nudum miniſterium, id eſt obſequium voluntati defuncti, & quaſi liberatio, ſeu æris alieni exſolutio; *l. unum ex familia*, §. *ſi falcidia, ff. de legat.* 2. *l. pater filium, ad leg. falcid.* Tamen jure vernaculo pater vel avus rogatus reſtituere uni ex liberis, vel deſcendentibus, ei quem elegerit, poteſt ſubſtituere unum ex eligibilibus, quia in electione unius e pluribus eſt gratificationi & beneficio locus, quatenus in poteſtate patris fuit, cuinam ex his potius relinqueret; *d. l. pater filium.*

§. I.

NOn ſolum res propria teſtatoris, ſed etiam res aliena, puta heredis, legatarii, vel fideicommiſſarii, per fideicommiſſum relinqui poteſt, & hoc caſu heres tenetur eam redimere, vel præſtare juſtam æſtimationem, ex *hoc* §. *l. ſed ſi res, ff. de legat.* 1. *l. cum alienam*, C. *de legat.* Heres non poteſt rogari ut quempiam, puta Titium, heredem inſtituat, ſed hoc convertitur in fideicommiſſum, quia perinde habetur, ac ſi heres rogatus eſſet reſtituere hereditatem; *l. filiuſf.* §. *ut quis, ff. de legat.* 1. *l. ex facto, ad Trebell.*

Source : BIU Cujas

De codicillis.

CAP. XXV.

In princ.

CODicillorum & fideicommiſſorum uſus non cœpit ab Auguſto, ante illum enim codicilli & fideicommiſſa in uſu erant, ſed non jure, at ſola fide heredis nitebantur. Primum a Divo Auguſto vires & robur accepere codicilli, & fideicommiſſa his relicta, ex quo L. Lentuli codicillos confirmavit, & ex his fideicommiſſa a ſe relicta implevit, ex conſilio Trebatii, ut proponitur *init. h. tit. &* §. 1. ſupr. *de fideicomm. hered.* Codicillus eſt minus ſolemnis declaratio ſupremæ voluntatis, quinque teſtibus præſentibus.

§. I.

AB initio codicilli non valebant, niſi teſtamento confirmati eſſent, quales fuerunt codicilli Lentuli, qui primum ab Auguſto confirmati, ut ſcriptum eſt *init. h. tit.* Plin. libr. 2. epiſt. 16. *Tu quidem pro cetera tua diligentia admones, codicillos Aciliani, qui me ex parte inſtituit heredem, pro non ſcriptis habendos, quia non ſunt confirmati teſtamento.* Hodie codicilli fiunt, aut facto teſtamento, aut ab inteſtato, ex *hoc* §. *l. conficiuntur, in princ. l. ab inteſtato, ff. h. tit. l. non id circo, C. eod. tit.* Cum codicilli fiunt facto teſtamento, tribus modis fiunt, aut ante teſtamentum, aut poſt teſtamentum, aut in ipſo teſtamento. Cum ante teſtamentum, non aliter valent ex ſententia Papiniani, quam ſi teſtamento, quod poſtea factum eſt, vel codicillis confirmentur, aut voluntas eorum quocumque judicio retineatur, id eſt nuda declaratione voluntatis extra teſtamentum, vel codicillos facta *; l. ante tabulas, ff. h. tit.* Sed ex reſcripto Severi & Antonini codicilli, qui teſtamentum præcedunt, ſuſtinentur, dummodo appareat, eum qui teſtamentum fecit a priori voluntate, quam in codicillis expreſſerat, non receſſiſſe, ex *hoc* §. Igitur codicilli ante teſtamentum facti, non revocantur per ſequens teſtamentum, niſi expreſſe revocentur, nec indigent ſpeciali confirmatione. Aut codicilli fiunt poſt teſtamentum, & tunc cenſentur etiam teſtamento confirmati; nam codicilli pertinent ad teſtamentum, quod quoquo tempore quis feciſſet, id eſt codicilli qui fiunt ex teſtamento, teſtamenti jus, & conditionem ſequuntur, ſive ante, ſive poſt teſtamentum facti ſint *; d. l. ab inteſtato*, & quod relictum eſt codicillis perinde habetur, ac ſi teſtamento relictum eſſet *; l.* 2. §. 2. *ff. eod.* Codicilli fiunt in ipſo teſtamento adjecta clauſula codicillari, ſi teſtator caveat, ſi teſtamentum non valeat jure teſtamenti, ut valeat jure codicillorum, cujus clauſulæ uſus deductus eſt ex *l. ex ea ſcriptura, ff. qui teſtam. fac. l.* 3. *ſi miles, ff. de teſtam. milit. l. cum pater*, §. *filius matrem, l. pen.* §. *ult. de legat.* 2. *l. ult. C. h. tit.* & ejusdem uſum jam olim Gallis noſtris notum fuiſſe, alibi obſervavi ex teſtamento Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, quod dedit Baron. ad ann. 508. *Et ideo juxta hanc epiſtolam, quam manus noſtræ ſubſcriptione roboravimus, cuique diem & conſulem ſubtus adjecimus, Deo diſpenſante hoc teſtamentum meum condidi, vel manu propria ſubſcripſi, atque jure prætorio, vel jure civili, & ad vicem illorum codicillo firmavi.* Ejusdem clauſulæ inſigne monumentum extat & in teſtamento Remigii Remenſis Epiſcopi apud Flodoard. Rem. hiſt. libr. 1. cap. 18. *Ego Remigius Epiſcopus Civitatis Remorum Sacerdotii compos, teſtamentum*

Source : BIU Cujas

mentum meum condidi, jure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si ei juris aliquid videtur defuisse. Effectus clausulæ codicillaris est, ut quisquis legitimus heres erit, rogatus videatur heredi scripto restituere hereditatem *; d. l. ex ea scriptura, & d. l. ab intestato.* Codicilli fiunt ab intestato, si quis non facto testamento declaret coram quinque testibus, se velle hereditatem suam restitui Titio, aut quid leget, vel relinquat, heredes ab intestato censentur rogati restituere hereditatem, vel prestare legata, quia codicilli ab intestato facti vicem testamenti exhibent *; d. l. ab intestato.* Ideo fideicommissa relinqui possunt ab heredibus ab intestato, quoniam creditur paterf. sponte sua his relinquere legitimam hereditatem *; d. l. conficiuntur*, §. 1. *l.* *) *ab exheredati, ff. de legat.* 1.

§. *codicillis.*

COdicillis hereditas directo neque dari, neque adimi potest: cujus sententiæ duplex ratio affertur. Altera a Justiniano *hic*, ne confundatur jus testamentorum & codicillorum, quæ ratio desumpta est ex *l. si idem, C. h. tit.* Altera, quæ est Papiniani in *l. quod per manus, ff. h. tit.* ne per codicillos, qui ex testamento pendent, ipsum testamentum, quod vires accipit ex institutione heredis, confirmari videretur. Codicillis neque institutio heredis, neque exheredatio scribi potest, ut subditur *hic, & l. non codicillum, C. de testam.* quia institutio & exheredatio fit verbis directis, & imperativis, *Titius filius meus heres esto, vel exheres esto.* Etsi hereditas codicillis directo neque dari, neque adimi potest, tamen potest adimi precario & per fideicommissum, puta si codicillis factis ex testamento, vel ab intestato, heres scriptus, vel legitimus rogetur hereditatem restituere Titio deducta quarta Trebellianica, ut traditur *hic, & l. Scævola, ff. ad Trebell. l. hereditatem, C. h. tit.* Eodem jure heredi pure instituto testamento, conditio codicillis adjici non potest, ut *hic*, quia in defectum conditionis hereditas adempta intelligeretur *; l. pen.* §. *ult. ff. de condit. institut.*

§. *ult.*

NEmo potest decedere duobus testamentis, quia testamentum prius per posterius revocatur, nisi miles sit, idem tamen potest duos, vel plures codicillos facere, ex *hoc* §. & posterioribus codicillis priores non rumpuntur, nisi sint contrarii *; l. Divi*, §. 1. *ff. h. tit. l.* 3. *C. eod.* Codicilli solemnitatem ordinationis, ex *hoc* §. puta quinque testes tantum, requirunt *; l. ult. in fin. C. h. tit. l.* † *ult. C. de fideicommiss.* quia nuda voluntate constant.

† V. si probat. Et adde *l.* 28. *in fin. C. de testam.*

Source : BIU Cujas

IN INSTITUTIONUM JUSTINIANI LIBRUM TERTIUM.

De hereditat. quæ ab inteſtat. defer.

CAP. I.

In princ.

HEREDITAS alia eſt teſtamentaria, alia legitima. Teſtamentaria eſt, quæ teſtamento defertur, non tamen ſine lege. Non improprie lege obvenire dicitur hereditas etiam quæ teſtamento defertur, quia teſtamentaria hereditas lege 12. tab. confirmatur; *l. lege obvenire* 130. *ff. de V. S.* M. Tull. pro Cæcin. *Major hereditas venit unicuique veſtrum, in iisdem bonis, a jure & a legibus, quam ab iis, a quibus illa ipſa bona relicta ſunt. Nam ut perveniret ad me fundus teſtamento alicujus fieri poteſt, ut retineam quod meum factum ſit ſine jure civili non poteſt.* Legitima eſt, quæ a lege ſine teſtamento defertur; Terent. in Andria: *Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.* Et idem in Hecyra: *& ad hos redibat lege hereditas.* Et ibi Donatus: *verbo juris uſus; ea enim legitima eſt hereditas, quæ familiæ debebatur.* Et Quintil. declam. 308. *Proximum locum a teſtamentis habent propinqui: & ita, ſi inteſtatus quis ac ſine liberis deceſſerit. Non quoniam utique juſtum ſit, ad hos per-*

pervenire bona defunctorum, sed quoniam relicta, & velut in medio posita, nulli propius videntur contingere. Etsi successio legitima veniat a lege, venit ex tacita voluntate defuncti, qui enim intestatus decedit, videtur sponte hereditatem relinquere venientibus ab intestato; *l. conficiuntur*, §. 1. *ff. de jur. codicill. l.* 1. §. *sciendum*, *de legat.* 3.

Intestatus decedit, qui omnino testamentum non fecit, vel non jure fecit, id est minus solemne testamentum fecit, aut id quod fecit, ruptum irritumve factum est, puta agnatione sui heredis, vel per querelam inofficiosi testamenti, vel per bonorum possessionem contra tabulas, aut si ex eo nemo heres extiterit, ex *init. h. tit. l.* 1. *ff. de suis & legit. hered.* Intestatus est, non tantum qui testamentum non fecit, sed etiam cujus ex testamento hereditas adita non est; *l. intestatus*, *ff. de V. S.* adeoque ex testamento, ex quo non sit adita hereditas, neque legatum, neque aliud quicquam debetur; *l. si nemo*, *ff. de testament. tutel. l. si nemo*, *de R. J.*

§. I. & §. *sui autem.*

LEge 12. tab. intestati hereditas primum suis heredibus defertur; §. 1. *l.* 1. *ff. de suis & legitim.* Sui heredes sunt, qui in potestate morientis fuerunt, puta filius, filiave, nepos, neptisve, pronepos, proneptisve, ita ut nemo eos præcedat; §. 1. Suus heres est, qui est in potestate patrisf. mortis tempore, & primum ab eo gradum obtinet in causa succedendi, puta filius, vel nepos ex filio patre præmortuo; *l. scripto*, *ff. unde liberi*, *l. si filiusfamilias* 33. *de testam. milit. l. ult. de bon. damnat.* Sui heredes sunt, non modo liberi jam nati tempore mortis intestati, sed & posthumi, qui si vivo patre nati essent, in ejus potestate futuri essent; §. 1. in fin. *l. intestato*, *C. de suis & legitim. l.* 3. *de injust. rupt.* Suorum locum obtinent liberi naturales, vel adoptivi suscepti ex justis nuptiis, vel legitimati per oblationem curiæ, vel subsequens matrimonium; §. *sui autem*, *l. nuper*, *C. de natur. liber.*

§. *sui autem* 2.

SUi heredes ipso jure existunt, etiam ignorantes & furiosi, & post mortem patris non dicuntur adquirere hereditatem, sed statim morte patris quasi continuatur dominium, ex *hoc* §. *l. in suis*, *ff. de liber. & posth.* Sui enim heredes vivo patre quodammodo domini sunt, & patri bonorum socii; *d. l. in suis*. Marc. Tullius Verr. 3. *Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis prætor adimere nobis mortuis bona fortunasque poterit?* Itaque suis hereditas ipso jure adquiritur, sine auctoritate tutoris vel curatoris, ex *hoc* §. In suis heredibus aditio non est necessaria, quia statim ipso jure heredes existunt; *l. in suis*, *ff. de suis & legitim.* Et sui heredes etiam clausis, id est nondum apertis, tabulis heredes existunt; *l.* 3. *C. de jur. delib.* Ideo & sui heredes etiam nondum aditam hereditatem transmittunt ad suos & legitimos heredes; *l. apud hostes*, *C. de suis & legitim. liber.*

§. *interdum.*

SUus heres est, qui est in potestate patris mortis tempore, & proximum ab † V. in ter-
eo gradum obtinet: interdum suus heres efficitur, qui in potestate patris minis, *l. re-*
non fuit mortis tempore, puta qui fuit in potestate hostium, si ab hostibus *tro creditur*,
revertatur, suus heres parenti efficitur, ex *hoc* §. & *l.* 1. §. *si filius*, *ff. de* *ff. de captiv.*
suis & legitim. propter fictionem postliminii, qua fingitur is, qui postliminio *l.* 1. *C. de*
reversus est ab hostibus, semper in civitate fuisse; *l.* † *lege Cornelia*, *ff. qui postlim. re-*
testam. *verf.*

Source : BIU Cujas

§. *per contrarium*.

INterdum ſuus heres non eſt, qui in poteſtate patris fuit mortis tempore, ſi pater poſt mortem ſuam perduellionis judicatus, & memoria ejus damnata fuerit, ſuus enim heres eſſe non poteſt patri, cujus bona confiſcantur, ex *hoc* §. *& l.* 1. §. *interdum*, *ff. de ſuis*, *& legitim.*

§. *cum filius*.

SUi heredes ſunt, qui in poteſtate defuncti fuerunt tempore mortis, & primum ab eo gradum obtinent, ut filius, vel nepos ex filio præmortuo. Hoc jure nepotes ex filio prædefuncto, avo inteſtato ſuccedunt cum filiis ſuperſtitibus, id eſt cum patruis, quia patrem repræſentant. Et quia ſuccedunt jure repræſentationis, non jure ſuo, ſuccedunt in ſtirpes, id eſt in portionem, quam ferret pater ſi ſuperſtes eſſet, non in capita, id eſt pro virilibus portionibus, ex *hoc* §. *l.* † 2. *C. de ſuis & legitim. l. ſi in adoptionem*, §. *ult. ff. de bonor. poſſeſſ. contr. tab. l. ſi nepotes*, *de collat. bonor.* Quod ſi nulli ſint filii ſuperſtites avo inteſtato, ſed nepotes ex diverſis filiis impari numero, puta ex uno tres, ex alio duo, ex alio unus, avo ſuccedunt ab inteſtato, non in capita, ſed in ſtirpes, ex *hoc* §. *l.* † 2. *C. de ſuis & legitim. l. Papinianus*, §. *quoniam*, *de inoffic. teſtam.* Denique in linea liberorum proximior gradu ulteriorem non excludit, & filius non excludit nepotes ex filio præmortuo. Hoc intereſt, quod liberi primi gradus, puta duo filii, ſuccedunt in capita, nepotes ex filio & ulteriores ſuccedunt in ſtirpes; *l.* 2. §. *hæc hereditas*, *ff. de ſuis & legitim. nov.* † 118. *cap.* 1. *auth. in ſucceſſionem*, *C. eod. tit.*

§. *cum autem*.

PRoprie ſuus heres eſt, qui eſt in poteſtate patris f. inteſtati mortis tempore: tamen cum quæritur, an quis ſuus heres exiſtat, nec ne, ſpectandum eſt tempus, quo certum eſt defunctum inteſtatum deceſſiſſe, quod accidit & deſtituto teſtamento, id eſt ſi ex teſtamento non ſit adita hereditas, puta ſi pater, qui habebat filium & nepotem ex eo, exheredato filio extraneum heredem teſtamento inſtituerit, & filio mortuo heres inſtitutus repudiarit hereditatem, nepos avo ſuus heres exiſtit, quia quo tempore certum eſt avum inteſtatum deceſſiſſe, ſuus heres reperitur, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *ſciendum*, *ff. de ſuis & legitim. l. ult. ff. de condit. inſtitut.*

§. *& licet*.

NEpos ex filio licet poſt mortem avi natus ſit, ſi modo vivo avo conceptus, mortuo patre ejus, & poſtea deſerto avi teſtamento, ſuus heres efficitur, & jure ſui ad hereditatem avi ab inteſtato vocatur, ex *hoc* §. *& l. ſi quis*, §. 1. *ff. de injuſt. rupt.* Ratio eſt, quia qui in utero eſt, ut ſibi profit, pro jam nato habetur; *l. qui in utero* 7. *ff. de ſtat. homin.* Nepos conceptus poſt mortem avi mortuo patre ſuo, & deſerto avi teſtamento, avo ſuus heres non exiſtit, quia nullo jure conjunctionis patrem patris ſui attigit, *ex hoc* §. *& d. l. ſi quis*, §. 1. ubi ſi nepos poſt mortem avi conceptus ſit, Marcellus ſcribit, neque ut ſuum, neque ut nepotem, id eſt ut legitimum aut cognatum, ad hereditatem vel bonorum poſſeſſionem admitti, quibus congruit *l.* 1. §. *ſi quis proximior*, *ff. unde cognat. & l. item prætor*, *de ſuis & legitim.* Ratio eſt, quia ſuitas vel cognatio præſupponit exiſtentiam, &

ſuus

Source : BIU Cujas

ſuus vel cognatus avo dici non poteſt, qui eo vivo nondum fuit in rerum natura ; *d. l.* 1. §. *ſi quis proximior*.

§. *emancipati*. §. *minus ergo*.

LIberi emancipati non ſunt ſui heredes, id eſt jure ſuitatis ad inteſtati ſucceſſionem non vocantur lege 12. tab. neque enim ſui heredes ſunt, qui in poteſtate patris eſſe deſierunt. Sed jure prætorio ſuccedunt per bonorum poſſeſſionem unde liberi, ſive ſoli ſint, ſive cum ſuis heredibus concurrant ; §. *emancipati*, *l. ult.* §. 1. C. *de legit. hered. l. ſed cum*, §. 1. *de bonor. poſſeſſ.* Emancipati jure civili non ſuccedunt ab inteſtato, quia incogniti ſunt jure civili, non habent jura legitimarum hereditatum, quia emancipatio tollit jura ſuitatis & agnationis ; *l. capitis*, *ff. de ſuis & legitim. l. tutelas*, *de capit. minut.* Emancipati amittunt gradum & nomen liberorum ; §. *minus ergo* ; *l.* 4. *ff. ſi tab. teſtam. null. extab.* & extraneorum loco habentur ; *l. quinetiam*, *ff. de rit. nuptiar.* Jure prætorio emancipati ſuccedunt cum ſuis in capita, quia naturali æquitate inſpecta jure prætorio gradum liberorum retinent ; §. *minus ergo*. Immo hodie liberi ſive emancipati, ſive non, æque ſuccedunt jure civili ; *nov.* 118. *cap.* 1. *auth. in ſucceſſionem*, C. *de ſuis & legitim.*

§. *item vetuſtas*. §. *ult.*

JUre civili, id eſt lege 12. tab. poſt ſuos heredes, id eſt deficientibus ſuis heredibus, ad ſucceſſionem inteſtati vocantur agnati, id eſt nepotes deſcendentes ex maſculis, ſeu per virilem ſexum conjuncti, qui & legitimi dicuntur, quia lege 12. tab. vocantur. Cognati autem, id eſt deſcendentes ex feminis, ad ſucceſſionem inteſtati non vocantur jure civili, quia lex 12. tab. non novit cognatos, ſed tantum ſuos vel agnatos. Jure prætorio poſt agnatos cognati vocantur ad ſucceſſionem inteſtati, nam & prætor ipſe agnatos prætulit cognatis. Ex conſtit. divorum Principum, id eſt Valentiniani & Theodoſii, nepotes ex filia, ſi concurrant cum ſuis, id eſt avunculis & materteris, avo materno vel aviæ maternæ ſuccedunt ab inteſtato, cum diminutione tertiæ partis ejus portionis, quam mater eorum ferret ſi viveret, id eſt ſuccedunt in duas portiones ejus portionis quam mater eorum ferret ſi viveret, ita ut tertia pars ejus portionis adcreſcat avunculis vel materteris ; §. *item vetuſtas*, *l. ſi defunctus*, C. † *de ſuis & legitim. liber. l. illam*, C. *de collat.* Quod ſi nepotes ex filia concurrant cum legitimis, id eſt agnatis, non ſuis, ſuccedunt ab inteſtato, cum diminutione quadrantis, qui adcreſcit agnatis ; *l. ſi defunctus*, C. *Th. de legit. hered.* Sed conſtit. Juſtiniani, ſublata differentia agnationis & cognationis, nepotes ex filia ſi concurrant cum agnatis, ſuccedunt ab inteſtato ſine ulla diminutione quartæ ; §. *ult. & l. ult.* C. *de ſuis & legit.* † *liberis*. Jure noviſſimo ſublata differentia agnationis & cognationis, deſcendentes ex feminis æque ſuccedunt, ac deſcendentes ex maſculis ; *nov.* 118. *cap.* 4.

De legitima agnator. ſucceſſ.

CAP. II.

In princ.

DEficientibus ſuis heredibus, vel iis qui ſuorum loco ſunt jure prætorio vel

Source : BIU Cujas

constitutionibus, puta liberis emancipatis, vel descendentibus ex feminis, tunc lege 12. tab. agnato proximo defertur hereditas, ut docetur *init. h. tit. l.* 1. §. *post suos*, *& l.* 2. *ff. de suis & legitim.* Legis verba edidit Ulpian. libr. regular. tit. 26. *At si intestato moritur, cui suus heres nec extabit, agnatus proximus familiam habeto.*

§. I. §. † *si plures.*

AGnati appellantur, qui a latere sunt per masculos & virilem sexum conjuncti, ex *hoc* §. *l.* 2. §. 1. *ff. de suis & legitim. l. ult.* §. *cognati, de gradib. & affinib. l. inter agnatos, unde legitim.* puta agnati sunt fratres eodem patre nati, qui & consanguinei sive germani vocantur, quamvis non ex eadem matre nati sint, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *post suos, ff. de suis & legitim. l. ult.* §. *secundo gradu, de gradib. & affinib.* Agnati sunt inter se patruus, & ex fratre nepos, & patrueles, seu consobrini, qui ex duobus fratribus procreati sunt, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *quarto gradu, & l. ult.* §. *quarto gradu, ff. de grad. & affinib.* Lege 12. tab. post suos hereditas ab intestato pertinet ad proximum agnatum, id est ad eum quem nemo præcedit: quod si plures sint, sc. diversi gradus, non omnibus defertur hereditas, sed iis qui propinquiores gradu sunt, cum certum esse cœperit, defunctum, de cujus bonis agebatur, intestatum decessisse, ex *hoc* §. *in fin. l.* 2. §. *hæc hereditas, ff. de suis & legitim. l.* 3. *C. de legitim. hered.* quod si sint plures ejusdem gradus, omnes vocantur in capita, seu viriles portiones; *d. l.* 2. §. *hæc hereditas.*

Post suos vocantur agnati, & primum quidem ex agnatis vocantur consanguinei, tamquam proximiores, puta fratres ex eodem patre nati, licet non ex eadem matre, *ex hoc* §. *l.* 1. 3. *& 6. C. de legitim. hered.* quæ nominatim ait, deficientibus suis heredibus, vel se abstinentibus, fratrem jure consanguinitatis fratri intestato succedere. Deficientibus suis, primo loco vocantur fratres consanguinei, fratres autem cognati, id est uterini, non vocantur ad successionem fratris intestati, quia lex 12. tab. nescit cognatos. Jure novissimo fratre intestato sine liberis defuncto, in ejus successione frater utroque parente conjunctus præfertur fratri, uno tantum parente conjuncto; *nov.* 118. *cap.* 2. *auth. defuncto, C. ad Tertyll. nov.* 127. *cap.* 1. *auth. cessante, C. de legitim. hered. nov.* 84. *cap.* 1. *auth. itaque, C. comm. de succes.*

§. *ceterum.*

LEge 12. tab. post suos hereditas ab intestato defertur agnatis, sive masculis, sive feminis, etiam feminæ consanguinitatis jure ad intestati successionem vocantur; *l.* 3. *C. de legit. hered.* jure civili & prætorio agnati masculi ab intestato succedunt, etiam si longiore gradu sint, ex *hoc* §. id est etiam si decimo gradu sint; §. *ult.* infr. *de succes. cognat. l. pen. C. de legit. hered.* Feminæ jure agnationis seu consanguinitatis hereditatem non capiunt, nisi sorores sint, quod ita constitutum est, quia commodius videbatur ita jura constitui, ut plerumque hereditates ad masculos confluerent, quia gentes & familiæ per masculos conservantur, & ubi in feminas inciderunt prope intereunt, mulier est caput & finis familiæ suæ; *l. pronunciatio, in fin. ff. de V. S.* Media jurisprudentia feminæ omnino arcentur ab hereditatibus agnatorum, quod intelligendum est de lege Voconia, cujus caput erat, ne feminæ ultra consanguineos ab intestato succederent, auctore Paulo 4. *sent. tit.* 8. §. 3. Jure prætorio feminæ admittuntur ad successionem cognatorum, qui & proximi appellantur per bonorum possessionem unde cognati. Sed constitutione Justiniani, agnati seu legitimi, sive masculi, sive feminæ, æque ad successionem intestati vocantur, secundum gradus sui prærogativam, ex *hoc* §. *in fin. l. pen. C. de legit.*

Source : BIU Cujas

git. hered. Quis enim patiatur, ait lex, *feminas propter hoc solum puniri, quod feminæ natæ sunt, & paterno vitio, si hoc vitium est, prolem innocentem gravari?* Qua ratione & Justinianus ipse in *l. ult. C. de liber. præterit. vel exhered.* sustulit differentiam masculorum & feminarum in jure liberorum, *qui enim*, ait, *tales differentias inducunt, naturæ accusatores existunt.*

§. *hoc etiam.*

JUre civili & prætorio si frater intestatus decesserit relictis fratribus & sororibus, & filiis fratrum jam præmortuorum, fratres & sorores, quia gradu proximiores sunt, præferuntur fratrum filiis in successione intestati; *l. consanguinitatis, C. de legitimis hered.* quia repræsentationi locus non fuit in linea transversali. Constitutione Justiniani, si defunctus nullos reliquerit fratres aut sorores superstites, sed reliquerit tantum filios fratrum vel sororum, non tantum filii fratrum, sed etiam filii sororum succedunt patruo intestato in capita, non in stirpes, ex *hoc* §. *l. pen.* §. *in his, C. de legitim. hered.* Filii fratrum vel sororum tunc non succedebant patruo intestato, concurrentibus patruis vel avunculis. Hodie filii fratrum succedunt patruo in stirpes una cum fratribus & sororibus defuncti superstitibus; *nov.* 118. *cap.* 2. *&* 3. *auth. defuncto, C. ad Tertyll. & auth. cessante, C. de legitim. hered.* quia jus repræsentationis introductum est in fratrum filiis, ita ut ad ulteriores non porrigatur; *d. nov.* 118. *cap.* 3. *auth. post fratres, C. eod.*

§. *placebat.*

JUre civili in suis heredibus non est successio; *l.* 1. §. *sciendum, ff. de suis & legitim.* puta si intestatus avus decesserit, superstite filio, & nepote ex eo, filio defertur hereditas, sed eo abstinente, nepos ex filio non est avo suus heres, nam pater eum antecedit in ea hereditate, & filius, etsi se abstineat, nomen heredis retinet; *l. 6.* §. *si filius, ff. de bon. libertor.* Ita in legitimis, olim non erat successio, puta post suos agnato proximiori defertur hereditas ab intestato, deficiente proximiore agnato, sequenti non defertur hereditas quasi agnato, sed prætor ei dat bonorum possessionem quasi cognato, ex *hoc* §. *& Ulpian. libr. regul. tit.* 26. Constitut. Justiniani, quæ desideratur in codice, successio est in agnatis, id est deficiente proximiore agnato hereditas ab intestato defertur sequenti, quia agnati non debent esse iniquioris conditionis quam cognati, & absurdum est denegare successionem in agnatis, quæ datur in cognatis: & in onere tutelæ etiam deficiente primo gradu, sequens succedit, ex *hoc* §. *l.* 3. §. † *proinde, ff. de legitim. tutor.*

§. *ultim.*

IN successione intestati prior est causa liberorum, quam parentum: parentes non succedunt liberis, nisi defuncti sint absque liberis; *l.* 3. *C. de bon. quæ liber.* quia parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos naturæ simul & parentum commune votum; *l. scripto, ff. si tab. testam. null. extab.* olim pater filio emancipato non succedebat ab intestato, nisi cum contracta fiducia emancipasset, id est per imaginariam venditionem, quæ fiebat cum pacto de retro vendendo. Sed constitutione Justiniani pater omnimodo vocatur ad legitimam hereditatem filii emancipati, quia emancipationes semper videntur fieri quasi contracta fiducia, ex *hoc* §. *& l. ult. C. de emancipat. liber.* Hodie defuncto sine liberis filio, parentes, si soli sint, succedunt, salva gradus prærogativa, puta pater præfertur avo: si filius emancipatus testamento patrem

Source : BIU Cujas

præterierit, ei datur bonorum possessio contra tabulas, quia etsi natura parentibus non debetur filiorum hereditas, propter votum parentum, ut filii sint sibi superstites, & naturalem erga filios charitatem, turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus quam liberis pie relinqui debet; *l. nam etsi, ff. de inoffic. testam.* Quod si parentes concurrant cum fratribus & sororibus defuncti, succedunt in viriles, sublata differentia sexus & patriæ potestatis; *d. auth. defuncto.*

De SC. Tertylliano.

CAP. III.

In princ. §. I. *& §. postea.*

LEge 12. tab. feminæ a successione intestati ita arcebantur, ut ne inter matrem quidem & filium filiamve, ultro citroque, hereditatis capiendæ jus esset, ut ostenditur *init. h. tit.* & apud Ulpian. *libr. regul. tit.* 26. §. 7. *&* 8. Hac lege mater non succedebat liberis ab intestato, quia lex 12. tab. agnoscebat tantum suos heredes, vel agnatos: mater autem liberis suis non erat agnata, neque cognata, sed quasi cognata habebatur, unde jure prætorio bonorum possessio unde cognati ei accommodari dicitur, nam accommodari ea dicuntur, quæ non directo jure competunt, sed benigne indulgentur. Lege 12. tab., inquam, mater non succedebat liberis, sed jure prætorio mater vocatur ad successionem liberorum, accommodata ei bonorum possessione unde cognati, ut traditur *init. h. tit. & l. 2. ff. und. cognat.* Primus D. Claudius ad solatium amissorum liberorum matri legitimam eorum detulit hereditatem; §. 1. Ita & mortua filia in matrimonio dos profectitia redit ad patrem solatii loco, ne & filiæ amissæ & pecuniæ damnum sentiat; *l. jure succursum, ff. de jur. dot.* Postea SC. Tertylliano, quod D. Adriani temporibus factum est, ut refert Justinianus *hoc loco*, vel auctore Antonino Pio, si credimus Zonaræ, cautum est, ut mater ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, etiam si in potestate parentis esset, ad bona filiorum ab intestato mortuorum admitteretur; §. *postea autem, l. 2. ff. h. tit.* Habet autem jus trium, vel quatuor liberorum, quæ tot filios peperit, vel jus liberorum a Principe impetravit; Paul. *libr. 4. sentent. tit. 9.* Jus liberorum orbis pro beneficio dabatur a Principe, ut præmiis patrum gauderent, qui carebant liberis; *l. 2. C. de jur. liber.* Tranquill. in Claud. cap. 19. *Feminis jus tribuit quatuor liberorum.* Postea hoc jus omnibus datum; *l. 1. C. de jur. liber. l. 3. C. Th. eod.* Ex SC. Tertylliano mater succedit liberis, quasi legitima heres, licet in potestate parentis sit, ita ut cum in potestate parentis est, hereditatem non adeat sine ejus jussu; §. *postea, l. 6. ff. h. tit.* quia nuptiæ non tollunt patriam potestatem filii filiæve; *l. si uxorem, C. de condit. insert. tam legat. quam fideicomm. l. 2. ff. solut. matrim. l. 2. de liber. exhibend.* Ex hoc SC. mater succedit liberis intestatis, non etiam avia; §. *postea, l. 2. ff. h. tit.* Hodie defuncto sine liberis filio, matri vel aviæ defertur legitima hereditas, salva gradus prærogativa; *nov. 118. cap. 2. auth. defuncto, C. h. tit.*

§. *præferuntur.*

SI defunctus intestatus matrem & liberos reliquerit, liberi defuncti, qui sui sunt vel suorum loco, matri præferuntur, sive sint liberi primi gradus, sive

sive ulterioris, ex *hoc* §. *l.* 1. *&* 2. §. *liberi*, *ff. h. tit. l. pen. C. de suis & legitim.* Ex hoc SC. pater præfertur matri, non avus & proavus, ex *hoc* §. *l.* 2. §. *objicitur*, *ff. h. tit. l.* 2. *C. eod. l. si ad patrem*, *ff. de suis & legitim.* Hodie filio defuncto sine liberis, pater & mater, si soli sint, simul succedunt in viriles; *nov.* 118. *cap.* 2. *auth. defuncto*, *C. h. tit.* Ex hoc SC. frater consanguineus matrem excludebat, soror autem consanguinea matrem non excludebat, sed una cum matre admittebatur, ex *hoc* §. *l.* 2. *ff. h. tit.* Quod si fuerant frater & soror consanguinei permixti, frater quidem matrem excludebat jure proprio, deinde hereditas legitima inter fratrem & sororem ex æquis partibus dividebatur, ex *hoc* §.

§. *sed nos*.

COnstitutione Justiniani mater sive ingenua, sive libertina, sive tres vel quatuor liberos peperit, sive non, omnino vocatur ad legitimam hereditatem filii sine liberis defuncti, ex *hoc* §. *l.* 2. *C. de jur. liberor. l. ult. C. h. tit.* qua sublatæ *l.* 1. 2. *&* 7. *C. Th. de legitim. hered.* quæ matri jus liberorum non habenti, tertiam bonorum filii tantum deferebant: ratio constitut. Justinianeæ est, quia jus liberorum omnibus datum; *d. l.* 2.

§. *sed cum antea*.

COnstitutionibus Principum, mater liberis intestatis non succedebat in solidum, sed quæ habebat jus liberorum, concurrente fratre vel patruo, ferebat bessem bonorum, triente relicto fratri vel patruo: concurrentibus vero aliis agnatis, eos excludebat: mater autem, quæ non habebat jus liberorum, succedebat ex triente, agnatis relicto besse; *l.* 1. 2. *&* 7. *C. Th. de legit. hered.* Constitut. Justiniani, mater præponitur omnibus legitimis personis, id est agnatis, & succedit liberis intestatis sine ulla diminutione, nisi concurrat cum fratribus & sororibus agnatis vel cognatis, id est consanguineis vel uterinis, quo casu una cum his vocatur ad legitimam successionem filii intestati, ita ut si concurrat cum solis sororibus agnatis vel cognatis, mater ferat semissem, & sorores alium semissem: quod si mater concurrat cum fratribus solis, vel cum sororibus permixtis, hereditas in capita distribuitur, id est mater, & fratres, & sorores superstites, singuli succedunt in viriles, ex *hoc* §. *& l. ult. C. h. tit.* Hodie defuncto filio sine liberis, si una cum patre & matre fratres & sorores ex utroque latere conjuncti concurrant, omnes simul indistincte succedunt in viriles portiones pleno jure, non deducto usufructu, etiam si fratres sint in potestate patris; *nov.* 118. *cap.* 2. *auth. defuncto*, *C. h. tit.* quo jure utimur.

§. *pen.*

SI mater liberis impuberibus tutorem non petierit, vel in locum ut suspecti remoti vel excusati intra annum petere neglexerit, si impuberes mortui sint, ab eorum successione repellitur, ex *hoc* §. *l.* 2. §. *si mater* 23. *ff. h. tit. l.* 2. §. † *Divus Severus*, *ff. qui pet. tut. l. ult. C. eod.* quæ ait hoc primum ductum ex constit. Severi. Mater etiam si filiis impuberibus tutorem non petierit, si modo puberes mortui sint, ab eorum successione non arcetur; *l.* † *matres*, *C. h. tit.* Idem obtinet in quolibet legitimo herede impuberis, aut etiam substituto; is enim si filio impuberi intra annum tutorem non petierit, si impubes moriatur non succedit ei ab intestato, vel jure substitutionis; *l. sciant qui*, *C. de legit. hered.* quod si mater minor 25. annis sit, excusatur; *l.* 2. *C. si adverss. delict.*

Source : BIU Cujas

Constitutionibus Principum, si mater transierit ad secundas nuptias post mortem filii, de cujus successione agitur, succedit in virilem cum fratribus & sororibus defuncti, pleno jure in bonis adventitiis, in bonis autem paternis habet tantum usumfructum; *l.* † *mater*, *C. h. tit.* Sed si ante mortem filii secundo nupserit, in omnibus bonis filii, sive profectitiis, sive adventitiis usumfructum habet, tantum pro sua parte; *l. feminæ*, §. *ult. C. de secund. nupt.* Hodie si mater transeat ad secundas nuptias, sive ante, sive post mortem filii, in bonis profectitiis pro parte sua habet tantum usumfructum, in adventitiis autem pro parte sua habet plenam proprietatem; *nov.* 22. *cap.* † 46. *auth. ex testamento*, *C. de sec. nupt.* Si mater intra annum luctus secundo nupserit, famosa efficitur, & a successione filiorum susceptorum ex priori matrimonio submovetur; *l.* 1. *C. eod.* Idem si luxuriose, & incontinenter vivat intra annum luctus; *nov.* 22. *cap.* 40. *auth. eisdem pœnis*, *C. de secund. nupt.* vel etiam si post annum luctus, nec pœna semel commissa purgatur sequente matrimonio cum eo cum quo peccatum est, quia pœna semel commissa non purgatur pœnitentia; *l. qui ea mente*, *ff. de furt. l.* † *pen. vi bonor. rapt.* Immo etiam cognati ex parte matris, quæ deliquit, non succedunt, quia veniunt ex radice infecta; *l. ult. C. de natur. lib.* Si mater transierit ad secundas nuptias, non petito tutore filiis impuberibus, nec redditis rationibus tutelæ, vel præstitis reliquis, amittit successionem liberorum; *l. pen. C. h. tit. l. pen. C. in quib. caus. pign. & d. auth. eisdem pœnis.*

§. *ult.*

EX hoc SC. mater succedit liberis, non modo ex justis nuptiis susceptis, sed etiam vulgo quæsitis, ex *hoc* §. *l.* 2. §. 1. *ff. h. tit.* Si spurius intestatus decesserit, jure agnationis hereditas ejus ad nullum pertinet, quia vulgo quæsiti non habent jus agnationis, quod a patre oritur, ex quo non retinent nobilitatem generis; Gregorius VII. libr. 2. epist. 3. *Ex hoc enim nobilitas generis valde corrumpitur, cum proles non de legitima conjugii permixtione generatur.* Sed jure proximitatis, id est cognationis, matri in bonis spuriorum datur bonorum possessio unde cognati; *l. si spurius*, *ff. unde cognat.* Ita filius vulgo quæsitus matri succedit ex Orphitiano; §. *novissime*, infr. *tit. prox. l.* 1. §. *sed & vulgo* † *quæsiti*, *ff. h. tit.* Ratio est, quia novæ leges, quales sunt SC. Tertyll. & Orphitianum, non intuentur vinculum civile, sed conjunctionem naturalem; *l. tutelas*, *ff. de capit. minut.* quæ conjunctio reperitur inter matrem & filios vulgo quæsitos, quam ob causam mater tenetur vulgo quæsitos alere, & ipsi eam; *l.* 5. §. † *ergo & matrem*, *ff. de agnosc. liber.* Moribus nostris neque pater, neque mater succedunt ex testamento liberis vulgo quæsitis vel naturalibus, id est ex concubina susceptis, neque vulgo quæsiti aut naturales succedunt parentibus, sed eis modicum quid relinquitur alimentorum nomine, boni viri arbitrio; † *auth. licet*, *C. de naturalib. liber.* etiam ex æquitate canonica; *cap. cum haberet*, *de eo qui duxit in matrim.*

† *auth.* hic citatur ab auctore circa alimenta boni viri arbitrio præstanda. Nam respectu successionis facit contra mores Galliæ.

De SC. Orphitiano.

CAP. IV.

In princ. & §. I. §. novissime.

LEge 12. tab. neque mater liberis, neque liberi matri succedebant, quia neque

Source : BIU Cujas

neque sui, neque agnati inter se erant, ut ostensum est supra *init. tit. proximi.* Mater enim non habet suos heredes; *l. nulla, ff. de suis & legitim. l. 4. §. ad testamenta, de bonor. possess. contr. tabul.* quia non habet liberos in potestate, sed sicut mater succedit liberis intestatis ex SC. Tertyll. ita & liberi matri ex Orphitiano, quod D. Marci temporibus factum est, ut ostenditur *init. h. tit. & l. 1. in princ. ff. ad Tertyll.* ac proinde hoc constitutum dicitur oratione † D. Marci; *l. pen. ff. eod.* quia orationes Principum in senatu recitabantur, & senatusconsulto firmabantur. Ex hoc SC. liberi matri succedunt, etiam si in potestate patris sint, ita ut præferantur consanguineis & agnatis defunctæ matris, ex *init. h. tit. & d. l. pen.* Ex constitutionibus Principum, etiam nepotes vocantur ad legitimam successionem matris intestatæ; §. 1. *l. si defunctus, C. Th. de legitim. hered.* Ex hoc SC. etiam vulgo quæsiti una cum legitimis succedunt matri intestatæ; §. *novissime*, nisi mater sit illustris; *l. si qua illustris, C. h. tit.* ac proinde spuriis testamento matris præteritis datur querela inofficiosi; *l. si suspecta*, §. 1. *ff. de inoffic. testam.* Sed in Gallia, neque vulgo quæsiti matri succedunt, neque mater illis, ut modo dictum est proximo tit.

† *Imperatorum Antonini & Commodi oratione in senatu recitata*, dicitur Ulp. tit. 26. §. 7. *Hadriani, Antonini, & Commodi*, notat Gothofr. in *d. l. pen.*

§. *sciendum.*

SUccessiones, quæ deferuntur ex Tertylliano & Orphitiano, capitis diminutione non perimuntur, propter reg. juris, qua novæ hereditates † legitimæ capitis diminutione non pereunt, ex *hoc* §. id est successiones delatæ ex SC. Tertylliano & Orphitiano, quæ sunt nova jura, inspecto jure civili, id est lege 12. tabular. non amittuntur capitis diminutione, subaudi minima, qualis est emancipatio; nam sola hereditas, quæ lege 12. tabular. defertur, suis vel agnatis scilicet, capitis minutione perimitur; *l. 1. §. capitis, ff. ad Tertyll. l. capitis deminutione, de suis & legitim.* Perimitur vel minima capitis diminutione, quia capitis diminutio vel minima tollit jus suitatis & agnationis, quod est vinculum civile. At hereditas, quæ defertur matri vel liberis ex SC. Tertyll. vel Orphitiano, non amittitur capitis diminutione; minima capitis diminutio non tollit jus cognationis, quæ est vinculum naturale; *l. tutelas, ff. de capit. minut.* ubi Paulus ait, ex novis legibus hereditates sic deferri, ut personæ naturaliter designentur, id est ut in successione, quæ fit ex his SC. spectentur jura cognationis, non agnationis.

§. *ult.*

SI plures sint heredes legitimi, portio deficientis ceteris adeuntibus adcrescit, & licet unus ex his decesserit ante adcretionis eventum, pars ejus transmittitur ad heredes, ex *hoc* §. *l. si ex pluribus, ff. de suis & legitim.* Jus enim adcrescendi transmittitur ad heredem; *d. l. si ex pluribus, l. hæc scriptura*, §. *ult. ff. de condit. & demonstrat. l. qui ex duabus, de adquir. hered.* & ad fideicommissarium universalem, quia heredis loco est; *l. Papinianus, ff. ad Trebell. l. si totam, de adquir. hered. l. unic. §. his ita, C. de caduc. tollend.* Ratio est, quia jus adcrescendi est reale; *l. si Titio, §. ult. ff. de usufruct.* Portio portioni velut alluvio adcrescit, non personæ. Et hoc distat jus adcrescendi, a jure substitutionis, substitutio nondum delata non transmittitur ad heredem; *d. l. si ex pluribus, l. totiens, ff. de adquir. hered. l. qui liberis, §. ult. de vulgar. & pupillar.* Ratio differentiæ, quia substitutio nondum delata in bonis nostris non est; *l. substitutio, ff. de adquir. rer. domin.* Quod autem adcrevit, in bonis nostris esse videtur, etiam antequam adcreverit, quasi ab initio solido relicto. Aliter hodie in descendentibus substitutio transmittitur in heredes ex prava interpretatione *l. unic. C. de his qui ante apert. tabul. & gloss. in l. is cui, ff. de obligat. & act.*

Source : BIU Cujas

De succeſſ. cognator.

CAP. V.

In princ.

POſt ſuos & agnatos, vel eos qui ſuorum vel agnatorum loco habentur, proximi cognati jure prætorio tertio ordine vocantur ad legitimam ſucceſſionem inteſtati, ut oſtenditur *init. h. tit.* Jure prætorio bonorum poſſeſſio *unde cognati* defertur proximo cognato, quia gradatim cognatis defertur, & pluribus concurrentibus in primo gradu, eis ſimul dabitur; *l.* 1. §. *pen. ff. unde cognat.* Cum vero quæritur quis ſit proximus cognatus, ſpectatur tempus delatæ bonorum poſſeſſionis, id eſt an ſit proximus eo tempore, quo bonorum poſſeſſio peti poteſt; *l.* 1. §. *proximum*, *l.* 3. *ff. eod. tit.*

§. I.

AGnati capite minuti, puta emancipati, lege 12. tab. non habentur inter legitimos heredes, ſed a prætore tertio ordine vocantur ad ſucceſſionem inteſtati, nempe per bonorum poſſeſſionem *unde cognati*, ex *hoc* §. *l.* † *legitimis*, *ff. unde cognat.* Ratio eſt, quia minima capitis diminutio tollit jus ſuitatis & agnationis, quæ eſt vinculum civile, non autem tollit jus cognationis, quæ eſt conjunctio naturalis; *l. tutelas*, *ff. de capit. minut. l. capitis*, *de ſuis & legitim.* & hoc eſt quod dicitur, capitis minutione tolli gentilitatem, quæ per agnatos, id eſt maſculos, propagatur; M. Tull. in topic. *Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt, qui capite non ſunt diminuti.* Conſtitutione Anaſtaſii, fratres & ſorores emancipati cum fratribus & ſororibus integri juris conſtitutis, id eſt cum fratribus in poteſtate patris retentis, vocantur ad legitimam hereditatem fratris inteſtati, cum diminutione, id eſt diminuto triente, ex *hoc* §. *l. de emancipatis*, *C. de legitim. hered.* Ex conſtitut. autem Juſtiniani, fratres & ſorores emancipati ſimul concurrunt cum ſuis, id eſt cum emancipatis, ex æquis partibus ſine ulla diminutione; *l. ult.* §. 1. *C. de legitim. hered.* Conſtit. Juſtiniani, fratres emancipati ſimul cum ſuis ſuccedunt fratri inteſtato in ſolidum, quoad proprietatem, ita ut ſi filius in poteſtate patris deceſſerit, pater in bonis adventitiis retineat uſumfructum in ſolidum, quem habuit eo vivente; *l. ult.* §. 1. *C. ad Tertyll.* Hodie fratres & ſorores tam emancipati, quam non emancipati, ſi concurrant cum patre & matre, ſuccedunt pleno jure in viriles, demto uſufructu patri; *nov.* 118. *cap.* 2. *auth. defuncto*, *C. ad Tertyll.* Per feminas cognati ex transverſo jure prætorio, tertio gradu, id eſt tertio ordine poſt ſuos & agnatos, ad legitimam ſucceſſionem vocantur, proximitatis nomine, id eſt per bonorum poſſeſſionem *unde cognati*, ex *hoc* §. *l.* 1. *&* 2. *ff. unde cognat.* Agnati ſunt conjuncti per maſculos, ut patruus & amita, cognati autem ſunt conjuncti per feminas; *l.* 4. §. *cognationis*, in fin. *l. jurisconſultus*, init. *ff. de grad. & affin.*

§. *vulgo quæſitos.*

VUlgo quæſiti non habent agnatos, quia jus agnationis a patre oritur, hi autem nullum patrem habere intelliguntur, quia incerto patre nati ſunt; *l. vulgo* † *concepti*, *ff. de ſtat. homin.* Vulgo quæſiti, inquam, non habent agna-

Source : BIU Cujas

agnatos, neque ipsi sunt agnati inter se, neque consanguinei, quia consanguinitas est species agnationis. Vulgo quæsiti sunt tamen cognati inter se, sicut & matri cognati sunt. Hinc vulgo quæsiti non habent legitimum heredem, quia non habent agnatos, sed mater eis, aut fratres eadem matre nati, succedunt per bonorum possessionem *unde cognati*, sunt enim cognati inter se, & cognati matri, ex *hoc* §. *& l.* 2. *l. si spurius*, *ff. und. cognat.* quia alia est cognatio civilis, alia naturalis. Cognatio civilis non constituitur, nisi ex justis nuptiis. Cognatio naturalis etiam ex injustis nuptiis *; l.* 4. §. *cognationis*, *&* §. *sciendum*, *ff. de grad. & affinib.* Et in successione, quæ jure cognationis defertur, naturalis cognatio spectatur; §. 1. supr. *h. tit.* In Gallia vulgo quæsiti non habent jura agnationis, nec cognationis, neque succedunt patri, aut matri, neque his pater, nec mater, sed fiscus ipsis jure proprio succedit. Iidem etiam non retinent gentilitatem & nobilitatem generis, unde degeneres dicuntur; Orderic. Vital. libr. 4. de Willelmo Bastardo *: degener utpote nothus est qui Rex nuncupatur*. Eadem significatione bastardos vocant, id est degeneres & ignobiles; Matth. Paris. ad ann. 1224. *Falcasius de Brente Neusterien-sis*, *& spurius ex parte matris*, *atque bastardus*.

§. *ult.*

Ascendentes & descendentes succedunt in infinitum *; l. ult. & auth. in successione*, *C. de suis & legitim.* Inter collaterales lege 12. tab. & jure prætorio agnati succedunt, etsi decimo gradu sint, cognati succedunt usque ad sextum gradum, nonnunquam usque ad septimum, ex quo gradu succedunt filii sobrinorum & sobrinarum, ita ut non ii omnes succedant, qui sunt in eo gradu, sed soli sobrino sobrinave nati, ex *hoc* §. *l.* † 1. §. 3. *l. pen. ff. und. cognat.* Septem cognationis gradus constituuntur, quia non facile ultra eum gradum cognatorum nomina inveniri possunt, nec ulterius per rerum naturam vita succedentibus prorogatur *; l.* 4. *ff. de gradib. & affinib.* Sunt tamen certi casus, quibus arctius coercentur gradus successionum ad quintum, vel tertium gradum. Primo, libertis agnati & cognati patroni usque ad quintum gradum solum succedunt; §. 3. *vers. multis*, infr. *de succes. libertor.* Secundo, contrahentibus incestas nuptias agnati & cognati non succedunt, nisi usque ad tertium gradum *; l. si quis incesti*, *C. de incest. nupt.* Tertio, militi intestato legitimi heredes usque ad quintum gradum succedunt in bonis castrensibus *; l.* 2. *ff. de veteran. & milit. succes.* Hodie, sublata differentia agnationis & cognationis, collaterales admittuntur ad decimum usque gradum inclusive, immo ultra decimum gradum: & hoc est quod voluit Justinianus, cum ait, eos succedere, etsi longissimo sint gradu *;* §. *ceterum*, supr. *de legitim. agnat. succes.* id est decimo vel ulteriore gradu; decimum enim gradum exempli causa, non restrictionis sive taxativæ vice, posuit, & jure forensi conjuncti etiam ultra decimum gradum fiscum excludunt. Si quis intestatus sine herede, id est sine liberis vel cognatis, decesserit, fiscus bona vacantia occupat *; l.* 1. §. *Divus*, *ff. de jur. fisc. l. quidam*, §. *quotiens*, *de legat.* 1. *l.* 1. *l. vacantia*, *C. de bon. vacant. libr.* 10. & fiscus succedit jure proprio, quod vocant desherentiæ, id est propter defectum heredis.

Source : BIU Cujas

De gradib. cognationum.

CAP. VI.

In princ.

TRiplex est cognatio: superior, id est parentum seu ascendentium, quales sunt pater, mater, avus, avia, proavus, proavia: inferior liberorum, seu descendentium, quales sunt filius, nepos, pronepos: transversalis est ceterorum venientium ex transverso, seu collateralium, quales sunt frater, soror, fratrum & sororum filii, ut ostenditur *init. h. tit. & l.* 1. *ff. de grad. & affinib.*

§. *hactenus.*

GRadus cognationis aliter jure civili constituuntur, quam jure canonico: in computatione graduum cognationis, quæ fit in linea ascendentium & descendentium, nulla est differentia inter jus civile, & canonicum, quia utroque jure cognatio parentum & liberorum incipit a primo gradu, ut pater & mater, filius & filia sunt in primo gradu; *l.* 1. §. 3. *& l.* 9. *ff. de grad. & affin.* Sed in computatione graduum in linea transversali, magna est differentia inter jus civile, & canonicum. Jure civili, in linea ex transverso sive a latere nullus est primus gradus, & cognatio transversalis incipit a secundo gradu; *d. l.* 1. §. 1. *& l.* 9. Itaque fratres & sorores sunt invicem in secundo gradu, quia inter fratres & sorores media est persona patris & matris, per quam conjunguntur; *l. ult.* §. *nam quotiens, ff. eod.* Jure autem pontificio, etiam fratres & sorores sunt in primo gradu, & in linea ex transverso est primus gradus cognationis, & consequenter fratrum & sororum filii, id est consobrini, sunt in secundo gradu; *can. ad sedem* 35. *qu.* † 5. Ratio differentiæ est, quod jus pontificium in linea ex transverso gradus numerat deorsum versum, statim incipiens a persona de cujus cognatione quæritur: jus civile sursum versum ascendit, prius enim numeratur pater, a quo descendit is, de cujus cognatione quæritur; *d. l. ult.* §. *nam quotiens.* Item in jure civili tot sunt gradus, quot personæ, & semper persona generata gradum adjicit, ex *hoc ipso* §. hoc est uti quæque persona generatur, gradum adjicit. At jure pontificio, fratres & sorores unum gradum constituunt: & hoc est quod ait *d. can. ad sedem*, duos gradus legales unum gradum canonicum constituere, erunt ergo fratres & sorores in secundo gradu. Et hæc quidem ratio computandi gradus cognationis secundum jus pontificium servatur, cum de nuptiis quæritur, licitæ sint nec ne. In matrimoniis semper duæ in uno gradu constituuntur personæ, quia matrimonium non constat nisi inter duas personas. Ratio autem juris civilis servatur cum est quæstio de hereditatibus, in successionibus singulæ personæ adjectæ singulos gradus efficiunt, quia hereditas non defertur, nisi de una persona ad aliam; *d. can. ad sedem.*

§. *illud certum est.*

IN *hoc* §. quem vulgati codices inscribunt perperam proprio titulo de servili cognatione, Justinianus agit de servili cognatione. Jure civili servi pro nullis habentur; *l. quod attinet, de R. J.* immo pro mortuis; *l. servitutem, eod. tit.* quia nullam habent communionem juris civilis, vel prætorii; *l. qui testa-*

Source : BIU Cujas

testamento, §. *servus*, *ff. qui testament. fac.* Unde nati etiam ex libera & servo pro spuriis habentur ; *l. ex libera*, *C. de suis & legitim.* & servi non habent inter se jura cognationis, jusque succedendi per eam, & pars edicti, qua deficientibus liberis, vel parentibus proximis, id est cognatis, defertur bonorum possessio *unde cognati*, non pertinet ad cognationes serviles, nec enim ulla antiqua lege talis cognatio computatur, ex *hoc* §. hujusmodi cognatio incognita est juri civili, & ut ait Ulpian. in *l.* 1. §. *pertinet*, *ff. unde cognati*, unde sumpta est prior pars *hujus* §. non facile, id est vix ulla servilis videtur esse cognatio. Si jus quidem naturale spectes, servi habent inter se jura cognationis, ut liberi, quia natura omnes homines æquales sunt ; *d. l. quod attinet*, & hoc jure inspecto non parcimus nominibus cognatorum, etiam in servis. Itaque parentes & filios fratresque etiam servorum solemus dicere, sed ad leges serviles cognationes non pertinent ; *l.* 10. §. *non parcimus*, *ff. de gradib. & affinib.* id est si spectes ea, quæ sunt juris civilis, puta jura successionum, servi, etiam si manumittantur, non habent jura successionum. Ait non facile admitti cognationem servilem, quia in successionibus exposa est, non in omnibus, in nuptiis enim servilis cognationis ratio habetur : puta pater non potest ducere filiam, frater, sororem, vel neptem ex sorore, quia in contrahendis nuptiis jus naturale, & pudor, id est honestas publica, maxime spectatur ; *l. adoptivus*, §. *serviles*, *ff. de rit. nupt.* §. *illud certum est*, supr. *de nupt.* Constitutione vero Justiniani, liberi in servitute nati, id est nati ex servis, si una cum parentibus manumissi sint, parentibus & fratribus intestatis succedunt, jure patronatus in hac parte sopito ; *l. ult.* §. *intestato*, *C. de bon. libert. & jur. patronat.* quam ex constitutione Græca restituit Jacob. Cujac. *libr.* 20. *observat. cap.* 34. unde desumpta est posterior pars *hujus* §.

De successione libertor.

CAP. VII.

HActenus de ingenuorum successionibus tam ex testamento, quam ab intestato, hoc titulo Justinianus agit de successione libertorum, id est de successione, quæ debetur patrono in bonis libertorum. Lege 12. tab. patronus a liberto impune testamento præteriri poterat, ut traditum est *init. hujus tit. & l.* 3. *ff. de suis & legitim.* quia lege 12. tab. libera erat testamenti factio ; *l. verbis legis*, *ff. de V. S.* Eadem lege, si libertus intestatus decederet, ita demum patronus vocabatur ad legitimam hereditatem in solidum, si decederet libertus sine suo herede, id est sine liberis, ut subditur *init. h. tit. & d. l.* 3. *l. liberto*, *ff. de bon. libert.* Jure prætorio, liberto sive testato, sive intestato defuncto, patrono debetur dimidia pars bonorum, si libertus decedat sine liberis naturalibus ; §. 1. *h. tit. & l.* 1. §. *ult. ff. de bon. libert.* Et patrono præterito testamento liberti, vel ex minori parte instituto, datur bonorum possessio contra tabulas, non in solidum, sed in semissem bonorum ; *d. l.* 1. *l.* 3. §. *totiens*, *eod. tit. l. sive patronus*, §. *ex duobus*, *de jur. patronat.* Lege Papia, si libertus, qui centum millia sestertium in bonis habebat, testatus vel intestatus decederet, paucioribus quam tribus liberis relictis, patronus virilem partem ferebat ; §. *postea*, *h. tit.* Constit. Justin. si libertus intestatus decesserit sine liberis, patronus ex asse succedit, ut ante ; *d. l.* 3. *de suis & legitim. d. l. liberto*. Si testatus decesserit, non relictis liberis, vel exheredatis, patrono præterito datur non dimidia, ut ante, sed tertia, per bonorum possessionem contra tabulas ; §. *ult. h. tit. l. ult.* §. *sed*

Source : BIU Cujas

nostra, C. *de bon. libert. & jur. patronat.*

De assignatione libertorum.

CAP. VIII.

LEge 12. tab. jus patronatus commune erat omnium liberorum; *l.* 3. *ff. de suis & legitim.* Ulpian. *libr. reg. tit.* 27. Ex Claudiano tamen SC. patrono licet uni ex liberis assignare libertum, ut ad eum solum ejus redeat hereditas, ut docetur *h. tit. l.* 1. *ff. h. tit.* assignare libertum est testificari cujus e liberis libertum esse velit; *l.* † *adsignare libertum*, *ff. de V. S.* Eadem significatione assignare, pro tradere; Quintil. declam. 10. *Custodiendus est juvenis, assignandus est inferis.* Et idem declam. 11. *totidem nobis ultio cadavera assignet, plus tamen est de innocentibus.* Tertull. 1. ad uxor. de sacr. virgin. *orationes suas velut dotes Domino adsignant.*

De bonor. possess.

CAP. IX.

In princ.

BOnorum possessio est jus persequendi, retinendique patrimonii, sive rei, quæ cujusque cum moritur fuit; *l.* 3. §. *bonorum*, *ff. h. tit.* Bonorum enim possessio, quæ datur a prætore, est magis juris quam corporis, nec tribuit corporalem rerum possessionem, sed jus agendi petitione hereditatis, vel interdicto quorum bonorum, & civilem seu festucariam possessionem litis ordinandæ gratia; *l. Papinianus*, in princ. *ff. de inoff. testam.* ubi Papinianus ait, si filius testamento matris præteritus, post agnitam litis de inofficioso ordinandæ causa bonorum possessionem decesserit, querelam non trasmitti ad patrem. Jus bonorum possessionis introductum est a prætore juris civilis emendandi gratia, ait Justinianus *hoc loco*, id est juris civilis temperandi, vel supplendi causa, nam ubi lex nominatim capere hereditatem vetat, bonorum possessio cessat; *l. non est*, §. 1. *ff. h. tit.* id est quibus leges hereditatem capere vetant, prætor non solet bonorum possessionem dare. Bonorum possessio datur a prætore, non solum in hereditatibus ab intestato, sed etiam in successionibus ex testamento. Nam si alienus posthumus, id est posthumus non suus, qui si natus fuisset tempore mortis non suus natus fuisset, puta nepos ex filio patre superstite heres institutus fuerit, etsi jure civili heres instituï non poterat, quasi incerta persona; §. *posthumo*, supr. *de legat.* tamen jure prætorio bonorum possessio ei datur, ut docetur *init. h. tit. & l.* 3. *ff. de bonor. poss. sec. tab.* Prætorem movit æquitatis ratio, hæc scilicet, quod is qui in utero est, ubi de ipsius commodis quæritur, pro jam nato habetur; *l. qui in utero* 7. *ff. de stat. homin.* Immo & constit. Justiniani, alienus posthumus potest utiliter heres institui, quasi non sit juri civili incognitus, ut *hic & d.* §. *posthumo*. Aliquando & bonorum possessio datur a prætore, non juris civilis emendandi & impugnandi, sed magis confirmandi & adjuvandi gratia, ut heredibus recte, id est utiliter, institutis testamento datur bonorum possessio secundum tabulas, ut docet Justin. *init. h. tit. l.* 2. *& passim*, *ff. de bonor. possess. sec. tab.* Etiam recte instituti solebant

Source : BIU Cujas

lebant petere bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas a prætore, ut facilius poſſeſſionem adquirerent adhibita auctoritate prætoris, quia hereditatis aditione jus, id eſt dominium, quidem adquiritur, ſed poſſeſſio non transfertur ſine corporali rerum apprehenſione; *l. cum heredes, ff. de adquir. poſſeſſ.* Jure civili, id eſt lege 12. tab. hereditas defertur ſuis & poſt eos agnatis ab inteſtato, iisdem, jure prætorio datur bonorum poſſeſſio unde liberi, vel agnati, ut ſubditur, *init. h. tit. l. 1. & 2. ff. de ſuis & legitim. l. 1.* & paſſim, *ff. unde legitim.* M. Tull. Verr. 3. *Poſteaquam jus prætorium conſtitutum eſt, ſemper hoc jure uſi ſumus, ſi tabulæ teſtamenti non proferrentur, tum uti proximum quemque potiſſimum heredem eſſe oporteret, ſi is inteſtato mortuus eſſet, ita ſecundum eum poſſeſſio daretur.*

§. *quos autem.*

HEreditas datur a lege, non improprie hereditas lege obvenire dicitur etiam ea, quæ teſtamento defertur, quia lege 12. tab. teſtamentariæ hereditates confirmantur; *l. lege obvenire, ff. de V. S.* A prætore datur bonorum poſſeſſio, prætor heredem non facit, ſed bonorum poſſeſſorem, at bonorum poſſeſſor in omni cauſa heredis loco habetur, ex *hoc* §. *l. 1. & 2. ff. h. tit. l. prætor bonorum, de R. J.*

§. *ſunt autem.*

EX teſtamento duæ ſunt bonorum poſſeſſiones. Prima eſt bonorum poſſeſſio contra tabulas, quæ datur liberis præteritis, tam ſuis, quam emancipatis, ex *hoc* §. *l. 1.* §. *& ſui juris, ff. de bonor. poſſeſſ. contr. tab.* liberis exheredatis non datur bonorum poſſeſſio contra tabulas, ſed querela inofficioſi; *l. non putavit, ff. eod.* Liberis præteritis datur bonorum poſſeſſio, heredi ſcripto nonniſi commiſſo edicto, id eſt petita bonorum poſſeſſione contra tabulas per præteritum; tunc ſcriptus per præteritum admittitur ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas; *l. 3.* §. *ſi quis ex liberis, ff. eod.* Secunda eſt bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, quæ datur heredi ſcripto, ex *hoc* §. *l. 2. ff. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* Et bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas datur, non ſolum heredi ſcripto teſtamento in ſcriptis, ſed etiam teſtamento nuncupativo; *l. 2. C. eod. tit.* Ab inteſtato octo ſunt bonorum poſſeſſiones. Prima *unde liberi*, quæ datur liberis, tam ſuis, quam emancipatis; *l. 1.* §. *ſed videndum, ff. de ſucceſſ. edict. l. 1. ff. quis ord. in poſſ. ſervet.* §. *emancipati*, ſupr. *de hered. & quæ ab inteſt. defer.* Secunda *unde legitimi*, quæ datur legitimis, id eſt agnatis, qui legitimi appellantur, quia lege 12. tab. vocantur poſt liberos ad hereditatem inteſtati, ut *hic & l. † 2. ff. unde legitim.* Tertia *unde decem perſonæ*, quæ datur decem perſonis, puta patri, & matri & aliis hic enumeratis, quæ extraneo manumiſſori præferuntur, id eſt emptori imaginario, qui adhibebatur in emancipatione liberorum a patre naturali ſub lege remancipationis. Quarta *unde cognati*, quæ datur cognatis proximis. Quinta *tamquam ex familia*, per quam ad ſucceſſionem vocantur qui ſunt de familia patroni, ut interpretatur Theophilus, id eſt liberti, vel eorum liberi, qui ſunt de familia patroni; *l. cum pater*, §. *fidei heredum, ff. de legat. 2. l. ult. C. de V. S.* Conc. Hiſpal. 2. *can.* 8. *can. octava*, 12. *qu.* 2. Sexta *unde patroni*, quæ datur patrono, & liberis ejus, in bonis liberti defuncti ſine liberis; §. 2. ſupr. *de ſucceſſ. libertor.* Septima *unde vir & uxor*, per quam maritus & uxor invicem ab inteſtato ſibi ſuccedunt, deficientibus liberis; *l. 1. ff. unde vir & uxor, l. † un. C. eod.* ex qua deficientibus liberis, parentibus & propinquis maritus & uxor ab inteſtato invicem ſibi in ſolidum pro antiquo jure ſuccedunt, fiſco excluſo. Ait pro antiquo jure, nam lege 12. tab. per coemptio-

Source : BIU Cujas

nem, seu conventionem in manum contracto matrimonio, maritus & uxor invicem sibi succedebant, quia mulier, quæ convenerat in manum, erat loco sui heredis, & filiæ loco, ut ei maritus loco patris; Ulpian. *libr. regul. tit.* 23. Serv. in illum locum 1. georg. *Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis*. Et idem in illum locum 7. Æneid. *externusque in regnum quæritur heres*. Gell. *libr.* 18. *cap.* 6. & Boet. *in topic.* Hodie si uxor sit absque dote & egena, vir autem locuples, viro præmortuo uxor ei succedit in quadrantem cum liberis communibus, vel prioris matrimonii si tres tantum sint, vel pauciores, si plures sint in virilem, ita ut proprietatem servet liberis ejusdem matrimonii: his non extantibus, vel nullis susceptis, succedit in virilem quoad proprietatem, & usumfructum, & imputatur legatum in portionem; *nov.* 117. *cap.* 5. *auth. preterea*, C. *eod.* & hoc juris servatur apud nos. Octava *unde cognati manumissoris*, quæ datur cognatis patroni, qui servum manumisit.

§. *sed eas.*

Constit. Justiniani quatuor bonorum possessiones sublatæ sunt tamquam superfluæ & inutiles, nimirum *unde decem personæ*, *& tamquam ex familia*, *& unde patroni*, *& unde cognati manumissoris:* ceteræ vero tamquam utiles remanserunt, ex *hoc* §. & hæ ordinariæ bonorum possessiones dicuntur, quia ordine deferuntur. Bonorum possessio alia est, quæ novo jure, id est lege SC. vel constitutione Principum defertur, & ea extraordinaria est, quia extra ordinem datur iis, quibus novo jure defertur, ex *hoc* §. *vers. septima*, *& l. un. ff. ut ex legib. bonor. poss. det.* Sed quia jus prætorium de bonorum possessionibus, quantum ad liberos pertinet, præcipue emancipatorum gratia introductum est, hodie sublatus est usus edicti de bonorum possessionibus per *nov. Justiniani* 118. qua sublata differentia suitatis, & emancipationis, agnationis, & cognationis, quoad causam succedendi sui, & emancipati agnati & cognati, ex æquo simul ad hereditatem vocantur jure civili.

§. *cum igitur.*

Quod sit tempus petendæ bonorum possessionis, præfinitur hoc loco. Olim solemne cretionis tempus fuit centum dierum, ut colligitur ex formula cretionis apud Ulpian. *libr. regul. tit.* 22. §. 27. *Titius heres esto*, *cernitoque in diebus centum proximis*, *quibus scieris poterisque*. Hodie aditio hereditatis, ut petitio hereditatis, est perpetua, id est non tollitur præscriptione longi temporis, sed tantum præscriptione triginta annorum; *l. licet in continenti*, C. *de jur. delib. l. ult.* C. *de petit. hered.* Heredi scripto petenti a prætore datur modicum tempus ad deliberandum de adeunda hereditate, ita ut non sint pauciores centum diebus; *l.* 2. *ff. de jur. delib.* Constit. Diocletiani tempus ad deliberandum datur arbitrio judicis; *l. si curatoris*, C. *eod.* Hodie non amplius novem mensibus datur a prætore, non ultra annum a Principe; *l. scimus*, §. † *& hæc quidem*, *vers. sed quia*, C. *eod.* Liberis & parentibus datur anni spatium ad petendam bonorum possessionem, ceteris agnatis vel cognatis centum dies, ex *hoc* §. *l.* 1. §. † *si intra*, §. *largius*, *ff. de succes. edict.* Longius tempus datur liberis & parentibus in gratiam sanguinis, quia nimis arctandi non sunt, qui pene ad propria bona veniunt; *d.* §. *largius*.

§. *pen.*

Ex successorio edicto præstituta sunt certa tempora petendæ bonorum possessionis, ut primis non petentibus sequentes admittantur, ne hereditas vacua

Source : BIU Cujas

vacua diutius jaceat, & herede non adeunte actiones creditorum differantur, vel creditores mittantur in poſſeſſionem bonorum crediti ſervandi cauſa ; §. *ſed eas*, ſupr. *h. tit. l.* 1. *ff. de ſucceſſ. edict.* Si plures ſint ejusdem gradus, quibus bonorum poſſeſſio defertur, & quispiam ex his bonorum poſſeſſionem intra tempus non petierit, portio non petentis adcreſcit ceteris ejusdem gradus, qui portiones ſuas agnoverunt, ex *hoc* §. *l.* 3. §. *ult. ff. de bonor. poſſeſſ. l. ſi quis ex his*, §. *ult. unde liber. l. unic.* C. *quand. non petent. part. petent. adcreſc.* Jus adcreſcendi eſt inter bonorum poſſeſſores, ut inter coheredes, quia bonorum poſſeſſores vicem heredum obtinent ; §. 1. ſupr. *h. tit. l.* 2. *ff. h. tit.* unde heredum appellatione continentur ; *l. hereditatis*, *ff. de V. S.* Si plures, inquam, ſint ejusdem gradus, quibus bonorum poſſeſſio defertur, portio non petentis adcreſcit ceteris, qui ſunt in eodem gradu, quod ſi non ſint alii ejusdem gradus, bonorum poſſeſſio defertur ſequentibus, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *quibus ex edicto*, *ff. de ſucceſſ. edict.* Jure civili in ſuis non eſt ſucceſſio de perſona in perſonam, id eſt remotis proximis agnatis, ſequentes, non admittuntur, ſed jure prætorio in bonorum poſſeſſionibus ſucceſſio inducitur in ſuis agnatis, & cognatis ex ſucceſſorio edicto ; §. *placebat*, ſupr. *de legitim. agnat. ſucceſſ.* Et ſi quis repudiaverit delatam ſibi bonorum poſſeſſionem intra præſtituta tempora, non expectatur tempus petendæ bonorum poſſeſſionis, quousque lapſum ſit, ſed ſtatim ceteris locus fit ex edicto ſucceſſorio ; *d. l.* 1. §. *quibus ex edicto*.

§. *ult.*

IN petenda bonorum poſſeſſione dies utiles ſinguli computantur, ex *hoc* §. *l.* 2. *ff. quis ord. in poſſ. ſerv.* Dies utiles ſunt, quibus experiundi juris poteſtas eſt ; *l.* 1. *ff. de diverſ. & tempor. præſcript.* vel dies ſeſſionum, quibus prætor ſedet pro tribunali ; *l.* 2. *ff. quis ord. in poſſ. ſerv.* Ideoque tempus petendæ bonorum poſſeſſionis currit tantum ab eo die, quo ſcivit, potuitque admittere bonorum poſſeſſionem, id eſt a quo ſcivit defunctum inteſtatum mortuum eſſe, & a prætore potuit bonorum poſſeſſionem petere. Ut ſi bonorum poſſeſſio delata ſit pupillo, vel infanti filiof. dies petendæ bonorum poſſeſſionis cedit a die, quo tutor, aut pater ſcivit pupillum, aut filium ſcriptum eſſe heredem ; *l.* 7. §. *ult. ff. de bonor. poſſeſſ.* ſic & cretionis dies erant utiles, & ideo in formula cretionis apud Ulpian. *tit.* 22. §. 27. adjectum, *in diebus centum proximis, quibus ſcieris, poterisque*, unde emendandus eſt locus Tullii 1. de orator. *Uti in conditionibus ſcribi ſolet, quibus ſciam, poteroque*, ubi legendum, in *cretionibus* : & ita Tribonianus in *l.* † *in plurium*, §. 1. *ff. de adquir. hered.* pro cretio poſuit conditio, ut veteris juris aboleret veſtigia, quod jam ſublata eſſent cretionis ſolemnia ; *l. cretionum*, C. *de jur. deliber.* Olim bonorum poſſeſſio dabatur a ſolo prætore, & ſolemniter petebatur ; *l.* 1. *&* 2. C. *comm. de ſucceſſ. l.* † *un.* C. *Th. de cretion. vel bonor. poſſ.* Et bonorum poſſeſſionem dare erat mixti imperii ; *l. imperium*, *ff. de jurisd.* Ita ut magiſtratibus municipalibus non liceret bonorum poſſeſſionem dare ; *l. ea quæ* 26. *ff. ad municipal.* Hodie bonorum poſſeſſio non petitur a prætore, ſed ſufficit quocumque modo admittentis eam judicium, id eſt quælibet teſtatio ſeu declaratio agnoſcendæ hereditatis, & hujusmodi teſtatio apud quemlibet judicem, etiam apud duumviros, fieri poteſt, quia conſtitutionibus Principum ſublata ſunt ſolemnia cretionis & bonorum poſſeſſionis, ex *hoc* §. *& l. ult.* C. *qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* 1. *&* 2. C. *comm. de ſucceſſ.*

Source : BIU Cujas

De adquisitione per adrogationem.

CAP. X.

In princ.

EXposita sunt duo genera successionis per universitatem, id est successionis universalis: hereditas, id est hereditatis adquisitio, & bonorum possessio. Tertium genus successionis universalis est, adquisitio per adrogationem. Adrogatus per adrogationem transibat in familiam & potestatem adrogatoris, & una ejus res omnes pleno jure adquirebantur adrogatori, ut docetur *hic*, *& in l. si patersamilias*, *ff. de adopt.* & hoc est, quod eleganter ait Papinianus in *l. qui ex liberis*, §. 2. *ff. de bonor. possess. sec. tab.* eum, qui se adrogandum dat, cum capite fortunas quoque suas in familiam & domum alienam transferre. Sed constitut. Justiniani adrogator apiscitur tantum usumfructum rerum adventitiarum adrogati, ut subjungitur *hic*, *& l. cum oportet*, C. *de bon. quæ liber.*

§. I.

MOrtuo adrogato, dominium rerum ejus pleno jure adrogatori adquiritur, nisi supersint certæ personæ, quæ patri præferuntur, puta liberi & fratres adrogati, ut ostenditur *hic*, *& l. ult. C. comm. de succes.* & pater, qui adrogavit, ob æs alienum adrogati non tenetur ipso jure, id est suo nomine, tamquam ex proprio contractu, vel tamquam heres, sed tenetur nomine filii, tamquam defensor filii, & si eum non defendat, creditores mittuntur in possessionem bonorum filii, crediti servandi causa, per competentes magistratus, ut discimus ex *hoc loco*, *& l. Fulcinius*, §. *si quis actione*, *ff. ex quib. caus. in poss. eatur*. Ait per competentes magistratus, id est judices ordinarios, cujusque loci vel municipii. Ita forum competens est forum patriæ, id est loci vel municipii, ubi quis conveniendus est; *l.* 110. C. *Th. de decur.* & sic conceptus est titulus codic. Justinianei, *de jurisdict. & foro competenti*. Sicut adrogator succedit in bonis adrogati, impuberi adrogato quoque debetur quarta in bonis adrogatoris, ex constitut. D. Pii, quasi æs alienum; *l. Papinianus*, §. *si quis impubes*, *ff. de inoff. testam. l. si adrogator*, *de adopt.*

De eo cui libertat. caus. bona addicuntur.

CAP. XI.

QUartus modus adquirendi per universitatem est addictio bonorum, cum hereditate non adita ex testamento, servis testamento manumissis, bona addicuntur libertatum conservandarum causa, quod introductum est constitutione D. Marci, quæ refertur *hic*, *& l. si hereditas*, *l. ult. C. de testam. manumiss.* Ex testamento enim, ex quo non est adita hereditas, nihil debetur, neque legata, neque libertates; *l.* 2. C. *eod. l. eam quam*, C. *de fideicommiss.* Bonorum addictio fit, ut consulatur libertatibus & defuncto, id est memoriæ defuncti, ne bona a creditoribus veneant nomine defuncti, bonis addictis ei, qui datis fidejussoribus caveat creditoribus se solidum soluturum,

Source : BIU Cujas

rum, id est æs alienum in solidum ; §. *hoc rescripto*, *h. tit.*

De successionib. sublatis quæ fiebant per bonor. vendit.

CAP. XII.

In princ.

OLim erat & aliud genus successionis per universitatem, nimirum bonorum emptio, quæ fiebat per multas ambages, ut ait Justinianus *init. h. tit.* id est adhibitis multis solemnitatibus, nimirum si debitor fraudationis causa latitaret, nec defenderetur, creditores mittebantur in possessionem bonorum crediti servandi causa, post hæc bona venibant a creditoribus ; *l. Fulcinius*, §. 1. *ff. ex quib. caus. in poss. eat.* Bonis distrahendis constituebatur magister bonorum, quem nostri curatorem ; *l. ult. ff. de curator. bon. dand.* & ut facilius bona emptorem invenirent, libelli proscriptionis publice in celeberrimis locis urbis proponebantur, & in his leges proscriptionis addebantur, puta quota parte debiti creditores contenti essent, & bona addicebantur sub hasta uni ex creditoribus, vel extraneo pluris licenti, qui bonorum emptor dicebatur ; *l. Fusidius*, *ff. de reb. auctor. judic. possid.* quæ omnia diligenter observat Theophilus *hoc loco*, & ante eum M. Tull. pro Quintio : *Ergo hercule, cujus bona ex edicto possidentur, hujus omnis fama & existimatio cum bonis simul possidetur : de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certe, tacite, obscureque conceditur : cui magistri fiunt, & domini constituuntur, qui qua lege, & qua conditione pereat pronuntient : de quo homine præconis vox prædicat, & pretium conficit, huic acerbissimum vivo videntique funus indicitur*. Et de his libellis proscriptionis, Seneca de benefic. libr. 4. cap. 12. *spondeo pro judicato, & suspensum amici bonis libellum dejicio*. Et hæc bonorum emptio connumeratur inter modos successionis per universitatem, quia omnes actiones, quæ debitori & in debitorem competebant, per eam transeunt in emptorem bonorum, veluti in successorem universalem, ut docet Theophil. *hoc loco*. Inter modos adquirendi dominii, hujusmodi bonorum emptionem, quæ publice sub hasta fit, recensuit Varro de re rustic. libr. 2. cap. 10. *Tumve cum in bonis sectioneve, cujus publice venit*. Et hujusmodi bonorum emptio desiit esse in usu, ex quo judicia ordinaria ex usu & moribus sublata sunt, & omnia judicia facta sunt extraordinaria, & hodie debitore latitante, nec defenso, creditoribus officio judicis datur bonorum possessio, citra bonorum venditionem, ut subjungitur *init. h. tit. & l. cum proponas*, C. *de bon. auct. judic. possidend.*

§. I.

ERat & ex SC. Claudiano miserabilis per universitatem adquisitio, quo mulier, quæ servo alieno sese junxerat, domino servi cum bonis omnibus addicebatur, cujus meminit Tacit. 12. *annal.* & Tertull. 2. *ad uxor.* sed a Justiniano sublatum est SC. Claudianum ; *l. unic. C. de SC. Claud. tollend.* unde repetitus est *hic* §.

Source : BIU Cujas

De obligationibus.

CAP. XIII.

In princ.

OBligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, secundum nostræ civitatis jura, ut definitur *init. h. tit.* hinc vinculum juris pro efficaci obligatione, ut in *l. contractus, ff. de oblig. & act.* emptio imaginaria dicitur vinculum juris non obtinere, quia non parit effectum, & obligationem. Effectus obligationis est, quod rei solvendæ necessitatem imponit, & alium nobis obstringit ad rem dandam, faciendam, vel præstandam; *l. 3. ff. eod.* inde ex promissione facta stipulanti *si volam*, nulla nascitur obligatio; *l. sub hac, ff. eod.* & venditio contracta sub conditione *si voluero*, nulla est, quia obligatio non debet conferri in arbitrium rei; *l. hæc venditio, ff. de contrah. empt. l. in vendentis, C. eod. l. centesimis*, §. 2. *ff. de V. O.* Denique obligatio est juris vinculum, quia contractus ab initio sunt voluntarii, ex post facto necessarii, & ab eis discedere non licet; *l. sicut initio, C. de oblig. & act.* Ait secundum nostræ civitatis jura; hæc enim definitio convenit tantum obligationi civili, non naturali: ex naturali enim obligatione, qualis est ea quæ ex pacto nudo nascitur, vel quæ sola æquitate naturali nititur, non nascitur actio, sed ultro solutum condici non potest; *l. Stichum*, §. *naturalis, ff. de solut. l. si non sortem*, §. *libertus, de condict. indebit.*

§. I.

OBligationum summa divisio est, in civiles, & prætorias seu honorarias. Civiles sunt, quæ jure civili constitutæ sunt, ut obligatio ex stipulatu, aut jure civili comprobatæ, ut obligatio ex empto, vendito, locato conducto, mutuo, deposito, commodato, quæ jure gentium introductæ sunt, sed jure civili comprobatæ; *l. ex hoc jure, ff. de justit. & jur.* Prætoriæ sunt, quæ jure prætorio introductæ sunt, ex *hoc* §. *l. obligamur*, §. 6. *ff. de oblig. & act.* ubi Modestinus ait, jure honorario nos obligari ex his, quæ edicto perpetuo, vel jure magistratus fieri præcipiuntur, vel vetantur. Jurisdictio enim latius sumitur pro jure magistratus, & jus dicentis officio; *l. si res, ff. de legat. 1. & l. inter tutores, de administr. tutor.* Hactenus enim obligationes jure prætorio constituuntur, quatenus lex & juris ratio non resistit, alioquin obligationes, quæ propriis viribus non subsistunt, id est natura sua æquæ, & justæ non sunt, neque officio judicis, neque prætoris imperio confirmantur; *l. obligationes 27. ff. de oblig. & act.* ut constitutum, sive obligatio constitutæ pecuniæ, quæ est prætoria, sine causa non valet, id est nisi præcedat debitum; *l. 3. §. si quis, ff. de constitut. pecun.* Obligationes dividuntur *hic* in civiles, & prætorias, omissis naturalibus, quia non pariunt actionem, ideoque de his non curatur. Obligatio naturalis est, quæ sola naturali æquitate nititur, non ullo vinculo juris civilis; *d. l. Stichum*, §. *naturalis*. Duplex est naturalis obligatio. Alia est nuda & simplex, quæ sola æquitate naturali nititur, & juris civilis auxilio destituitur, ut ecce, si pupillus sine tutore mutuam pecuniam acceperit, & ex ea locupletior factus sit, naturaliter obligatur, quia natura æquum est, neminem cum alterius damno locupletari; *l. naturaliter*, §. 1. *& l. seq. ff. de condict. indebit.* Alia est obligatio naturalis mixta, quæ est impli-

Source : BIU Cujas

implicita & conjuncta civili obligationi, ut obligatio ex empto est civilis & naturalis; civilis, quia emptio & venditio est civile negotium; & naturalis, quia descendit ex jure gentium, quod idem est cum jure naturali; *l. juris gentium, ff. de pact.* Obligatio naturalis minus proprie dicitur, quia ex naturali obligatione non nascitur actio, sed eo solo æstimatur, quod ex naturali obligatione solutum, quasi indebitum condici non potest; *l. naturales, ff. de oblig. & act. d. l. naturaliter, de condict. indebit., l. fidejussor* 16. §. *naturales, de fidejussorib.*

§. *sequens.*

SEcunda divisio obligationum est in quatuor species, aut enim ex contractu sunt, aut quasi ex contractu, ex maleficio, aut quasi ex maleficio, ex *hoc* §. Et hoc est quod scribit Caius in *leg.* 1. *ff. h. tit.* obligationes, aut ex contractu nasci, aut ex maleficio, aut proprio quodam jure ex variis causarum figuris, id est ex quasi contractu, vel quasi maleficio. Omnis obligatio est ex contractu, puta ex contractu empti, venditi, locati conducti, vel ex quasi contractu, puta tutelæ, vel negotiorum gestorum. Actio enim tutelæ, vel negotiorum gestorum, non nascitur ex contractu, quia nullum negotium contrahitur inter tutorem & pupillum, inter procuratorem voluntarium & absentem, sed quasi ex contractu; *l. si quis absentis, ff. de oblig. & act.* Obligatio est ex maleficio, vel quasi maleficio, id est ex culpa, quæ est quasi delictum. Obligationes ex contractu subdividuntur in quatuor species, aut enim re contrahuntur, aut verbis, id est stipulatione, aut litteris, aut consensu, de quibus sigillatim dicendum est.

Quib. mod. re contrahit. obligatio.

CAP. XIV.

In princ.

HOc titulo exponuntur contractus innominati, qui re perficiuntur, id est rei traditione. Contractus est conventio, quæ nomen proprium, vel causam habet, veluti emptio, venditio, locatio, conductio; *l. Labeo* 19. *ff. de V. S.* causam dicimus cum interceſſit datio vel factum, & hoc discrepat a pacto, quod pactum est nuda conventio, quæ nomine proprio, & causa vacat, nuda conventio sine re, traditione, & causa; *l.* 1. *ff. de pact.* Alii sunt contractus nominati, alii innominati. Nominati, qui certum & proprium nomen habent, ex quibus nascitur certa, & proprio nomine prædita actio, nominatim prodita, lege 12. tab. ut mutuum, commodatum, depositum, pignus, &c. Innominati sunt, qui non habent proprium & certum nomen, ut contractus, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, ex quibus oritur civilis actio incerti præscriptis verbis, sic dicta, quia datur in id quod interest, quod est incertum & mere arbitrarium; *l. naturalis, ff. de præscript. verb. l. jus gentium*, §. *sed etsi, ff. de pact.*

Hicce titulus est tantum de contractibus nominatis, qui re perficiuntur: hi sunt quatuor numero, mutuum, commodatum, depositum, & pignus. I. mutuum est contractus, quo id agitur, ut non eadem species quam dedimus, sed alia ejusdem generis & quantitatis reddatur, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest; *l.* 2. *&* 3. *ff. de reb. credit. l.* 1. §. † 2. *ff. de oblig. & act.* Pacto fieri non potest, ut plus sit in debito, quam in mutuo: si dedero

Source : BIU Cujas

decem mutuo, ut undecim debeas, amplius quam decem condici non possunt; *l. si tibi, ff. de pact. l. rogasti*, §. 1. *de reb. credit.* Mutuum contrahitur re, id est mutui datione, mutuum consistit in his rebus, quæ pondere, numero, & mensura constant, puta vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro, quæ res dicuntur recipere functionem in genere suo per solutionem, id est usum in genere suo; *l. 2. §. 1. ff. de reb. credit.* II. mutuum contrahitur in hoc, ut res quæ datur accipientis fiat, mutuum transfert dominium in accipientem, & mutuum non contrahitur, nisi quod datur fiat accipientis, unde mutuum nomen accepit, quod ex meo tuum fiat, ut traditur *init. h. tit. & l. 2. §. 2. ff. de reb. credit.* unde si quis alienam pecuniam mutuam dederit, ex numeratione non contrahitur mutuum, sed si consumatur bona fide fit mutuum, & ex consumptione datur condictio de bene depensis, ut veteres loquebantur, non condictio certi de mutuo; *l. si a furioso, ff. de reb. credit.* quod si extet, domino competit vindicatio, aut si mala fide consumpta sit, datur domino actio ad exhibendum, perinde atque si extaret; *d. l. rogasti*, §. *ult.* Dixi dominium mutuæ rei transferri in accipientem, & ideo periculum mutui pertinet ad debitorem; *l. incendium, C. si cert. pet.* Ex contractu mutui nascitur actio, quæ vocatur certi condictio, ut subditur *init. h. tit.* Certi condictio competit ex omni causa, ex omni obligatione, ex qua certum petitur; *l. certi, ff. de reb. credit. l. in duobus*, §. *exceptio, de ju ejur.* Actio mutui dicitur condictio, condictio est generale nomen omnium actionum in personam; §. *appellamus*, infr. *de actionib.* sed usu id proprium factum est actionis creditæ pecuniæ, quod ea sit usu frequentior.

§. I.

QUi sciens indebitum solvit, non repetit solutum condictione indebiti; *l. 1. ff. de condict. indebit. l. indebitum, C. eod.* cujus enim per errorem soluti repetitio est, ejus consulto dati donatio facta intelligitur; *l. cujus per errorem, de R. J.* Indebitum errore juris solventi non datur condictio, quod si indebitum errore facti solvatur, datur condictio; *l. cum quis, C. de jur. & fact. ignor.* puta si heres solida legata solverit, non detracta falcidia, cum existimaret hereditatem idoneam, & locupletem esse, habet condictionem falcidiæ: quod si solida legata solverit ignorans jus heredis in detrahenda falcidia, si hereditas exhausta sit, tunc cessat condictio; *l. error, C. ad leg. falcid.* Qui non debitum recepit per errorem solventis re obligari dicitur, quoniam tenetur quasi ex mutuo, non tenetur ex contractu, sed quasi ex contractu, quoniam is qui indebitum solvit per errorem facti, magis distrahendæ, quam contrahendæ obligationis animo dare videtur, ex *hoc* §. *l. 5. §. is quoque, ff. de oblig. & act.* unde soluti indebiti condictio numeratur inter quasi contractus; §. *item is*, infr. *de oblig. quæ quasi ex contract. nasc.* Igitur condictio indebiti datur, quasi ex mutuo ex tacita conventione, ideoque condictio indebiti est actio in personam, non in rem; *l. his solis, ff. de condict. indebit.* Rursus si pupillus sine tutoris auctoritate indebitum acceperit per errorem solventis, non tenetur condictione indebiti, non magis quam ex mutuo, ex *hoc* §. pupillus enim mutuam pecuniam accipiendo sine tutore non obligatur, neque civiliter, neque naturaliter, nisi locupletior factus sit, tunc enim obligatur naturaliter, & ex constitut. D. Pii datur actio in pupillum in quantum locupletior factus est; *l. pupillus, ff. de auctor. tutor. l. 3. §. pupillus, de negot. gest.* Notandum est, hoc distare actionem mutui a condictione indebiti, quod condictio mutui datur ex contractu, condictio indebiti quasi ex contractu, item condictio mutui est semper condictio certi, at condictio indebiti, alia est certi, alia incerti: si solvero indebitum datur condictio certi, si promisero indebi-

Source : BIU Cujas

debitum datur condictio incerti, ut liberer ea obligatione : obligationes & jura incerti condicuntur, quia sunt res incertæ, & incorporales ; *l. indebiti*, §. 1. *l. sed etsi*, §. 1. *ff. de condict. indebit. l.* 5. in fin. *de act. empt. l.* 2. §. *item si ei, de donat.*

§. *item is cui.*

COmmodatum est contractus, quo res utenda datur ad certum tempus, & certum usum ; *l.* 1. §. † 3. *ff. de oblig. & act.* Is, cui res commodata est, re obligatur, quia commodatum non contrahitur, nisi res data accepraque fuerit, ex *hoc* §. *d. l.* 1. §. 3. *ff. de oblig. & act.* Hoc interest inter mutuum & commodatum, quod res non ita commodatur, ut accipientis fiat, sed ut eadem ipsa reddatur ; *d. l.* 1. §. 3. Commodatum non transfert possessionem, neque dominium, rei enim commodatæ possessio & proprietas retinetur per commodatarium ; *l.* 8. *&* 9. *ff. commodat.* Ita Senec. epist. 62. *Rebus*, inquit, *non me trado, sed commodo :* at mutui datio dominium transfert in accipientem ; *l.* 1. §. 2. *ff. de oblig. & act.* Improprie sequiori ævo commodatum sumptum pro mutuo ; Gregor. Tur. libr. 3. cap. 32. *Si pietas tua habet aliquid de pecunia, nobis commodes pecuniam tuam, cum usuris legitimis reddemus.* Synod. Aurel. III. can. 26. *ut clericus pecuniam non commodet ad usuram.* Item mutui periculum pertinet ad debitorem, qui mutuum accepit, itaque si pecunia mutuo data, casu fortuito perierit, debitor fortuito rei interitu non liberatur, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *& ille, ff. de oblig. & act. l. incendium, C. si cert. petat.* At qui commodatum accepit non præstat casum fortuitum, seu vim majorem, cui resisti non potest, veluti incendium, ruinam, naufragium, nisi culpa ejus casus contigerit : sed in commodato præstat culpam etiam leviſſimam, id est diligentiam, non modo qualem suis rebus adhibet, sed exactissimam, id est qualem diligentissimus paterf. suis rebus adhibere solet ; *l.* † 5. §. *quod vero, l. in rebus, ff. commodat. l.* 1. §. 4. *de oblig. & act.* quia in commodato sola utilitas commodatarii versatur ; *l.* 5. §. † 2. *vers. commodatum, ff. commodat.* Quod si commodatarius incursus hostium periculum in se susceperit, tenetur ex pacto ; *l.* 1. *C. de commodat.* Alii sunt contractus, qui dolum dumtaxat recipiunt, ut depositum, quia in eo sola utilitas deponentis habetur. Alii dolum & culpam, id est negligentiam, ut commodatum, quia in eo sola utilitas commodatarii spectatur ; *d. l.* 5. §. *nunc videndum, l. contractus, de R. J.* & huc spectat Senec. *de benef. libr.* 7. *cap.* 19. cum scribit, alios fidem debere, alios tutelam, id est custodiam, ne res pereat, *non tutelam*, inquit, *illi, sed fidem debeo.*

Commodatum proprie contrahitur, cum res nulla mercede pacta utenda datur, alioquin si merces interveniat locatio efficitur ; commodatum enim est gratuitum, ex *hoc* §. *& d. l.* 5. §. *nunc videndum*, unde officium, & beneficium dicitur *l. in commodato*, §. *sicut autem, ff. commodat.* Quam civiliter commodato inter se usi sint Romani, testis Plin. libr. 33. cap. 11. *Invenimus Legatos Carthaginensium dixisse, nullos hominum inter sese benignius vivere quam Romanos, eodem enim argento apud omnes cœnitavisse ipsos.*

§. *præterea.*

DEpositum re contrahitur, id est traditione, ex depositio enim non nascitur obligatio, nisi re tradita, ex *hoc* §. *l.* 1. § 5. *ff. de oblig. & act.* Si Titius Sempronio per epistolam caverit, se ei debere decem ex causa depositi, ex ea epistola nulla nascitur obligatio, id est actio depositi, sed ex ea rerum depositarum probatio impleri potest, id est ex ea recte probatur, quas res L. Titius a Sempronio ex causa depositi habuerit ; *l. Publia*, §. *ult. ff. depositi.*

Source : BIU Cujas

Tamen constitut. Justiniani exceptio non numeratæ pecuniæ non habet locum in instrumento depositi, quo quis confessus est se rem vel pecuniam depositam accepisse ; *l. in contractibus*, §. 1. *C. de non numerat. pecun.* Depositum est contractus, quo res mobilis apud quempiam custodienda deponitur, ea lege, ut eam ipsam bona fide reposcenti restituat ; *l.* 1. *ff. depositi.* Depositarius enim de ea ipsa re, quam accepit restituenda, tenetur actione depositi, ex *hoc* §. *& l.* 1. §. 5. *ff. de oblig. & act.* quia per depositum non transfertur dominium, nec possessio ; *l. licet*, §. *rei depositæ*, *ff. depositi.* Ideoque si res deposita existat vindicari potest, & si bona depositarii veneant, deponens præfertur ceteris creditoribus in repetenda re deposita, si extet ; *l.* 7. §. *quotiens*, *ubi gloss. ff. depositi. l. si ventri*, §. *in bonis*, *de reb. auctor. judic. possid.* Depositum proprie contrahitur, ita ut eadem ipsa res reddatur, quod si pecunia deposita sit, ita ut non eadem, sed tantumdem reddatur, non contrahitur proprie depositum, hæc conventio egreditur terminos depositi, & si depositarius depositam pecuniam in suos usus converterit, usuras pecuniæ præstat actione depositi ; *l. Lucius Titius*, *ff. depositi.* Depositarius in custodienda re deposita, non præstat culpam, id est negligentiam, sed dolum tantum, qui enim negligentiori amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet, ex *hoc* §. *l. quod Nerva*, *ff. depositi. l.* 1. §. *is quoque*, *de oblig. & act. & d. l. contractus*. Depositarius non præstat culpam, sed dolum tantum, nisi aliud convenerit ab initio ; contractus enim ex conventione legem accipiunt ; *l.* 1. §. † *si convenit*, *ff. depositi.* Hoc ita procedit, si depositarius rem amiserit ante moram, si post moram etiam sine dolo, omne periculum ad eum pertinet ; *l. si in Asia*, §. *ult. ff. depositi.* quia depositarius illico rem depositam reddere modis omnibus compellitur, nullamque compensationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponere potest ; *l. si quis*, *C. depositi. l. ult. C. de commod.* quæ a suo titulo aberrat ; ibi enim perperam scriptum est commodati, pro commendati, id est depositi, & depositarius nullo tempore præscribere potest, quia non sibi, sed domino possidet ; *l.* 2. §. *quod vulgo*, *ff. pro hered. l. interesse puto*, *de adquir. possess. l. si duo*, §. *creditores*, *uti possidet.* & ita judicatur.

§. *ult.*

CReditor quoque, qui pignus accepit, id est pecuniam mutuam dedit sub pignore, re obligatur, ex *hoc* §. Pignus enim re contrahitur, id est traditione : & hoc distat pignus ab hypotheca, quod pignus proprie contrahitur re, id est traditione, hypotheca nudo pacto ; *l. si rem alienam*, *ff. de pigner. act. l. qui pignoris*, *de adquir. poss. l. plebs est*, §. 2. *de V. S.* Pignus quidem ab hypotheca nominis sono tantum differre dicitur *l.* 5. §. 1. *ff. de pignorib.* quod verum est quod ad hypothecariæ actionis formulam, cujus eadem utroque casu vis & potestas est : verumtamen hoc interest inter pignus & hypothecam, quod pignus proprie re contrahitur, hypotheca nudo pacto, pignus proprie constituitur in re mobili ; *d. l. plebs est*, hypotheca in re immobili.

Creditor pigneratitius de eadem ipsa re, quæ pignori data est, restituenda, tenetur actione pigneratitia, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *creditor*, *ff. de oblig. & act.* sc. soluto debito ; tunc enim debitori datur actio pigneratitia, pignoris recipiendi causa ; *l. pen. C. de* † *pignerat. act.* Duplex est pigneratitia actio, directa & contraria. Directa competit debitori adversus creditorem, pignoris repetendi causa. Contraria datur creditori ad repetendos sumptus necessarios, quos fecit in re pignerata ; *l. creditor*, *C. eod. tit. de pignerat. act.* Creditor tenetur actione pigneratitia rem ipsam restituere, quia ex pignore non transfertur dominium ; *l. cum & sortis*, §. 1. *ff. eod. tit.* † *de pignerat. act. l. justo errore*, §. *non mutat*, *de usucap.* Pignus datur tantum cautionis causa, propter

Source : BIU Cujas

pter contractus fidem, & restituendæ rei vinculum ; *l.* 1. §. *jubet*, *ff. de collat. l. legata*, in fin. *de supellect. legat.* unde jus luendi pignoris, nullius etiam longissimi temporis præscriptione tollitur ; *l. nec creditores*, *l. ult. C. de pigner. act. l. pignori*, *d. l. justo errore*, §. *non mutat*, *de usucap. l.* † *usucapio*, *C. de pignorib.* Ratio est, quia creditor non sibi, sed debitori pignus possidet ; *d. l. pignori*, *d. l. justo errore*, §. *non mutat.*

Creditor in pignore servando, non præstat casus fortuitos, sed dolum & culpam & custodiam, seu exactam diligentiam, ita ut si casu fortuito res perierit, creditor sit securus, nec amittat creditum, ex *hoc* §. *l. quæ fortuitis*, *l. si nulla*, *C. de pigner. act. l. sicut vim*, *C. de pignorib. l. contractus*, *de R. J.* Creditor in pignore non præstat diligentiam exactissimam, sed exactam, quia pignus contrahitur utriusque gratia, & debitoris, quo facilius inveniat creditorem, & creditoris quo magis ei in tuto sit pecunia credita, ex *hoc* §. *l. si ut certo*, §. *nunc videndum*, *ff. commodat.* vix enim fœneratores olim pecuniam credebant sine pignoribus ; *d. l. legata*, §. *ult. l. nomen*, *de legat.* 3. *l. quæsitum*, §. 43. *vers. sed & ipse Papinianus*, *de instruct. vel instrum. legat.*

De verb. obligationibus.

CAP. XV.

In princ.

ALii contractus re, id est traditione rei, perficiuntur. Alii verbis, id est conceptis & solemnibus verbis, & id genus contractus stipulationem appellant. Stipulatio est solemnis verborum obligatio, quæ contrahitur conceptis & solemnibus verbis, per interrogationem & responsionem congruam, quibus is qui interrogatur daturum se facturum, quod interrogatus est respondet, ex *init. h. tit. l.* 5. §. *stipulatio*, *ff. de V. O.* Stipulatio verbis contrahi dicitur. Aliæ obligationes etiam, quæ nudo consensu contrahuntur, ut emptio, venditio, locatio, conductio, non sine verbis contrahi possunt, sed quibuscumque verbis concipi possunt, quia hujusmodi contractus non tam verbis, quam consensu perficiuntur ; *l. si* † *stipulor*, in fin. *ff. de V. O.* At stipulatio non quibuscumque verbis contrahitur, sed certis & solemnibus verbis, quæ constent ex interrogatione, & responsione congrua ; *l. si fratres*, *C. commun. utriusq. judic. l.* † *omnes stipulationes*, *C. de contrah. & committ. stipulat.* qualia sunt ista, *spondes centum dari, vel insulam fieri? spondeo.* Scite stipulationis formam expressit Plaut. duobus locis. Primus est in Curcul. *Spondes ne, miles, mihi hanc uxorem? spondeo.* Secundus in Pseudolo : *Dabis ne argenti mihi hodie viginti minas? dabo :* qua de causa stipulatio definitur verborum conceptio ; *d. l.* 5. §. *stipulatio.*

Verborum obligatio fit per interrogationem & responsionem, ut *spondes? spondeo*, unde stipulatio non potest contrahi, nisi inter præsentes ; *l.* 1. in pr. *ff. de V. O.* Et hujusmodi obligatio ita pendet ex verbis, ut uno verbo quem obligari dixerit M. Tull. pro Cæcin. *Si quis quod spopondit, qua in re verbo se uno obligavit, id non facit maturo judicio, sine ulla religione judicis condemnatur.* Præterea ex stipulatione non contrahitur obligatio, nisi interrogationem sequatur congrua & apta responsio ; *l. obligamur*, §. 2. *ff. de oblig. & act.* at si in emptione, venditione, locatione, conductione, ad interrogationem quis non responderit, tamen consensum sit in id quod responsum est, valet quod actum est, quia hujusmodi contractus, non tam verbis, quam con-

Source : BIU Cujas

ſenſu confirmantur ; *d. l. ſi † ſtipulor*, in fin.

Ex ſtipulatione duplex oritur actio : condictio certi, ſi certa ſit ſtipulatio, puta ſi ſtipuler centum dari, vel fundum Tuſculanum : actio ex ſtipulatu, ſi incerta ſit ſtipulatio, puta ſi ſtipuler quid fieri, ex *init. h. tit. l. ſtipulationum 74. & ſeq. ff. h. tit. l. ſi quis certum, de reb. credit.* Obligatio, quæ conſiſtit in dando, eſt certa, quia certam rem continet, puta pecuniam numeratam, Stichum. Obligatio, quæ conſiſtit in faciendo, eſt incerta, quia obligat in id quod intereſt, quod ſemper eſt incertum & arbitrarium, ſiquidem pendet ex officio judicis, id eſt ex ſententia judicis, quæ eſt incerta, unde hæc duo opponuntur certum, & arbitrarium ; Plaut. in Amphitr. *Hoc quidem profecto certum eſt, non arbitrarium*. Stipulatio ſic dicta a ſtipulo, quo nomine veteres firmum appellitabant, ut ait Juſtinian. *hoc loco* Paulum ſecutus *libr. 5. ſent. cap. 7.* Et recte meo judicio, quia, ut tradit ipſe Paulus *eod. loco*, ſtipulationes excogitatæ ſunt aliarum obligationum firmandarum cauſa, unde plerumque ſtipulatio accedebat aliis contractibus, puta mutui, empti, venditi ; *l. certi*, §. *quoniam*, *ff. de reb. credit. l. 3. §. 1. de act. empt. vend. l. 4. §. ult. de uſur.* Senec. de benef. 3. cap. 15. *Utinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret*. Et plerumque ſponſalia, quæ nudo conſenſu contrahuntur, fidei conjugii, arctiori vinculo obſtringendæ cauſa, ſtipulationis ſolemnibus firmabantur ; *l. ſi † ſtipulor*, §. 1. *ff. h. tit.* Arnob. 4. adverſ. gentes. *Habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas*. Alii tamen ſtipulationem duci maluere a ſtipula, quod ſponſiones fiebant per ſtipulæ, ſeu feſtucæ, traditionem, ſi fides Iſidoro 5. *origin. cap. 24.*

§. I.

OLim ſtipulationes certis & ſolemnibus verbis concipiebantur, ut ſupra dictum eſt, hodie ex conſtitutione Leonis quibuscumque verbis concipi poſſunt, ex *hoc §. & l. omnes ſtipulationes, C. de contrah. & committ. ſtipulat.*

§. *omnis ſtipulatio.*

STipulatio aut eſt pura, aut in diem, aut conditionalis. Stipulatio pura eſt, quæ ſimpliciter ſine diei conditionisve adjectione concepta eſt, puta ſi ſtipuler decem aureos dari. Effectus puræ ſtipulationis eſt, quod ex ea confeſtim peti poteſt, ex *hoc* §. Die non adjecto obligationi, præſenti die debetur ; *l. eum qui kalendis*, §. *quotiens*, *ff. h. tit. l. in omnibus 14. de R. J.* M. Tull. Tuſcul. 1. *Natura dedit uſuram vitæ tamquam pecuniæ, nulla præſtituta die : quid eſt igitur quod querare, ſi repetit cum vult? ea enim conditione acceperas*. Et Senec. 3. controverſ. 5. *quotiens tempus non adjicitur, præſens intelligitur*. Quod dico ex ſtipulatione pura confeſtim agi poſſe, attemperandum eſt, ita ut tantum ſpatii præterierit, quo traditio fieri poſſit ; §. *ult.* infr. *de inutil. ſtipulat. & l. quod dicimus*, *ff. de ſolut.* ubi quod ſolvi juſſit teſtator ſtatim ab adita hereditate, cum aliquo temperamento, id eſt ſpatio temporis, accipiendum eſt, ne heres cogatur adire hereditatem cum ſacco. Et hoc laxamentum temporis debet eſſe ſaltem decem dierum ; *l. promiſſor 21. §. 1. ff. de conſtit. pecun.* ubi ſi quis ſine die conſtituat ſe ſoluturum, hactenus tenetur ex conſtituto, ut modicum ſpatium ſtatuendum ſit, non minus decem dierum. Interdum ſtipulatio pura moram & dilationem capit ex re ipſa, tempore vel loco adjecto, puta ſi ſtipuler inſulam ædificari, non ante ex ea ſtipulatione agi poteſt, quam tempus præterierit, quo inſula ædificari potuit : & ſi quis Epheſi dari ſtipuletur, cum ſit Romæ, ſtipulationi tacite ineſt tempus, quo Epheſum juſto itinere perveniri poſſit ; *l. ſi ita ſtipulatus, d. l. eum qui*, §. *quotiens*,

Source : BIU Cujas

tiens, l. interdum, l. continuus, §. cum ita, de V. O. l. insulam, §. 1. locat.

Stipulatio in diem est, cum stipulatio fit adjecto die, quo solvatur, id est cum solutio confertur in diem certum, puta kalendis proximis. Effectus hujusce stipulationis est, quod id quod debetur in diem, statim quidem debetur, sed ante diem peti non potest, ex *hoc §. l. certi condictio*, in princ. *ff. de reb. credit. l. centesimis, de V. O.* ubi si quis stipuletur centum dari in diem, præsens obligatio est, sed solutio in diem differtur: & hoc est quod dicitur in *l. cedere diem, de V. S.* ubi quis stipulatus est in diem, cessisse diem, sed nondum venisse. Dies cedere dicitur, cum incipit deberi; dicitur autem deberi, cum venit dies quo peti potest, adeoque qui ante diem petit, male agere videtur, plus petendo tempore; §. 33. *vers. plus autem*, infr. *de actionib. l. un.* in fin. *ff. quand. dies usufr. legat. ced.* unde etiam debitum in diem compensari non potest; *l. quod in diem, l. cum militi*, §. 1. *ff. de compensat.* Licet vero debitum in diem, ante diem peti non possit, tamen interdum, ex justa causa, debitor in diem, ante diem compelli potest officio judicis cavere de solvenda pecunia, cum dies venerit, puta si ex nova causa, quæ supervenit post contractum, lapsus sit facultatibus, vel suspectus effectus sit de fuga; *l. in omnibus, ff. de judic. l. quod si in diem*, in princ. *de petit. hered.* vel potest compelli repræsentare debitum ante diem, si sit debitor fisci, condictione ex lege; *l. 1. C. de condict. ex leg.* Quod intelligendum remisso interusurio medii temporis, ut notat *gloss. hoc loco*. Debitum in diem certum, ante diem solutum condici non potest, quia debitor in diem debitor est; *l. in diem, ff. de condict. indebit.* Sane debitum in diem, ante diem peti non potest, immo non potest peti, nisi præterito solutionis die, quia totus dies cedit gratia debitoris, ex *hoc §. & d. l. cedere diem*, & dies solutionis, sicut summa, pars est stipulationis; *l. 1. §. editiones, ff. de edend.* Itaque qui hoc anno vel mense dari sibi stipulatus est, ex stipulatu agere non potest, nisi toto anno vel mense præterito; *l. qui hoc anno, ff. h. tit.* Ut qui certis nundinis dari stipulatus est, non potest agere ex stipulatu, nisi extremo nundinarum die; *l. eum qui, ff. h. tit. l. quod quis, ff. de oblig. & act.* quia dies obligationi appositus est gratia debitoris, & ubi obligatio est in diem, dies termini computatur in termino, dies cœptus non habetur pro completo. Etsi debitum in diem, ante diem peti non potest, tamen debitum in diem invito creditori ante diem recte solvi potest, totum enim medium tempus liberum ad solvendum relinquitur; *l. stipulatio ista, §. inter, ff. h. tit. l. quod certa, de solut.*

§. at si ita.

SI ita stipulatus fuero, decem annua quoad vivam dare spondes? pura est stipulatio, & perpetua, quia ad tempus non potest deberi, sed heres petendo, pacti exceptione submovebitur, ex *hoc §. & l. eum qui ita, §. qui ita 4. ff. h. tit. l. obligationum 44. §. 1. de oblig. & act.* ubi Paulus ait, obligationem ad diem contractam tempore non finiri, quia tempus non est modus tollendæ obligationis semel constitutæ: plane post tempus, stipulatorem pacti conventi vel doli mali exceptione submoveri. Ex quo intelligimus, obligationem semel contractam, ipso jure esse perpetuam, non tolli tempore ipso jure, sed per exceptionem doli vel pacti. Stipulatio in annos singulos una est & perpetua; *l. si Stichum, §. 1. ff. h. tit.* Legatum in annos singulos, non est unum, sed plura legata, & primi anni est purum, sequentium conditionale, inest enim conditio si legatarius vivat, & morte legatarii finitur; *d. l. si Stichum, & l. 4. de ann. legat.*

Source : BIU Cujas

§. *sub conditione.*

CUm ſtipulatio eſt conditionalis, pendente conditione ex ea nihil debetur; ex *hoc* §. *& d. l. cedere diem*, ubi cum quis ſub conditione ſtipulatus eſt, dies neque cedit, neque venit, id eſt neque incipit deberi, nec poteſt peti ante conditionem exiſtentem. Ratio eſt, quia conditio ſuſpendit obligationem, & ſpem tantum obligationis continet, ex *hoc* §. *l. conditionales*, *ff. de V. S. l. in quantitate*, §. *magna*, *ad l. falcid.* unde ſub conditione debitum per errorem facti ſolutum pendente conditione, poteſt condici quaſi indebitum; *l. ſub conditione*, *ff. de condict. indebit.* & ſi conditio defecerit, ſtipulatio nulla contracta intelligitur; *l. neceſſario*, *ff. de pericul. & commod. rei vendit.*

Hoc intereſt inter ſtipulationem conditionalem, & legatum conditionale, quod ſtipulatio conditionalis, ſi pendente conditione ſtipulator deceſſerit, transmittitur in heredem, ex *hoc* §. quia ſtipulatio conditionalis ex præſenti, ex die contractus vires accipit, etſi petitio ex ea ſuſpendatur in eventum usque conditionis; *l. uſusfructus*, *ff. de ſtipulat. ſerv.* Et conditio ſtipulationis, quæ ſemel extitit, retro trahitur ad tempus contractus, & perinde eſt ac ſi ſtipulatio ab initio pura fuiſſet; *d. l. neceſſario*, *l. qui balneum*, *l. potior*, §. *videamus*, *ff. qui potior in pignor.* Ita ex ſtipulatione conditionali facta a filiofamilias patri actio competit, etiam ſi conditio extiterit poſt emancipationem, quia in ſtipulationibus ſpectatur tempus contractus; *l. ſi filiuſf. ff. h. tit. l. donationes*, *C. de donat. inter vir. & uxor.* Contra, ſi legatum ſub conditione relictum ſit, & pendente conditione legatarius deceſſerit, non transmittitur ad heredem; *l. 4. ff. quand. dies legat. ced. l. unic. §. ſin autem*, *C. de caduc. tollend.* quia in legatis conditionalibus ſpectatur tempus evenientis conditionis; *l. ſi ita ſit ſcriptum*, §. *ſi ſub conditione*, *ff. de legat. 2. l. is cui*, *de oblig. & act.* & conditio exiſtens in legatis non retro trahitur ad tempus mortis; *l. 1. §. ſervi*, *ff. ad Silanian. l. generaliter*, *qui & a quib. manumiſſ.*

Stipulatio ſub conditione non faciendi, puta ſi in Capitolium non aſcendero, centum dari ſpondes, perinde valet ac ſi collata eſſet in tempus mortis, ex *hoc* §. *l. ita ſtipulatus*, §. *ſed & ſi ita*, *ff. h. tit.* ubi Papinianus ait, ſi ita ſtipulatus fuero, ſi in Capitolium non aſcenderis, vel Alexandriam non ieris, centum dari ſpondes, non ſtatim committi ſtipulationem, quamvis Capitolium aſcendere, vel Alexandriam pervenire potueris, ſed cum certum eſſe cœperit te Capitolium aſcendere, vel Alexandriam ire non poſſe, id eſt poſt mortem promiſſoris, conditio enim, quæ in non faciendo conſiſtit, non poteſt ante mortem impleri. Quod ſi hereditas, vel legatum relinquatur ſub ejusmodi conditione, conditio impletur remedio cautionis Mucianæ, id eſt præſtita ſatisdatione de non faciendo; *l. Mucianæ*, *l. is † cui*, *l. Titio † fundus*, *l. heres*, §. *qui poſt*, *ff. de condit. & demonſtrat.*

§. *loca.*

STipulatio pura diem tacite recipit ex tempore vel loco adjecto, veluti ſi ſtipuler, Carthagini dare ſpondes? ſtipulationi ineſt tacite tempus, quo Carthaginem perveniri poſſit, ex *hoc* §. *l. interdum*, *l. continuus*, §. *cum ita*, *ff. h. tit. l. 2. §. qui ita ſtipulatur*, *de eo quod cert. loc.* Ideo ſi quis Romæ ſtipuletur, hodie Carthagini dare ſpondes? nulla eſt ſtipulatio, quia impoſſibilitas vitiat ſtipulationem, ex *hoc* §. *& d. l. 2. §. qui ita ſtipulatur*, niſi antea contrahentes notum fecerint, in eum diem contractam iri ſtipulationem, & mandarunt, ut ſua die impleretur; *l. ult. §. ſi inter*, *ff. h. tit.*

§. *con-*

Source : BIU Cujas

§. *conditiones.*

COnditio proprie confertur in futurum, non in præsens, vel præteritum; *l. cum ad præsens, & dd. seqq. ff. de reb. credit.* unde conditio, quæ confertur in præsens, vel præteritum, aut omnino tollit obligationem, aut omnino non suspendit, sed pro impleta habetur: puta si conditio falsa sit, stipulatio nulla est, si conditio vera sit, statim stipulatio tenet, ex *hoc* §. *l. conditio, ff. h. tit. d. l. cum ad præsens, & seqq.* quæ enim per se, id est per rerum naturam, certa sunt, ut præsentia & præterita, non morantur obligationem, etsi nobis incerta sint, ut ostenditur *in hoc* §.

§. *ult.*

NOn solum res in stipulationem deduci possunt, sed etiam facta. Aliæ sunt stipulationes, quæ consistunt in dando, puta decem, vel Stichum dari. Aliæ in faciendo, puta domum ædificari, vel in non faciendo, puta ne vicinus altius ædes tollat. In stipulationibus dandi, res ipsa debetur, & qui fundum dari stipulanti promisit, ipsum debet præstare, ut ejus dominium stipulantis omnimodo fiat; *l. ubi autem*, §. *ult. ff. h. tit.* Cum autem stipulatio consistit in faciendo, quia nemo præcise compelli potest quid facere, si non faciat condemnatur in id quod interest; *l. quotiens* 81. *ff. h. tit. l. si quis ab alio*, §. *ult. de re judicat.* Sed hujusmodi stipulationibus pœna subjici solet, ut quanti stipulatoris interfit sciatur, hoc modo sc. *si ita factum non erit, decem pœnæ nomine dari spondes?* ex *hoc* §. *d. l. quotiens*, *l. cum quid*, *l. continuus*, §. *pen. ff. h. tit.* Hujusmodi stipulationibus, quæ resolvuntur in id quod interest, utilius est pœnam subjici, quia id quod interest incertum est, pendetque ex arbitrio judicis; *l. ult. ff. de prætor. stipulat.* Effectus stipulationis pœnalis est, quod ex stipulatione pœnali pœna committitur, etiam si nihil actoris interfit: in pœnalibus enim stipulationibus, non inspicitur quid interfit, sed quæ sit quantitas, quæve conditio stipulationis; *l. stipulatio ista*, §. *alteri, ff. h. tit.* Adeoque pecunia ad diem sub pœna promissa, si debitor ante diem decesserit, pœna committitur, licet heres nondum extiterit; *l. ad diem, ff. eod.* In Gallia stipulationes pœnales locum non habent, & pœna conventionalis adjecta obligationi non potest exigi, sed resolvitur in id quod interest; *cap. suam, de pœn.* quod pœnarum odio receptum est, contra juris civilis rationem.

De duobus reis.

CAP. XVI.

In princ.

DUo pluresque rei stipulandi, & promittendi fieri possunt, ut ostenditur *init. h. tit.* Reus stipulandi est, qui stipulatur. Reus promittendi, qui stipulanti promittit; *l. 1. ff. h. tit.* & apud Festum *in verb. reus.*

§. I.

SI duo pluresve sint rei stipulandi, singulis in solidum debetur: si duo pluresve sint rei debendi, singuli obligantur in solidum: etiam si de obliga-

Source : BIU Cujas

tione solidi nihil expressum sit, quia una est obligatio, ex *hoc* §. *l.* 2. *&* 3. *l. eandem*, in princ. *ff. h. tit.* Correi in solidum obligantur, etiam si tota pecunia uni ex correis numerata sit; *l. propter mutuam*, *C. h. tit. l.* 5. *C. si cert. petat.* neque enim curiosus esse debet creditor, quo vertatur pecunia, dummodo cum eo contrahat, qui jure obligari potest; *l. doli exceptio*, in fin. *ff. de novat.* Duo vel plures correi in solidum obligantur, sed solutione per unum ex correis facta, tota solvitur obligatio, quia una est obligatio, ex *hoc* §. *l.* 2. *ff. h. tit. l. si ex pluribus*, *ff. de acceptilat.* Sed si unus ex correis solidum solverit, datur ei actio mandati adversus correum; *l.* 2. *C. h. tit.* Ita pactum unius ex correis debendi, vel stipulandi prodest alteri correo; *d. l. eandem*, §. *sed si quis*, *ff. h. tit. l. idem in duobus*, *l. si unus*, *ff. de pact.* & conventio unius ex correis interrumpit præscriptionem quoad alios; *l. ult. C. h. tit.* Et si plures sint rei stipulandi, uni ex his solvi potest, unusque rem in judicium deducere potest, & acceptilatione unius ex correis tota solvitur obligatio, ex *hoc* §. *l.* 2. *ff. h. tit. l. si rem*, §. 1. *ff. de novat.* Uno ex correis solidum solvente ceteri liberantur, & uno ex correis convento, licet creditori ad alium redire, quia electione unius ex correis, ceteri non liberantur, sed solutione dumtaxat; *l. reos*, *C. de fidejuss.* tamen accepta parte debiti ab uno ex correis pro suo capite solvente, obligatio dividitur; *l. si creditores*, *C. de pact.* Correi in solidum obligantur, sed hodie si sint duo vel plures correi debendi, habent beneficium divisionis, dummodo ceteri quoque sint solvendo litis contestatæ tempore; *nov. 99. cap.* 1. *auth. hoc ita*, *C. h. tit.* nisi beneficio divisionis nominatim renunciaverint, ut fieri solet adhibita clausula, quæ vulgo solidaris dicitur: *Solidairement chacun pour soy, & un pour tous, sans discution ni division de debte.*

§. *ult.*

E duobus reis promittendi, alius pure, alius in diem vel sub conditione obligari potest, & pendente die vel conditione, non eo minus conveniri potest in solidum, qui pure obligatus est, ex *hoc* §. *l. ex duobus*, *ff. h. tit.* Et in eo dispar est causa fidejussoris, si reus principalis in diem vel sub conditione sit obligatus, fidejussor pure accipi non potest, quia fidejussor in duriorem causam non obligatur; *l. græce*, §. *illud commune*, *l. fidejussor* 16. §. 1. *ff. de fidejussorib.*

De stipulat. servorum.

CAP. XVII.

SErvus non ex sua, sed ex domini persona stipulandi jus habet, ut ostenditur *init. h. tit. & l.* 1. *ff. h. tit.* quia personam, id est statum, non habet; *l. ususfructus*, *ff. h. tit. l. hereditas*, in fin. *de adquir. rer. domin.* Ideo servus non sibi, sed domino stipulari potest, & alteri nemo stipulari potest, nisi servus domino, vel filiusf. patri; *l. stipulatio ista*, §. *alteri*, *ff. de V. O.* Quod si servus hereditarius nondum adita hereditate stipuletur, stipulatur hereditati, ac per eam futuro heredi adquirit, ut subjungitur *init. h. tit. & l. servus hereditarius* 35. *ff. h. tit.* quia hereditas jacens domini vicem sustinet; *d. l. hereditas & l. mortuo*, *ff. de fidejuss.* Servus sive sibi, sive domino, sive impersonaliter, id est indefinite non designata persona cui stipularetur, stipuletur, domino adquirit; §. 1. *h. tit. l. sive mihi*, *ff. h. tit.* quia quidquid servus adqui-

Source : BIU Cujas

adquirit, domino adquirit. Quod si servus factum stipuletur, puta ut sibi ire agere liceat, non sibi, sed domino adquirit; §. *sed cum factum*, *h. tit. d. l. stipulatio ista*, §. *hi qui*. Ea enim, quæ sunt facti, sunt personalia, & personam non egrediuntur; *l. qui heredi*, *ff. de condit. & demonstrat.*

De divisione stipulat.

CAP. XVIII.

In princ. & §. I.

STipulationum aliæ sunt judiciales, aliæ prætoriæ, aliæ conventionales, aliæ communes, id est tam prætoriæ, quam judiciales, ut proponitur *init. h. tit. & l. stipulationum* 5. *ff. de V. O.* Judiciales sunt, quæ judicis officio interponuntur, ut cautio de dolo; §. 1. *& d. l. stipulationum*, ut possessor conventus actione in rem, vel quod metus, non modo rem restituere debet, sed etiam cavere de dolo, id est promittere dolum malum abesse abfuturumve, ne forte res dolo post litem contestatam deterior facta sit; *l. si post*, *l. præterea*, *l. si homo*, *ff. de rei vindicat. l. metum*, §. *ex hoc edicto*, *l. item si cum*, §. *eum qui metum*, *ff. quod met. caus.* Ita & creditor pigneratitius in reddendo pignore cavere debet de dolo, id est promittere, pignus dolo vel facto suo deterius factum non esse; *l. creditor cum pignus*, *ff. de pigner. act.* Et ideo doli clausula dicitur honestatis formula Ambros. 3. offic. cap. 10. *Nonne honestatis formulæ sunt, dolum malum abesse, eumque, cujus dolus fuerit deprehensus, duplici pœnæ obnoxium fore*. Doli clausula stipulationibus subjici solet, sed ea non pertinet ad casus, de quibus nominatim cavetur, sed ad casus incertos, qui in præsentia contrahentibus occurrere non possunt; *l. si id quod*, *l. stipulationes* 53. *l. doli*, *l. si ita quis*, §. *ult. ff. de V. O. l.* 3. *C. de recept. arbitr.* & ideo utilius est specialiter caveri de dolo.

§. *prætoriæ*.

PRætoriæ stipulationes sunt, quæ mero prætoris officio interponuntur, veluti stipulatio damni infecti, & stipulatio legatorum servandorum causa, *ex hoc §. & d. l. stipulationum*. Stipulatio damni infecti jussu prætoris interponitur, nempe si vicini ædes vitium faciant, & ruinam minentur, prætor adiri solet, ejusque officium est jubere, ut vicino caveat de damno infecto, id est de damno quod futurum timetur; *l. prætor ait*, *& tot. tit. ff. de damn. infect.* Plin. libr. 36. cap. 2. *Satisdari sibi damni infecti egit redemptor cloacarum, cum in palatium extraherentur*. Prætoris est jubere, ut caveatur de damno infecto, verumtamen cum res celeritatem desiderat, idem mandare potest magistratibus municipalibus, ut ipsi jubeant caveri damni infecti; *l.* 1. *ff. de damn. infect.* A prætore etiam interponitur cautio legatorum, ut si legatum in diem vel sub conditione relictum sit, heres jubente prætore cavere debet legatario de legato servando & præstando, cum dies vel conditio extiterit; *l.* 1. *& 5. ff. ut legat. serv. caus. cav.* Nec hoc singulare est in legato, vel fideicommisso particulari, etiam heres, cui substitutus datus est, tenetur substituto cavere de servanda & restituenda fideicommissaria hereditate; *l. inter omnes*, *ff. qui satisd. cog. l. Paulus*, *ff. de prætor. stipulat.* Exceptis personis patris & matris, quibus hujusmodi cautio remittitur, nisi testator aliud jusserit, vel pater aut mater transierint ad secundas nuptias; *l. jubemus*, *C. ad Trebell.*

Source : BIU Cujas

Prætoriarum ſtipulationum nomine continentur etiam ædilitiæ, quæ proficiſcuntur ex edicto ædilium, ut ſtipulatio duplæ, quam promittit venditor, ſi mancipia, vel aliæ res mobiles, quæ veniere, evincantur; *l. quod ſi nolit*, §. *quia aſſidua*, *ff. de ædil. edict. l. ſi dictum*, *de evict.* Ait Juſtinianus, has venire ex jurisdictione, ſubaudi ædilium, ii enim jurisdictionem habuere, & edictum propoſuere de rebus venalibus, quod & ipſum juris honorarii portio eſt; §. *prætorum*, ſupr. *de jur. natur. gent. & civil.* male quidam *hic* addidere prætoris, contra fidem veterum exemplarium, & *d. l. ſtipulationum*, unde *hic locus* exſcriptus eſt.

Ex edicto prætoris interponitur etiam ſtipulatio de novi operis nuntiatione, per quam, qui novum opus molitur in ſuo, prohibetur ædificare per novi operis nuntiationem, donec nuntiatio novi operis ei remiſſa ſit, vel ſatisdederit de opere reſtituendo, ſeu deſtruendo, ſi judicatum ſit vicinum habuiſſe jus prohibendi, ne vicinus novum opus invito ſe faceret; *l. ſtipulatio*, *ff. de nov. oper. nunciat.*

Auctore prætore interponitur etiam ſtipulatio judicatum ſolvi; *l.* 1. §. 1. *ff. de prætor. ſtipulat. l. judicatum*, *l. ex clauſula*, *ff. judic. ſolv.* per quam reus, vel defenſor ipſius, datis fidejuſſoribus cavet de judicato faciendo, ſeu præſtando; nemo enim eſt idoneus defenſor litis alienæ etſi locupletior, niſi ſatisdet judicatum ſolvi; *l.* 5. §. *nunc videamus*, *ff. eod. l. minor*, *& duabus*, *ſeqq. de procurat. l. filiuſf. qui ſatisd. cog.* Hodie moribus noſtris cautio judicatum ſolvi non habet locum, & cuilibet licet agere citra ſatisdationem hujusmodi, niſi ſit peregrinus & advena, cui non remittitur onus cautionis, ne luſoria ſint judicia, neve impune liceat exteris populares litibus vexare & diſtringere.

§. *conventionales.*

COnventionales ſunt, quæ ex conventione rerum, id eſt partium, fiunt, hoc eſt neque ex juſſu judicis, neque ex juſſu prætoris veniunt, ſed ex conventione partium. Harum totidem ſunt genera, quot rerum contrahendarum, *ex hoc* §. quia ſtipulatio omnibus fere contractibus interponebatur rei ſanciendæ & firmandæ cauſa, & ſtipulatio erat vinculum commune ceterarum obligationum; *l.* 3. §. 1. *ff. de act. empt. l. jurisgentium*, §. *quod fere*, *de pact.*

§. *ult.*

STipulationes communes ſunt, quæ modo juſſu prætoris, modo juſſu judicis interponuntur, ut ſtipulatio rem pupilli vel adoleſcentis ſalvam fore, & hæc fidejuſſorem deſiderat; *l.* 1. §. 4. *ff. rem pupill. ſalv. fore.* Hæc cautio non interponitur apud prætorem, ſed ejus juſſu ſcriba, vel actuarius ejus, fidejuſſores accipere ſolet a tutoribus vel curatoribus datis; *l. ult. C. de magiſtr. conven.* Nonnunquam enim a prætore viatori id eſt apparitori, vel actuario re urgente mandantur ea, quæ aliquam habent admixtam cauſæ cognitionem; *l. ult. ff. de judic. l.* 5. §. *ne tamen*, *de reb. eor. qui ſub tutel. vel cur. ſunt.* Ejusdem generis eſt ſtipulatio de rato, ſeu ratum haberi, in omnibus judiciis procurator etiam præcedente mandato ante litem conteſtatam cavere debet rem ratam dominum habiturum; *l.* 3. *ff. rat. rem haber. l. ſi procuratorem*, *de procur.* Aliud in tutore & curatore, hi non tenentur cavere de rato, quia rem in judicium deducunt quaſi domini litis, non quaſi procuratores; *l. vulgo obſervatur*, *l. tutor qui*, *ff. de adminiſtr. tut. l. tutores*, *C. eod.*

De

Source : BIU Cujas

De inutilib. ſtipulationibus.

CAP. XIX.

In princ.

OMnis res, quæ dominio noſtro ſubjicitur, ſive mobilis, ſive immobilis in ſtipulationem deduci poteſt, ut exponitur *init. h. tit.* Res, inquam, quæ dominio noſtro ſubjicitur, id eſt quæ in noſtrum dominium cadere poteſt, res enim, quæ in dominio noſtro eſt, in ſtipulatum deduci non poteſt, rei ſuæ inutilis eſt ſtipulatio; §. *idem juris*, infr. *h. tit. l. nemo rem ſuam*, *ff. de V. O.* quia quod ſemel meum eſt, amplius meum fieri non poteſt; *l. non ut ex pluribus*, *de R. J.* Igitur omnes res ſive mobiles, ſive immobiles, in ſtipulationem deduci poſſunt, non tantum res corporales, ſed etiam jura & ſervitutes, & facta; *l. ſtipulationes*, *ff. eod.* †. *de V. O.*

§. I.

RES, quæ in rerum natura non eſt, in ſtipulatum deduci non poteſt, veluti Stichus jam mortuus, quem vivum credebam, aut Hippocentaurus, qui per rerum naturam eſſe non poteſt, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *ſi id quod*, *ff. de oblig. & act. l.* † *ſi ſtipulor*, *de V. O.* E diverſo fructus futuri recte in ſtipulatum deducuntur, quia per rerum naturam eſſe poſſunt; *l. interdum*, *ff. eod.*

§. *idem juris.*

RES, quæ in commercio non eſt, puta ſacra, religioſa, vel publica, vel cujus quis commercium non habet, in ſtipulatum deduci non poteſt, & ſtipulatio hujusmodi rerum, quæ nulla eſt ab initio, ex poſt facto non convaleſcit, *ex hoc* §. *l. inter ſtipulantem*, §. *ſacram*, *ff. de V. O. l.* 1. §. *ſi id quod*, *de oblig. & act.* quia in ſtipulationibus ſpectatur tempus contractus. Multum intereſt utrum quis ſtipuletur rem, cujus commercium non habet, an promittat: ſi quis ſtipuletur rem, cujus commercium non habet, inutilis eſt ſtipulatio: ſi promittat ſecus; *l. multum intereſt*, *ff. de V. O.* Quædam ſunt res, quæ non ſunt in commercio, quæ emi, vendi, vel in ſtipulatum deduci non poſſunt per ſe, veluti res ſacræ, religioſæ, publicæ: quædam ſunt quarum quis commercium non habet, puta qui officium in provincia adminiſtrat, ibi emere prædia non poteſt; *l. non licet*, *l. qui officii*, *ff. de contrab. empt.* Res, cujus aliquis commercium non habet, etſi ei legari non poſſit, tamen heredi inſtituto cum univerſitate bonorum adquiritur; *l. quædam*, *ff. de adquir. rer. domin.* Quinimmo ſi legetur res aliena, cujus commercium legatarius non habet, æſtimatio debetur; *l. ſed ſi res aliena*, *ff. de legat.* 1.

§. *ſi quis alium*, §. *verſa vice.*

QUi promiſit alium daturum facturumve, veluti Titium quinque daturum, non obligatur, quia nemo præſtat alienum factum; §. *ſi quis alium*, *l. ſtipulatio iſta*, *ff. de V. O. l. ſicut reus*, *de fidejuſſ.* qui vero promiſit ſe curaturum, ut Titius decem daret, obligatur; §. *ſi quis alium*, nec tantum diligentiam, & curam præſtare debet, ſed effectum, quia verbum curare acci-

Source : BIU Cujas

piendum est cum effectu, id verbum in jure idem sonat, quod facere & præstare pecuniam; M. Tull. pro Quintio: *Cum æris alieni aliquantulum esset relictum, quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret, auctionem in Galliæ Publius hic Quintius Narbone se facturum esse proscribit.* Et idem 5. epist. ad famil.† 20. *Erat enim curata nobis pecunia Valerii mancipis nomine.* Et idem 1. ad Attic. † 7. *L. Cincio H-S XXCD constitui me curaturum idibus februarii.* Qui promisit se curaturum decem dari, non cogitur stipulanti decem dare, quia reum locupletem, id est expromissorem, vel fidejussorem dando liberatur; *l. illa stipulatio*, §. 1. *ff. de V. O. l. ult.* in fin. *ff. de reb. credit.* qui promisit alium daturum, facturumve non obligatur, nisi promiserit alium daturum, vel facturum, adjecta pœna, si non fiat, quo casu tenetur de pœna; §. *versa vice, d. l. stipulatio ista*, §. 1. Etsi enim alienum factum inutiliter promittatur, quia non est in potestate promittentis, tamen pœnæ solutio est in ejus potestate. E diverso, qui promiserit se curaturum per alium dari, tenetur, quia non tam alienum factum, quam suum promittit. Qui alium judicio sisti promisit, etiam nulla pœna adjecta, tenetur in id quod interest, nam qui alium sisti promittit, hoc promittit se acturum, ut stet; *d. l. stipulatio ista*, §. *pen. l. quotiens* 81. *ff. eod.* sed plerumque his stipulationibus pœna subjici solet; *l. 2. ff. si quis caut. l. sancimus*, C. *de fidejuss.*

§. *si quis alii*, §. *alteri*, §. *sed & si quis.*

NEmo alteri stipulari potest, nisi ei, cujus in potestate sit, puta servus domino, filiusf. patri; §. *si quis alii*, §. 1. supr. *de stipulat. serv. l. stipulatio ista*, §. *alteri*, *ff. de V. O. l. 3. C. de inutil. stipulat.* Ratio est, quia hujusmodi obligationes ad hoc institutæ sunt, ut quisque sibi adquirat quod sua interest, ceterum nostra non interest alii dari; §. *alteri, d. l. stipulatio ista*, §. *alteri*, quod comprobatur *l. quæcumque* 11. *ff. de oblig. & act.* ubi nemo alteri stipulari, emere, vendere, & contrahere potest, quia contractus nullus est, nisi ex nostra persona, id est ex persona stipulatoris, obligationis initium sumat. Ita si filia stipuletur matri soluto matrimonio dotem reddi, inutilis est stipulatio; *l. debitor*, §. 1. *ff. ad Trebell. l. inter socerum*, §. *pen. ff. de pact. dotalib.* tamen si avus maternus stipuletur nepotibus soluto matrimonio morte filiæ dotem reddi, ex stipulatu eis datur utilis actio; *l. Gaius, ff. solut. matrimon. l. pater*, C. *de pact. convent.* Et mater utiliter paciscitur depositum reddi filio; *l. Publia, ff. deposit.* plus datur affectui parentum, quam liberorum, etsi mater vel avus maternus non habeat filios vel nepotes ex filia in potestate, tamen hoc datur eorum pietati, ut his consulere liceat.

Si quis extraneo stipuletur nihil agit, plane solutio in extraneum conferri potest: puta si quis stipuletur Titio centum dari, inutilis est stipulatio, quia alteri per alterum per liberam personam obligatio adquiri non potest. Quod si quis stipuletur sibi, aut Titio dari, stipulatio valet, quia obligatio stipulanti adquiritur, & facultas solvendi alteri datur; §. *si quis alii*. Obligatio in extraneum conferri non potest, solutio potest, quia ea quæ sunt juris, per alterum adquiri non possunt, at solutio est magis facti, quam juris; *l. consilio*, §. *quæsitum*, *ff. de curat. fur.* & plus favemus liberationi, quam obligationi; *l. Arianus, ff. de oblig. & act.*

Si quis stipuletur sibi, aut Titio dari, etiam invito eo Titio recte solvi potest, & promissor solvendo ipso jure liberatur; §. *si quis alii, l. vero*, §. *pen. l. aliud, ff. de solut.* Adjecto solutionis causa solvi potest, etiam invito stipulatore, quia stipulator non potest immutare conditionem stipulationis; *d. l. vero*, §. *pen.* Verum adjectus solutionis causa non potest petere, nec novare, nec acceptum facere, nec fidejussorem accipere, tantumque ei solvi potest; *l.*

quod

Source : BIU Cujas

quod ſtipulatus, ff. eod. l. ſi mihi, aut Titio, ff. de fidejuſſ. Si ſtipulatus fuero mihi aut Titio dari, priusquam ego agam, Titio ſolvi poteſt, poſt litem conteſtatam amplius Titio ſolvi non poteſt; *l. ſi quis ſtipulatus*, §. 1. † *l. cum quis, ff. de ſolut.* Si quis ſibi, aut Titio dari ſtipuletur, & Titio ſolutum ſit, ex eo ſequitur liberatio, ſed ſtipulator ſolutum repetet a Titio mandati actione; §. *ſi quis alii, l. Julianus*, §. 1. *ff. de V. O. l. qui res*, §. *qui ſtipulatus, de ſolutionib.* quia adjectus ſolutionis cauſa tacite videtur conſtitutus procurator, ut ſolvendum accipiat: mandatum tacito conſenſu contrahitur; *l. 6. §. ſi paſſus, l. qui patitur, ff. mandat.*

Nemo alteri ſtipulari poteſt, ſubaudi ſi ille alter abſit; *l. 3. C. de contrah. & committ. ſtipulat. l. 3. C. de inutil. ſtipulat.* quod ſi procurator præſente domino ei ſtipuletur, ex ſtipulatu utilis actio domino competit; *l. ſi procuratori, ff. de V. O.* Per ſervum domino adquiritur actio directa, per procuratorem utilis, quia regulariter per liberam perſonam nobis non adquiritur actio. Honeſtiores viri ſolebant ſtipulationes contrahere per ſervos vel libertos & actores, licet ipſi præſentes eſſent, ne nomina ſua publicis inſtrumentis inſcriberentur; *l. pupillus*, §. *ſane, ff. de auctorit. tut. l. ſi ita ſtipulatus* 126. §. *Chryſogonus, ff. de V. O. l. Seia, de dot. prælegat. l. optimam, C. de contrah. & commit. ſtipulat.*

Si quis ſtipuletur ſibi & extraneo decem dari, valet quidem ſtipulatio non in totum, ſed pro parte, id eſt ex ea non tota decem, ſed ſola quinque ſtipulanti debentur; §. *ſi quis alii, l. ſtipulatio iſta*, §. *eum qui, l. ſi mihi, & Titio, ff. de V. O.* ubi ſi mihi & Titio, in cujus poteſtate non ſum, ſtipuler decem, non tota decem, ſed ſola quinque mihi debentur, pars enim aliena deducitur, ut quod extraneo inutiliter ſtipulatus ſum, non augeat meam partem, id eſt pars deficientis mihi non adcreſcit; in contractibus enim, quia habent cauſam limitatam, ceſſat jus adcreſcendi; *l. in agris, ff. de adquir. rer. domin. l. Lucius*, §. *quæ habebat, ad Trebell.* Neque adverſantur *l. fundus ille, ff. de contrah. empt. & l. 5. comm. præd.* ubi ſi emero fundum mihi & Titio, vel ſi fundum meum vendidero, ita ut mihi & Titio ſerviat totus fundus, tota ſervitus mihi debetur, quia ſtipulatio pecuniæ pro parte eſt utilis, quod pecuniæ obligatio facile diviſionem recipit; *l.* † *cum decem, ff. de ſolut.* In ſtipulationibus tot ſunt ſtipulationes, quot ſummæ, aut res; *l. ſcire debemus, ff. de V. O.* at fundi emptio, & ſervitutis impoſitio eſt individua.

Qui ſtipulatur ei, qui poteſtati ejus ſubjectus eſt, veluti dominus ſervo, pater filio, ſibi adquirit in iis rebus, quæ ſibi adquiri poſſunt, quia vox patris, vox filii, & pater ſibi ſtipulari intelligitur; §. *ſi quis alii, l. dominus, ff. de V. O. l. 2. C. de contrah. & committ. ſtipulat.* Quod ſi pater ſtipuletur ſibi, aut filio dari, ſive ſuo, ſive emancipato recte ſolvitur, quia hoc caſu filius ſolutionis cauſa tantum adjectus eſt; *l. eum qui ita*, §. *qui ſibi, ff. de V. O.* Pater poteſt filio in poteſtate conſtituto utiliter ſtipulari, in his rebus, quæ illi adquiri poſſunt, id eſt in his, quæ ſunt juris non facti; ea enim tantum, quæ ſunt juris non facti, adquiruntur patri per filium etiam per ſtipulationem; *l. quod dicitur* 130. *ff. de V. O.* ubi ſi pater ſtipuletur filio, ut ei per fundum alienum ire agere liceat, inutilis eſt ſtipulatio.

Nemo alteri ſtipulari poteſt, niſi ſubjecta pœna, quo caſu ſi non detur vel fiat, pœnæ ſtipulatio committitur, etiam ei cujus nihil intereſt, in ſtipulatione enim pœnali non inſpicitur, an ſtipulatoris interſit, ſed quæ ſit quantitas, quæve conditio ſtipulationis; §. *alteri, l. ſtipulatio iſta*, §. *alteri, ff. de V. O.* id eſt quantum pœnæ nomine in ſtipulationem deductum eſt, & an conditio, ſub qua ſtipulatio pœnalis concepta eſt, extiterit.

Regulariter ſtipulatio alteri facta non valet, excipitur niſi ſtipulantis interſit, ut ſi tutor ceſſa adminiſtratione a contutore ſtipuletur, rem pupilli ſal-

Source : BIU Cujas

vam fore, quia ejus intereſt rem pupilli ſalvam eſſe, quod etiam ſi non adminiſtret, pupillo tenetur actione tutelæ, vel ſi quis procuratori ſuo dari ſtipuletur, quia ſtipulantis intereſt, rem enim a procuratore recipiet actione mandati, ac ſi quis creditori ſuo dari ſtipuletur, ne forte eo non ſolvente prædia, quæ erant pignerata, diſtrahantur; §. *ſed & ſi quis*, *l. ſtipulatio iſta*, §. *ſi ſtipuler*, *& ſeq. ff. de V. O.* Stipulatio alteri facta valet, dum ſtipulantis interſit, quia hoc caſu qui alteri ſtipulatur, ſibi ſtipulari intelligitur; *l. liber homo* 118. §. *ult. ff. eod.*

Regulariter ſtipulatio alteri facta non valet, tamen ſi quis ſtipuletur ſibi dari vel fieri, ſive facta mentione heredum, ſive non facta, ſtipulatio ad heredes, & contra heredes transfertur, quia plerumque tam heredibus noſtris, quam nobismetipſis cavemus; *l. ſi pactum*, *ff. de probat. l. veteris*, *C. de contrah. & committ. ſtipulat.*

Regulariter ex ſtipulatione alteri per alterum actio non quæritur, ſed ex conſtitutionibus ſi donator rem donatam poſt certum tempus, alteri reſtitui ſtipulatus ſit, illi ex ſtipulatu utilis actio tribuitur; *l. quotiens*, *C. de donat. quæ ſub mod.* Hodie ex conſuetudine generali receptum eſt, ut tabellio tamquam ſervus publicus etiam abſenti & ignoranti poſſit ſtipulari. Servus publicus ſolebat adhiberi, ut ſtipularetur his, qui per ſe ſtipulari non poterant, propter ætatem, vel aliud impedimentum; *l. non aliter*, *ff. de adopt. l. 2. ff. rem pupill. ſalv. fore*, *l. † 3. C. de poſtlim. reverſ.*

§. *præterea.*

STipulatio conſtat ex interrogatione, & reſponſione congrua, unde ſi quis ſtipulanti decem, viginti reſpondeat, obligatio non contrahitur niſi in decem, e contrario ſi ſtipulanti viginti decem reſpondeat, obligatio non valet niſi in decem; *l. 1. §. ſi ſtipulanti*, *ff. de V. O.* quia obligatio eatenus valet, quatenus reſponſio congruit interrogationi, id eſt in eo quod minus eſt, nam in majori ſumma minor ineſt; *d. §. ſi ſtipulanti*, & ita, quod Juſtinianus ait *hoc loco*, ejusmodi ſtipulationem eſſe inutilem, ſic accipiendum eſt, eatenus tantum eſſe inutilem, quatenus reſponſio non congruit interrogationi, ita ſi ego decem, aut viginti ſtipuler, & tu decem ſpoponderis, valet ſtipulatio in decem, quia ſemper in ſummis, id quod minimum eſt ſponderi videtur; *l. inter ſtipulantem*, §. *diverſa*, *ff. de V. O.* ut legatis nummis, in dubio quod minimum eſt debetur; *l. nummis*, *de legat. 3.*

§. *item inutilis.*

STipulatio inter dominum & ſervum, inter patrem & filiumf. nulla eſt, ex *hoc* §. quia perſonarum diſtinctio eſſe debet inter ſtipulatorem & promiſſorem, inter dantem & accipientem, & nemo poteſt ſibimetipſi obligari; *l. heres*, §. *quod ſi ſtipulator*, *ff. de fidejuſſ.* quæ eſt ratio cur donatio a patre in filiumf. collata non valeat; *l. cum de bonis*, *C. de donat. l. donationes 25. C. de donat. inter vir. & uxor.* Stipulatio inter patrem & filium emancipatum valet, & ex ea pater obligatur; *l. 4. C. de pact. convent.* quia emancipatus pro extraneo habetur; *l. quinetiam*, *ff. de rit. nupt.* Donatio, inquam, a patre in filium emancipatum, etiam infantem valet, ſed ſi pater donet filio emancipato infanti, neceſſe eſt donationem fieri ſtipulante ſervo, in eam rem adhibito, ut ei per ſervum donatio adquiratur; *l. ſi quis in emancipatum*, *C. de donat.* quod ſi extraneus infanti donaverit, donatio perficitur tutore auctore, & ita Joannes vetus interpres recte accipit *l. 3. C. de adquir. poſſeſſ.* Servus neque domino, neque alteri civiliter obligari poteſt ex contractu, ex *hoc* §. *l.*

Source : BIU Cujas

§. *l. servi*, *l. obligari*, *ff. de oblig. & act.* quia servus personam non habet, & est incognitus juri civili. Filiusf. alii quam patri obligari potest, ex *hoc* §. immo filiusf. ex omnibus causis tamquam paterf. obligatur; *l. filiusf. 39. ff. de oblig. & act.* puta filiusf. obligatur ex contractu emptionis, venditionis; *l. tenetur*, §. *si filiusf. ff. de act. empt.* & ex contractu filiif. pater tenetur de peculio, vel de in rem verso; *l. tam ex contractibus*, *ff. de judic.* Regulariter filiusf. ex omnibus causis obligatur tamquam paterf. nisi ex credita pecunia, ex qua obligatur quidem, sed non efficaciter, quia juvatur exceptione SC. Maced. quod factum est odio fœneratorum; *l.* 1. *ff. de Maced.*

§. *mutum*, §. *furiosus*.

NEque mutus, neque surdus stipulari, vel promittere potest, quia stipulatio est verborum obligatio, quæ non contrahitur, nisi utroque loquente, id est per interrogationem, & responsionem; §. *mutum*, *l.* 1. *ff.* † *de verb. oblig. l.* 1. §. *pen. & ult. de oblig. & act.* ubi mutum & surdum, nihil pertinere ad obligationem verborum natura manifestum dicitur, quia mutus non potest proferre verba stipulationis, nec surdus audire. Furiosus neque stipulari, neque promittere potest, neque aliud negotium gerere, quia non intelligit quod agit; §. *furiosus*, *l.* 1. §. † *furiosum*, *ff. de oblig. & act.* Idem in prodigo, cui bonis interdictum est, quia pro furioso habetur; *l. is cui bonis*, *ff.* † *de V. O.*

§. *pupillus*, §. *sed quod diximus*.

PUpillus, sine tutoris auctoritate, alium sibi obligare potest, sed non obligatur sine tutore; §. *pupillus*, *l. obligari*, *ff. de auctor. tutor.* id est pupillus sine tutore non obligatur civiliter; *l. obligari*, *ff. de oblig. & act.* sed sine tutore obligatur naturaliter, si factus sit locupletior, quia natura perœquum est neminem cum alterius damno fieri locupletiorem; *l. naturaliter*, §. 1. *& l. seq. ff.* † *de condict. indebit.* Pupillus infans stipulari non potest, ne quidem tutore auctore, quia id ætatis nullum intellectum habet; §. *sed quod diximus*, in parvulis quasi sopita jacet ratio; Augustin. de peccator. remiss. contr. Pelagianos libr. 1. cap. 25. *Ratio adhuc velut quieta & quasi sopita, tamen insita, & quodammodo inseminata in parvulis latet.* Infans dicitur usque ad septimum annum; *l. si infanti*, *C. de jur. deliber.* Pupillus infantiæ proximus recte stipulari & promittere potest tutore auctore, & hoc benigniori jure receptum est; §. *sed quod diximus*, *l.* 1. §. † *huic proximus*, *ff. de oblig. & act.* Impubes proximus infantiæ dicitur, qui est propior infantiæ, quam pubertati, puta puer decennis: filiusf. impubes, ne quidem auctore patre ex stipulatu obligatur, filiusf. pubes tamquam paterf. obligatur; §. *sed quod diximus*, *l. ult.* §. *pupillus*, *ff. de V. O.* quæres cur pupillus auctore tutore obligetur, at filiusf. impubes auctore patre non obligatur? An minor in ea re est auctoritas patris quam tutoris? nequaquam, sed spectatur utilitas pupilli; cum enim filiusf. impubes non possit auctore patre sibi adquirere, quidquid enim adquirit patri adquirit, æquum non est ut auctore patre obligetur. Filiusf. pubes tamquam paterf. obligatur, id est sine patre, vel curatore, quia pubes sine curatore ex stipulatu obligari potest; *l. puberes*, *ff. de V. O. l. neque tutoris*, *C. de contrah. & committ. stipulat.* Olim tamen lege Lætoria cautum, ne minores 25. annis ex stiputatione obligarentur; Priscianus libr. 8. ex Svetonio: *Lætoria, quæ vetat minorem 25. annis stipulari*, ubi idem observat, stipulari *hoc loco* sumi passive, pro stipulanti respondere ἐπερωτᾶσθαι· Hanc legem indubie respexit Plaut. in Rudente, act. 5. sc. 3.

. . . . . *Cedo qui cum habeam judicem*,

Source : BIU Cujas

Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem
Quinque & viginti natus annos . . . .

§. *si impossibilis.*

IMpossibilis conditio stipulationi adjecta, vitiat stipulationem, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *si id quod*, *ff. de oblig. & act.* nec non ceteros contractus, veluti emptionem, locationem; *l. non solum*, *ff. eod.* aliud in ultimis voluntatibus. Conditio impossibilis non vitiat legatum, vel institutionem, sed vitiatur, & pro non scripta habetur, ut dictum est in §. *impossibilis*, supr. *de hered. instituend.* Ratio differentiæ duplex adduci potest. Prior, quod in contractibus, qui duorum pluriumve consensu perficiuntur, spectatur voluntas contrahentium, ac proinde adjecta impossibili conditione, contrahentes nihil egisse, id est operam lusisse videntur; *d. l. non solum*. At in testamentis sola defuncti voluntas spectatur, quæ facile prudentum interpretatione adjuvatur. Altera ratio est, quod contractus sunt stricti juris, & interpretationem non recipiunt; *l. quidquid adstringendæ*, *ff. de V. O.* at testamenta sunt favorabilia, & in his plenius voluntates testantium interpretamur; *l. in testamentis*, *de R. J.*

§. *item verborum.*

STipulatio non potest contrahi inter absentes, ex *hoc* §. *l.* 1. *ff. de V. O.* quia stipulatio verbis contrahitur per interrogationem & responsionem, quæ non potest constare nisi inter præsentes. Neque adversatur *l. ea quæ*, *ff. de donat. inter vir. & uxor.* ubi stipulatio contrahitur per epistolam, neque enim hoc intelligendum est de epistola, quæ solet scriptitari inter absentes, sed de epistola, quæ cautionis vice solebat fieri inter præsentes; *l. Titia*, §. 2. *ff. de V. O.* Si in instrumento stipulationis scriptum sit, rem inter præsentes gestam esse, omnino credendum est hujusmodi instrumento, ut litium materia & occasio tollatur, quod est perpetuum propositum legis; *l.* 4. §. *ait prætor*, *ff. de re judicat. l. quidam*, *de reb. credit.* Quod si unus contrahentium asserat, se vel adversarium toto eodem die civitate abfuisse, & paratus sit id probare liquidis & manifestis probationibus, puta per aliam scripturam, vel idoneos testes, instrumenta & testes admittuntur contra hujusmodi scripturam; *l. optimam*, *C. de contrah. & committ. stipul.* unde desumptus est *hic* §. Regulariter testes non admittuntur contra scripturam; *l.* 1. *C. de testib.* nisi falsi arguatur, & hoc casu probatur, quod scriptum est in *l. in exercendis*, *C. de fid. instrum.* in litibus eandem vim habere instrumenta & testes. Si falsum instrumentum dicatur, admittitur quis ad probandum se eo die civitate abfuisse, & reus homicidii postulatus, relevatur si probet eodem die se loco cædis abfuisse; M. Tull. 1. de invent. *Si vos me istud eo tempore feciſſe dicitis, ego autem eo ipso tempore trans mare fui, relinquitur ut id quod dicitis, non modo non fecerim, sed ne potuerim facere.*

§. *post mortem*, §. *ita autem.*

STipulatio, ut legatum, jure veteri non poterat conferri post mortem stipulatoris, nec post mortem promissoris, quia actio non poterat incipere ab herede, neque contra heredem, quæ non cœpit a defuncto, non potuit transmitti ad heredem vel contra heredem, & stipulatio non potest conferri in id tempus, a quo incipere non potest. Constitut. Justiniani stipulatio potest conferri post mortem, quia stipulationes, sublatis solemnibus, solo consensu valent; §. *post mortem*, *l. scrupulosam*, *C. de contrah. & committ. stipulat. l. un. C.*

ut

Source : BIU Cujas

ut action. & ab heredib. & contr. hered. incip. Non alienum est quod refert Athenæus *libr. 6. cap.* 13. apud Romanos iis, qui securi se percuti pati vellent, ut ad heredes pacta merces perveniret, minas quinque promitti, & nonnumquam ea de re apud judices disceptari. Stipulatio in tempus mortis collata, puta cum moriar vel cum morieris, valet; §. *ita autem*, *l. quodcumque*, §. 1. *ff. de V. O. l. Julianus*, *de jur. dot.* quia tempus moriendi vitæ magis, quam morti deputatur; *l. qui duos*, §. 1. *ff. de manumiss. testam. l.* 1. §. *si ab ipso*, *de collat.* de quo tamen quæstio fuit apud philosophos; A. Gell. libr. 6. cap. 13. *At alii moriendi verbum, atque momentum manente adhuc vita dici, atque fieri putaverunt, alii nihil in eo tempore vitæ reliquerunt, totumque illud, quod mori dicitur, morti vindicaverunt.* Unde æs alienum hereditarium dicitur, etiam id de quo cum defuncto agi non potuit, veluti quod is cum moreretur daturum se promisisset; *l. hereditarium*, *ff. de reb. auct. judic. possid.* Stipulatio autem cum morieris dari, committitur morte naturali, non civili, puta deportatione; *l. ex ea parte*, §. *pen. ff. de V. O.*

§. *item si quis.*

OLim si quis ita stipulatus erat, *si navis cras ex Asia venerit, hodie dare spondes?* inutilis erat stipulatio, quia præpostera erat. Præpostera stipulatio est, ex qua obligatio committitur ante conditionis eventum, & filia præpostere, perverso ordine nascitur ante matrem: sed postquam constit. Leonis præposteræ stipulationes in dotibus receptæ sunt, puta, si qua mulier dicat, *si sine liberis decessero, dotem mihi cum moriar dari spondes?* Justiniano placuit, ut non solum in dotibus, sed etiam in stipulationibus & aliis contractibus, vel in testamentis præposteratio valeat, ex *hoc* §. *l. præposteri*, *C. de testament.* ita ut exactio differatur post diem, vel conditionem. Præpostera obligatio videtur, quia etsi simul pure & sub conditione concepta sit, pro pura habetur, sublato vitio præposterationis; ita tamen ut ex ea actio & exactio differatur usque ad diei vel conditionis eventum.

§. *si scriptum.*

STipulatio constat certis solemnibus, puta interrogatione, & responsione, plerumque etiam adhibentur scriptura, & testes; M. Tull. pro Roscio Comœd. *Stipulatus es, ubi, quo die, quo tempore, quo præsente, quis spopondisse me dicit? nemo.* Si in instrumento scriptum sit aliquem promisisse, non adjecto promisisse interroganti vel stipulanti, omnia præsumuntur solemniter acta, præcessisse interrogationem & responsionem congruam, si modo ita ex scripto res gesta sit inter præsentes, ex *hoc* §. *& l.* 1. *C. de contrah. & committ. stipul.* Ita si quis scripserit se fidejussisse, solemnis stipulatio interveniisse videtur; *l. sciendum*, *ff. de V. O.* Idem dicendum est si quis scripserit se pecuniam præstaturum, & usuras semisses; *l. Titia*, §. *pen. ff. eod.*

§. *quotiens.*

QUoties plures res in eandem stipulationem deducuntur, si promissor simpliciter respondeat, *dare spondeo*, de omnibus tenetur, quia res comprehensæ in stipulatione censentur tacite repetitæ in responsione, ex *hoc* §. *l. Titia*, in fin. *ff. de V. O.* Si vero unam ex his, vel aliquam daturum se spoponderit, tenetur de ea sola re, de qua respondit, ex *hoc* §. *l. inter stipulantem*, §. 2. *ff. de V. O.* in stipulationibus tot sunt stipulationes, quot res; *l. scire debemus*, *l. quod dicitur* 86. *ff. de V. O.* tot capita, tot contractus.

Source : BIU Cujas

§. *item nemo.*

STipulatio rei suæ nulla est ; §. *idem juris*, supr. *h. tit.* quia quod semel nostrum est, amplius nostrum fieri non potest: item nemo rem alienam stipulari potest, in eum casum quo sua futura est, ex *hoc* §. *l. nemo* 87. *ff. de V. O.* quia stipulatio non potest conferri in eum casum, a quo incipere non potest: unde stipulatio rei alienæ dominii adquisitione extinguitur, ut si rem, quam a te stipulatus sum ex causa lucrativa, adquisiero ex alia causa lucrativa, puta jure hereditatis, nisi eam testator a me per fideicommissum alii reliquerit ; *l. inter stipulantem*, §. *si rem*, *ff. de V. O. l. in perpetuum*, *de solut.* quia duæ lucrativæ non concurrunt, ut & legatum rei alienæ extinguitur, si rei legatæ dominium ex causa lucrativa ad legatarium pervenerit ; *l. plane* 34. §. *quod si rem*, *ff. de legat.* 1.

§. *si de alia re.*

ERror in nomine, si de corpore constet, non vitiat stipulationem ; *l. si in nomine*, *ff. de V. O.* Error in re & corpore vitiat stipulationem, puta si stipulator de Sticho senserit, promissor de Pamphilo, ex *hoc* §. quia stipulationes ex consensu valent, id est ex consensu in re, nihil autem est tam contrarium consensui, quam error ; *l. si per errorem*, *ff. de jurisd.* Error in materia non vitiat stipulationem, puta si æs pro auro stipulatus sim, obligatio valet in ære ; *l. si id quod*, *ff. de V. O.* E contrario error in materia vitiat venditionem, puta si æs pro auro veneat, plumbum pro argento ; *l. in venditionibus*, *l. quid tamen*, *ff. de contrah. empt.* Ratio differentiæ est, quia per errorem in stipulationem deducto ære pro auro, stipulatoris interest, ut æs saltem sit in obligatione, alioquin nihil supereset : at in emptione emptoris interest, ne ullo modo in ære emptio consistat, quod venditum est pro auro.

§. *quod turpi.*

PRomissum ex turpi causa, veluti homicidii vel sacrilegii faciendi causa, non parit obligationem, ex *hoc* §. *l. generaliter*, *l. si flagitii*, *ff. de V. O.* & solutum ex turpi causa non potest condici, ubi utriusque dantis & accipientis turpitudo versatur, puta si pecunia detur judici, ut male judicet, quia in pari causa melior est conditio possessoris ; *l. 3. ff. de condict. ob turp. caus. l. 2. & 5. C. eod.* Ubi solius accipientis turpitudo versatur, datur condictio ; *l. 4. §. quotiens*, *ff. eod. l. 4. C. eod.* Ubi solius dantis turpitudo versatur, cessat hæc condictio, ut si dedero meretrici, quia illa turpiter facit quod sit meretrix, non turpiter accipit cum sit meretrix ; *l. 4. §. sed quod*, *ff. eod.*

Si unus ex tutoribus damnatus sit ex dolo communi contutorum, nulla ei supereset actio adversus contutorem, quia proprii delicti pœnam sustinet, quæ res indignum eum facit, ut quidquam consequatur a ceteris doli participibus, nec enim ulla societas maleficiorum, vel communicatio justa damni ex maleficio est ; *l. 1. §. plane*, *ff. de tutel. & rat. distrah. l. ex facto*, *de neg. gest.* Unde si socius quid ex furto vel alio maleficio quæsierit, id non confert in societatem, quia delictorum turpis atque fœda communio est ; *l. quod autem*, *& seq. ff. pro soc.*

Non modo autem stipulationes flagitiosæ non valent, sed etiam pacta & stipulationes contra bonos mores, puta de successione viventis, nullius sunt momenti ; *l. ult. C. de pact. l. 4. C. de inutil. stipulat.* & pacta, quæ continent turpem causam, nullam vim habent, veluti si quis paciscatur ne furti secum agatur, hoc est ut impune sibi furari liceat ; *l. si unus*, §. *pacta*, *ff. de pact.*

Si

Source : BIU Cujas

Si ob maleficium ne fiat promissum sit, nulla ex hujusmodi conventione oritur obligatio ; *l. jurisgentium*, §. *si ob maleficium*, *ff. eod.*

De fidejussoribus.

CAP. XX.

In princ.

AUt quis proprio nomine & in rem suam obligatur, & reus principalis dicitur, aut alieno nomine seu pro alio obligatur, & fidejussor vocatur, ut ostenditur *init. h. tit. l.* 1. §. *sed aut proprio*, *ff. de oblig. & act.* Fidejussor enim est, qui alienam obligationem fide sua ac periculo suo esse jubet ; *l. Lucius*, *ff. h. tit.* & qui accedit alienæ obligationi, unde frequenter accessio appellatur ; *l.* 3. *ff. eod. l. in omnibus*, *de solut.* ubi accessiones obligationum sunt, fidejussores, hypothecæ, & pignora, vix enim olim credebatur pecunia, nisi datis fidejussoribus, vel pignoribus, eademque de causa fidejussor adpromissor dicitur ; *l.* 5. §. *satis* † *acceptio*, *ff. de V. O. l. si vero*, §. *sed* † *etsi reum*, *solut. matrim. & d. l. in omnibus*, & fidejussor auctor credendi dicitur ; Donatus in eunucho : *fidejussor dicitur*, *hoc est auctor credendi*.

Fidejussor hoc differt a mandatore, quod mandator est qui auctor est, mandatque pecuniam alteri mutuo dari, sed mandator semper præcedit principalem obligationem ; *l. si vero*, §. *si post*, *ff. mandat.* Fidejussor autem & præcedere & sequi principalem obligationem potest ; §. *fidejussor*, infr. *h. tit.* mandatum solo consensu contrahitur per nuntium, vel epistolam ; *l. si hereditatem*, *ff. mandat.*

Fidejussio fit per stipulationem ; §. *ult.* infr. *h. tit.* Item fidejussor ab expromissore differt, quod expromissor est, qui in se alienam obligationem omnino recipit, & solus obligatur tamquam reus principalis, vel quia ab initio solus obligatur, vel quia ex post facto debitorem liberat novatione facta, & in se transfert totam obligationem ; *l. & eleganter*, §. *servus pactionis*, *ff. de dol. mal. l. aliquando*, in princ. *ad Vellejan.* Fidejussor autem ita obligatur pro alio, ut reus principalis maneat obligatus. Item fidejussor differt a reo constitutæ pecuniæ, quod reus constitutæ pecuniæ nudo pacto constituit, id est promittit se soluturum pro alio ; *l.* 1. *& 2. ff. de constit. pecun.* Fidejussor vero intercedit per stipulationem. Fidejussores autem accipiuntur, ut magis cautum sit creditori, ut proponitur *init. h. tit. l.* 1. §. *sed aut proprio*, *ff. de oblig. & act.* id est ut si reus principalis non sit solvendo, exigatur a fidejussoribus : cavetur autem datis fidejussoribus, vel pignoribus ; *l. si rem alienam*, §. *omnis*, *ff. de pigner. act. l. ut res*, *de contrah. empt.*

§. I.

FIdejussor omni obligationi accedere potest civili, vel naturali, ex *hoc* §. *l.* 1. *l. stipulatus*, *cum seq. l. fidejussor* 16. §. *fidejussor*, *ff. h. tit.* Et si fidejussor pro eo, qui naturaliter tantum obligatus est, acceptus sit, etsi debitor principalis ex ea obligatione conveniri nequeat, fidejussor utiliter obligatur, & minore restituto beneficio ætatis, fidejussori non prodest restitutio minoris ; *l.* 2. *C. de fidejussor. minor.* Fidejussor accedere potest, non tantum obligationibus ex contractu, sed etiam ex delicto, ut actioni furti, vel legis Aquiliæ ; non actioni populari, vel sepulcri violati ; *l. Græce*, §. *sed & si ex delicto*, *l. si*

Source : BIU Cujas

quis pro eo, §. *ult. l. si a reo*, §. *ult. ff. h. tit.*

Fidejussor accipi potest etiam in causis criminalibus : hujusce fidejussionis effectus est, quod fidejussor reum criminis exhibere seu repræsentare compellitur, alioquin pœna pecuniaria plectitur, vel si dolo malo non exhibeat, etiam extra ordinem damnatur ; *l. si quis reum*, *ff. de custod. reor. l. si Barsatoram*, *C. h. tit. l.* 2. *C. ad Turpillian.* Fidejussor non potest accipi pro reo gravioris criminis, ubi pœna corporalis infligenda est, sed is in vincula conjiciendus est ; *l.* 1. *l. Divus Pius*, *ff. de custod. reor.* quod etiam olim usu Galliæ receptum observo ex testamento Philippi A. apud Rigord. in ejus vit. *Præpositis insuper nostris & baillivis prohibemus, ne aliquem hominem capiant, neque averum suum quamdiu bonos fidejussores dare voluerit, de justitia persequenda in curia nostra, nisi pro homicidio, vel murtro, vel raptu, vel proditione.* Fidejussor non potest accipi pro reo, ut se obliget ad pœnam corporalem, quia nemo suæ vitæ, & membrorum dominus est ; *l. liber homo*, *ff. ad l. Aquil.* Novo satisdationis genere, nimirum capite cautum ab ædituis pro custodia simulacri canis vulnus lambentis, quod dicatum erat in cella Junonis, quia nullo pretio æstimari posse videbatur ; Plin. libr. 34. cap. 7. *Simulacrum canis vulnus suum lambentis, nova satisdatione pro ejus custodia cavebatur a tutelariis cellæ Junonis, ubi dicatum fuerat, nempe capite, nam summa nulla par videbatur.*

§. *si plures.*

SI duo vel plures sint fidejussores, singuli in solidum tenentur ipso jure, sed habent beneficium divisionis ex epistola D. Adriani, si modo omnes solvendo sint litis contestatæ tempore, ideo si unus ex fidejussoribus non sit solvendo litis contestatæ tempore, ejus inopia ceteros onerat confidejussores, ex *hoc* §. *l. inter fidejussores*, *l. inter eos*, *ff. h. tit. l. non recte*, *C. eod.* Beneficium divisionis, quod datur pluribus ejusdem pecuniæ fidejussoribus, & mandatoribus datur, & reis constitutæ pecuniæ ; *l. ult. C. de constit. pecun.* videlicet si solvendo sint litis contestatæ tempore, inter confidejussores obligatio non dividitur ipso jure, sed opposita exceptione, ex epistola D. Adriani ; *d. l. inter fidejussores*, ita ut qui eam exceptionem non opponit, condemnetur in solidum, & ideo hæc exceptio opponi debet ante sententiam ; *l. fidejussor*, §. 1. *C. h. tit.* Itaque si unus ex fidejussoribus in solidum conventus epistolæ D. Adriani exceptione usus non sit, & solidum solverit creditori, non habet actionem adversus confidejussores, quia solutione extinguitur obligatio, nisi ei cessæ sint actiones tempore solutionis, ex *hoc* §. *l. ut fidejussor*, *ff. h. tit. l. cum alter*, *C. eod. l. Modestinus*, *ff. de solut.* Plane fidejussor, qui pro alio solvit creditori, potest desiderare ab eo, ut sibi cedat actionibus suis, & cessis actionibus uti poterit ; *d. l. cum alter* ; nec potest prius compelli ut solidum solvat, nisi cessis actionibus ; *l. fidejussoribus*, *ff. h. tit. l. sicut eligendi*, *C. eod.*

Olim uno ex fidejussoribus electo ceteri liberabantur, actio semel divisa lite contestata cum uno, non potest redintegrari ; *l. liberum*, *C. h. tit.* multoque magis electione rei principalis fidejussores liberabantur ; *l. si mandatu* 45. §. *ult. ff. mandat.* Hodie electo reo principali fidejussor non liberatur, nisi secuta solutione, ut electo uno ex fidejussoribus, creditori datur regressus adversus alium, donec ei omnino sufficiat ; *l. reos principales*, *l. generaliter*, *C. h. tit.* Jure veteri, creditori, qui ejusdem obligationis nomine fidejussorem accepit, licet omisso reo principali fidejussorem eligere ; *l. qui † mutuam*, *ff. mandat. d. l. non recte*, *d. l. reos principales*, nisi inter contrahentes aliud placuerit, sed hodie fidejussor, & alius intercessor quilibet, non potest conveniri, nisi prius discusso reo principali ; *nov.* 4. *cap.* 1. quæ contexta est in *auth. præsente*, *C. h. tit.* nisi beneficio ordinis & discussionis renunciarit.

§. *fi-*

Source : BIU Cujas

§. *fidejussores.*

FIdejussor in duriorem causam obligari non potest, puta reo principali sub conditione obligato, fidejussor pure obligari non potest, quia obligatio fidejussoris est accessio principalis obligationis ; *l.* 3. *ff. h. tit. l. in omnibus, de solut.* nec amplius in accessione esse potest, quam in re principali : plus autem petitur non modo re, id est quantitate, sed etiam tempore ; §. 33. *vers. plus autem*, infr. *de act.* Fidejussor in leviorem causam accipi potest, puta reo pure obligato, fidejussor in diem vel sub conditione accipi potest, ex *hoc* §. *l. Græce*, §. *illud commune*, *l. hi qui*, *ff. h. tit.* An fidejussor in duriorem causam obligatus, omnino non obligetur, an usque ad concurrentes quantitates, dubitatum est. Ulpian. *in d. l. Græce*, §. *illud commune*, pronuntiavit, eum omnino non obligari. Ratio dubitandi esse poterat, quod in stipulationibus, si stipulanti decem, viginti respondeas, stipulatio non est omnino inutilis, sed valet usque ad decem, quia majori summæ minor inest ; *l.* 1. §. *si stipulanti*, *ff. de V. O.* unde videbatur dicendum, si fidejussor sit obligatus in majorem summam, quam debitor, obligationem fidejussoris non esse omnino nullam, sed valere in eam summam, qua reus principalis tenetur : unde restituendus videtur *hic locus*, ac legendum, non omnino obligari, ita ut sententia hæc sit, fidejussorem, qui adhibitus est in duriorem causam, quam quæ tenet debitorem, non obligari in totum, sed usque ad concurrentes summas.

Fidejussor in duriorem causam adhiberi non potest, quia satis grave & onerosum est per se fidejubere pro alio, & alienis negotiis implicari, quam ob causam, ne Episcopi & clerici dent se fidejussores, vetatur can. Apost. 20. † al. 19. & constit. apostolicar. *libr.* 2. *cap.* 1. quare æquum non est, fidejussorem, qui ipso fidejussionis onere satis gravatur, etiam in duriorem causam obligari.

Fidejussor simpliciter acceptus, non tenetur ad usuras, quia usuræ non tam ex obligatione, quam ex mora rei accedunt ; *l. fidejussor*, *C. h. tit.* nisi in omnem causam se obligaverit, tunc enim tenetur ad usuras ex mora rei, ut in fidejussore conductionis vel emptionis ; *l. quæro*, *ff. locat. l. initio*, *C. de pact. inter empt. & vendit.* Tamen fidejussor datus simpliciter a colonis in causam locationis, non tantum tenetur ob mercedem locationis, sed etiam ob pecuniam dotis prædiorum, id est ob æstimationem instrumenti prædiorum, quod coloni a domino æstimatum acceperunt, quia locationis vinculum, id est obligatio, eam quoque speciem ad se trahit ; *l. amissi*, §. *pen. ff. h. tit.* Fidejussor etiam non potest in aliam causam obligari ; *l. Græce*, §. *si quis Stichum*, *ff. h. tit.* puta reo in pecuniam obligato, non potest fidejussor obligari in triticum, velut in aliam rem, quia non ut merces pecunia æstimantur, ita pecunia mercibus æstimanda est ; *l. si ita*, *ff. h. tit.* pecunia æstimat ceteras res, non ipsa æstimatur.

§. *si quid autem.*

SI fidejussor pro reo principali solverit, datur ei actio mandati adversus eum, soluti repetendi causa, ex *hoc* §. *l.* 6. §. 2. *ff.* † *mandat.* etsi sine judicio, id est ultro & non conventus solverit ; *l. idemque*, §. *fidejussores*, *ff. eod.* † *mandat.* & fidejussor actione mandati, non modo sortem & usuras repetit, sed etiam usuras usurarum, quia usuræ ei debentur tamquam sors, non tamquam usuræ ; *l. si vero*, §. *si mihi*, *ff. eod.* † *mandat. l. qui negotiationem*, §. *si ex duobus*, §. *ult. de administr. tutor.* & actio mandati datur in id quod interest ; *l.* 8. §. *mandati*, *ff. mandat.* Fidejussor etiam antequam solvat creditori pro reo principali, adversus eum mandati agere potest, ut liberetur obligatione fidejussoria, tribus casibus. Primus est, si diu in obligatione steterit. Se-

Source : BIU Cujas

cundus est, si reus principalis vergat ad inopiam, & labatur facultatibus; *l. Lucius*, §. *ult. ff. mandat. l. si pro ea*, *C. eod. l. fidejussor* 45. *ff. h. tit. l.* 1. *C. de fidejuss. minor. cap. ult. h. tit.* Tertius est, si judicio conventus & condemnatus sit; *d. l. si pro ea*, *& d. cap. ult.*

§. *ult.*

SI in instrumento scriptum sit aliquem fidejussisse, omnia præsumuntur solemniter acta, ex *hoc* §. id est præsumitur in fidejussione adhibita solemnis stipulatio; *l. sciendum*, *ff. de V. O. l. optimam*, *C. de contrah. & committ. stipulat.* §. *verborum*, supr. *de inutil. stipulat.* quoniam fidejussio sine stipulatione non constat; *l.* 5. §. *satis acceptio*, *de V. O.*

De litterar. obligat.

CAP. XXI.

OLim obligationes contrahebantur stipulatione, vel scriptura, quæ nominibus fieri dicebantur, ut *hic & l. non figura*, *ff. de oblig. & act. l.* 1. *ad SC. Maced. l.* 1. *de ann. legat.* Obligationes stipulatione contrahebantur, cum pecunia numerabatur de domo, id est ex arca; *l. lecta*, *ff. de reb. credit.* Nominibus, cum pecunia numerabatur ex mensa argentaria; *l. si plures*, *ff. de pact.* quoniam veteres apud argentarios pecunias deponere, & eas per illos fœnori exercere, & nomina contrahere solebant; *l.* 7. §. *quotiens*, *ff. depositi. l. ult. de oblig. & act.* inde nomina debitorum in tabulas & rationes argentariorum referebantur; Ascon. in Verr. 3. *Tituli debitorum nomina dicuntur*, *præsertim in iis debitis*, *in quibus hominum nomina scripta sunt*, *quibus pecuniæ commodatæ sunt*. Utrumque genus obligationis, verborum, & nominum, agnoscit M. Tull. 4. ad Atticum epist. † 18. *Hæc pactio non verbis*, *sed nominibus*, *& perscriptionibus*, *multorum tabulis cum esse facta diceretur*, *probata a Memmio*. Tempore Justiniani nominum obligationes desierant esse in usu, ex quo sublatus est usus tabularum, vel non ex fide perscribebantur, ut ait Justinianus *hoc loco:* unde multo ante Justinianum invaluit, ut privatæ rationes non facerent debitorem; *l.* † *nuda ratio*, *ff. depositi. l. nuda* †† *ratio*, *ff. de donat. l. instrumenta*, *l. rationes*, *C. de probat.* Olim si in instrumento vel chirographo scriptum esset pecuniam numeratam, exceptio non numeratæ pecuniæ poterat opponi intra quinquennium, hodie intra biennium; *l. cum* † *ultra*, *l. in contractibus*, *C. de non numer. pec.* unde descriptus est *hic locus*. Hujusmodi exceptio, hoc differt ab aliis, quod qui opponit exceptionem, eam probare debet; *l. in exceptionibus*, *ff. de probat.* hoc autem proprium est exceptionis non numeratæ pecuniæ, ut onus probandi rejiciat in actorem; *l.* 1. *C. eod.* Hodie ex usu forensi exceptio non numeratæ pecuniæ locum non habet, ita ut transferat onus probandi in actorem, intra biennium, sed quandoque etiam post biennium admittitur, si debitor paratus sit probare se non accepisse pecuniam. Exceptio non numeratæ pecuniæ non opponitur in depositio, neque in apochis publicorum tributorum, vel solutæ dotis, quæ fiunt perscriptis tabulis dotalibus; *d. l. in contractibus*, §. *sed quoniam*. Secus in apochis solutæ dotis, quæ fiunt in ipsis tabulis dotalibus, si in eis scriptum sit viro dotem numeratam esse, quæ tantum promissa sit; *l. in dotibus*, *C. de dot. caut. non numerat. l. si quis post hac*, *C. de bonis damnat.* Hodie exceptio non numeratæ dotis non opponitur post decennium; *nov.* 100. *cap.* 2. quæ contexta est in *auth. quod locum*,

† I. ista desideratur. Junge *l.* 49. *in fin. de pecul.*

Source : BIU Cujas

tum, C. *eod.* † *de dot. caut. non numerat.* Exceptio etiam non numeratæ pecuniæ non potest opponi argentariis, si instrumento publico, vel chirographo cautum sit eis deberi, ob fidem mensæ argentariæ, quia rationes argentariorum fidem faciunt; *l. argentarius*, §. 1. *ff. de edend.* Sane jusjurandum ab eis peti potest intra biennium; *nov.* 136. *cap. ult.*

De obligat. ex consensu.

CAP. XXII.

ALiæ sunt obligationes, quæ solo consensu perficiuntur, ut emptio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum. Hæ dicuntur solo consensu perfici, quia scripturam, seu solemnia stipulationis, & rei traditionem, non desiderant, ut alii contractus, unde inter absentes contrahi possunt per nuntium, vel per epistolam, ex *hoc tit. & l.* 2. *ff. de oblig. & act.* alioquin nihil distarent ab aliis contractibus, quoniam omnes contractus consensum requirunt; *l.* 1. *ff. de pact.* In his contractibus contrahentes ex æquo & bono obligantur, ex *h. tit. & d. l.* 2. id est in his non spectatur scrupulositas verborum, sed bona fides, ac proinde dicuntur contractus bonæ fidei, ut stipulationes contractus stricti juris, quia nullam æquitatis & arbitrii rationem admittunt, sed ex stipulatione præcise nascitur actio, quatenus verbis expressum est; *l. quidquid adstringendæ, de V. O.* Et hæc est differentia inter judicia bonæ fidei, & ea quæ sunt stricti juris, quod in bonæ fidei judiciis plenius est judicis officium, in his judex a prætore datus non adstringitur certæ formulæ, sed quod æquius & melius videtur, tanti reum condemnat: in strictis judiciis condemnatio fit non nisi mero obligationis jure, quatenus stipulationis verbis comprehensum est; §. *in bonæ fidei*, infr. *de act.* Et hanc differentiam recte agnoscit Paulus in *l. quia tantundem, ff. de negot. gest.* cum ait, tantundem in bonæ fidei judiciis officium judicis valere, quantum in stipulatione nominatim ejus rei factam interrogationem. In his contractibus alter alteri obligatur, id est contrahentes invicem obligantur, ut emptio, venditio, locatio, conductio, societas, sunt contractus ultro citroque obligatorii, quos Græci συναλλάγματα vocant; *l. Labeo* 19. §. 1. *ff. de V. S. l. jurisgentium*, §. 2. *de pact.* ex emptione & venditione mutua nascitur obligatio, quod tam emptor venditori tenetur ad pretium solvendum, quam emptor venditori rem tradere & præstare, ut ei rem habere liceat; *l.* † *servus quem*, §. 1. *ff. de act. empt. l. venditor, de evict.*

† V. in terminis *l.* 11. §. 2. *eod. tit.*

De empt. & venditione.

CAP. XXIII.

In princ.

EMptio & venditio perficitur solo consensu, statim atque convenit de pretio, quamvis pretium nondum numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit, ut præmittitur *init. h. tit. l.* 1. *in fin. ff. de contrah. empt. l. empti fides, l. non idcirco*, C. *eod. l. necessario, ff. de peric. & comm. rei vendit.* Verum re vendita & tradita, datur actio empti venditi de pretio, non rei repetitio; *l. si non*, C. *de contrah. empt. l. incivile*, C. *de rei vindicat.* Emptio

Source : BIU Cujas

& venditio perficitur ſolo conſenſu, etiam ſi arrha data non fuerit, quia arrhæ datio eſt argumentum contractæ emptionis, ut ſubjungitur *init. h. tit.* id eſt arrhæ datio non eſt de ſubſtantia contractus, non perficit emptionem, ſed interponitur probationis cauſa; *l. quod ſæpe, ff. de contrah. empt.* quam ob cauſam arrhæ nomine plerumque dabatur annulus; *l.* 5. §. *item ſi inſtitor, ff. de inſtitor. act.* de quo Plin. *libr.* 33. *cap.* 1. & Senec. *de benef.* 3. *cap.* 15. Emptio & venditio perficitur ſolo conſenſu, quia eſt contractus jurisgentium, & hoc diſtat a mancipatione, quæ eſt alienatio rerum mancipi, & fit per æs & libram libripende & quinque teſtibus præſentibus, ex Ulpian. *libr. regular.* & Boetio in *topicis*. In his, quæ pondere, numero, & menſura conſtant, ut frumento, vino, oleo, venditio non perficitur, priusquam admenſa, appenſa, adnumeratave ſint; *l. quod ſæpe*, §. *in his, ff. de contrah. empt.* Idem juris eſt, ſi grex venierit in ſingula capita; *d.* §. *in his*: tamen jure veteri venditio pecoris non perficiebatur, niſi pretio adnumerato; Varro de re ruſtic. libr. 2. cap. 2. *cum emptor dixit, tanti ſunt mihi emptæ oves, & ille reſpondit ſunt, & expromiſit nummos, tamen grex dominum non mutavit, niſi ſit æs adnumeratum.*

Emptio venditio perficitur nudo conſenſu, ubi nihil ab initio convenit de ſcriptura, de inſtrumento conficiendo: quod ſi ab initio inter contrahentes convenerit, ut contractus in ſcriptis celebretur, non perficitur donec contractus e ſchedula in mundum redactus ſit; *l. contractus, C. de fid. inſtrument.* Unde retexitur *init. h. tit. & l. ult. C. de contrah. empt.* ait in mundum, id eſt in chartam puram, & mundam; *nov.* 44. *de tabell. cap.* 2. ſeu in purum, ut loquitur Hieronym. 3. adverſ. Ruffin. *ſchedulis nondum emendatis, nondum ad purum digeſtis*. Solent enim tabelliones primum in ſchedulam referre contractus, inde perpetuæ memoriæ cauſa emendatos transferre in chartam mundiorem; *d. l. contractus, & d. nov.* 44. quod fieri ſolebat & in aliis ſcripturis, ut obſervatur ex loco Hieronymi modo laudato, & alio ejusdem in cap. 13. Eſaiæ in prolog. *Hanc præfatiunculam tumultuario ſermone dictavi, ut quæ habebantur in ſchedulis deſcribantur, & plena emendatio lectoris judicio reſervetur*. Quod ſi ab initio nihil convenerit de ſcriptura, & contractu nudo conſenſu ſemel perfecto, poſtea placuerit in ſcriptis redigi, ſcriptura nequaquam pertinet ad perfectionem contractus, ſed tantum ad probationem; *l. cum te* 5. *C. de tranſact. l. cum res, C. de probat.* Unde creditori nihil nocet amiſſio inſtrumenti, ſi debitum probetur manifeſtis probationibus; *l.* 1. *C. de fid. inſtrum.* Si vero convenerit ab initio, ut contractus in ſcriptis celebretur, non prius vires habet, quam e ſcheda in mundum redactus ſit, & ſubſcriptione partium munitus, & ſi per tabellionem fiat, ab ipſo completus, & a partibus abſolutus ſit, ita ut ante completum inſtrumentum locus ſit pœnitentiæ, & ab emptione & venditione emptori liceat impune recedere; *d. l. contractus*. Completum inſtrumentum dicitur, quod formam accepit publici inſtrumenti, puta diem & conſulem, & ſubſcriptionem teſtium. Hac analogia Joannes Moſchus in prat. ſpiritual. cap. 193. *βάλε μαρτυρὰς, καὶ χομπλησίονα: adhibe teſtes & completionem*. Emptione & venditione nondum perfecta, ab ea licet impune recedere, niſi arrha jam data fuerit, quia ubi arrhæ datæ ſunt, ſi emptor recuſet implere contractum, amittit arrhas quas dedit, ſi vero venditor recuſet tenetur in duplum; *d. l. contractus*, nimirum venditor gravius punitur, quam emptor, quia venditor legem dat venditioni, & proponit rem vendendam, at ſtultus emptor plerumque nimio calore accedit ad emptionem, unde animoſior emptor notatur; *l. ita ut omnes*, §. 1. *ff. mandat.* & calor licitantis; *l.* 9. *de publican.*

§. I.

Source : BIU Cujas

§. I.

EMptio & venditio ſine pretio nulla eſt, non requiritur pretii numeratio, ſed ſufficit conveniſſe de pretio, ex *hoc* §. *l.* 2. §. 1. *ff. de contrah. empt. l. empti fides*, *C. eod.* & ita intellige quod ſcriptum eſt in *l. pacta conventa*, *ff. eod.* emptionis ſubſtantiam conſiſtere in pretio, unde nuda & imaginaria dicitur quæ eſt ſine pretio; *l. nuda*, *ff. eod. l. imaginaria*, *de R. J.* puta ea, quæ fit nummo uno, duobus, vel tribus, nec valet niſi remedii loco, ut in caſu *l. ſi uſusfructus*, *ff. de jur. dot.* dotis reſtituendæ cauſa: in emptione pretium certum eſſe debet, ex *hoc* §. *l.* 7. §. *ult. ff. de contrah. empt.* unde pretium emptionis non debet conferri in arbitrium emptoris; *l. quod ſæpe*, §. 1. *ff. eod.* Nihil vetat pretium conferri in arbitrium tertii, quia confertur in arbitrium boni viri; *l. ſocietatem* 76. *& ſeqq. ff. pro ſoc.* & hoc caſu venditio conſtat ſi tertius ille pretium definiat, alioquin venditio nulla eſt, ex *hoc* §. *l. ult. C. de contrah. empt.* Idem juris eſt in locatione & conductione, ex *hoc* §. *l. ſi merces*, *ff. locat.*

§. *item pretium.*

EMptio nulla eſt ſine pretio, quod proprie conſiſtit in pecunia, ex Proculianorum ſententia, quæ prævaluit ſententiæ Sabinianorum, qui putabant in quacumque re pretium conſtitui poſſe, & confundebant emptionem cum permutatione, ex *hoc* §. *l.* 1. *ff. de contrah. empt.* Igitur emptio non conſtat ſine pecuniæ numeratione: & hoc diſtat a permutatione, ſeu comparatione, quod permutatio fit de re ad rem, emptio & venditio de re cum pecunia numerata; Hieronym. 3. adverſ. Ruffin. *Nec reprehendam, quod comparatum codicem pro empto poſueris, cum comparatio æqualium ſit, emptio pretii annumeratio.* Venditio non contrahitur ſine pretio: pretio tamen ab initio conſtituto, ſi poſtea pro pretio pecus in ſolutum detur volenti, venditio non reſcinditur; *l. pretii cauſa*, *C. de reſcind. vendit.* quia cum quæritur quis ſit contractus, ſpectatur origo contractus; *l.* 3. *C. ad Maced.*

§. *quum autem.*

EMptione & venditione perfecta, nondum ſecuta traditione, periculum & commodum pertinet ad emptorem, veluti damnum eluvionis, vel commodum alluvionis, ſi fundus totus vel ex parte, poſt perfectam emptionem, vi fluminis occupatus ſit, emptoris damnum eſt, ita ut licet rem nactus non fuerit, pretium ſolvere teneatur. Et ſi quid fundo acceſſerit per alluvionem, ad emptoris commodum pertinet, ex *hoc* §. *l. quod ſæpe*, §. *ſi res vendita*, *ff. de contrah. empt. l. id quod*, *de peric. & commod. rei vend. l.* 1. *C. eod. cap.*) ult. h. tit.* Et hoc verum eſt, ſi poſt perfectam emptionem caſu res interierit, vel deterior facta ſit, alioquin re perempta ante traditionem facto venditoris, periculum pertinet ad † venditorem, ut in *l.* † *ſi fundus*, *ff. locat.* fundo vendito ante traditionem publicato, venditor emptori tenetur ex empto, in hoc ut pretium reſtituat, vel remittat: ex quo intelligitur, poſt perfectam emptionem periculum pertinere ad venditorem, & hoc ita ſe habet, quia fundus vix publicatur ante traditionem, ſine culpa, & delicto venditoris; *l. actione*, §. *publicatione*, *ff. pro ſoc. & in l. quod ſi neque*, *ff. de peric. & commod. rei vend.* ſi ædilis plebis veſtes emptas in via publica poſitas conciderit, ſi neque emptori traditæ ſint, neque emptor in mora fuerit quominus traderentur, periculum pertinet ad venditorem, quia damnum contigit non ex caſu fortuito, ſed ex ſtultitia venditoris, quod lectos projecit in viam publicam, in

Source : BIU Cujas

loco inopportuno. Re vendita ante traditionem ſubrepta, quæritur cui nam perierit, emptori an venditori? diſtingue hoc pacto, aut cuſtodiam rei usque ad traditionem in ſe recepit venditor, & tunc ad ipſius periculum is caſus pertinet, quod ſi non ſuſcepit cuſtodiam, ſecurus eſt ex *hoc* §. quod intelligendum, ita ut præſtet cuſtodiam, qualem ſuis rebus adhibet; *d. l. quod ſæpe*, §. *ſi res vendita*, quod ſi hac cuſtodia præſtita res ſubrepta ſit, venditor liberatur, ſed tamen emptori cedere debet actiones ſuas, puta vindicationem, vel condictionem furtivam, actionem furti, vel actionem legis Aquiliæ, ex *hoc* §. *d. l. quod ſæpe*, §. *ſi res vendita*, *l. eum qui emit*, † *al. l.* 4. §. 4. *ff. de in diem addict. l. ſi vendidero*, *de furt.* Ratio additur a Juſtiniano in *fin. hujus* §. quia venditor ante traditionem rei adhuc dominus eſt, id eſt pro domino habetur hactenus, ut cedat actionibus ſuis; *l.**) 1. 2. & 3. *ff. pro ſoc.*

§. *pen.*

EMptio & venditio tam pure, quam ſub conditione contrahi poteſt, ex *hoc* §. *l. hæc venditio*, *ff. de contrahend. empt.* ſub conditione, veluti ſi Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emptus, tot aureis, ex *hoc* §. Si ſub conditione res venierit, venditio tunc perficitur, cum conditio extiterit, interim non eſt emptio, quia conditio ſuſpendit actum; *l. cedere diem*, *ff. de V. S. l. neceſſario*, *de peric. & commod. rei vendit.* Deficiente conditione, nulla eſt emptio, quod ſi extiterit, ex eo periculum eſt emptoris, quod ſi pendente conditione emptor, vel venditor deceſſerit, exiſtente conditione heredes quoque obligantur, quaſi jam contracta emptione in præteritum; *d. l. neceſſario*. Conditio enim quandocumque exiſtens retro trahitur ad tempus contractus; *l. ſi filiuſ. ff. de V. O. l. donationes* 25. *C. de donat. inter vir. & uxor.* Venditio recte contrahitur ſub hac conditione, ſi res intra certum diem placuerit, ſecus contracta ſub conditione ſi voluero nulla eſt, quia obligatio non debet conferri in arbitrium rei; *d. l. hæc venditio*, *l.* † *in vendentis*, *C. eod. de contr. empt. l. centeſimis*; *de V. O.* Sed ſi emptio ita contrahatur, ſi res tibi diſplicuerit, inempta eſto, emptio eſt pura, ſed ſub conditione reſolvitur, nempe ſi diſplicuerit; *l.* 3. *ff. de contrah. empt. l. ſi hominem*, *de uſucap. l.* 4. *C. de ædilit. act.*

§. *ult.*

LOca ſacra religioſa, vel publica emi, vendi non poſſunt: quod ſi quis ea ſciens emerit, nihil agit, ſi ignorans non tenet emptio, ſed emptori datur actio ex empto in id quod intereſt, ex *hoc* §. & *l. qui officii*, §. 1. *ff. de contrah. empt.* non ut rem conſequatur, ſed quod ejus interfuit, ne deciperetur, & ita accipe quod ſcriptum eſt in *l.* 4. *ff. eod.* loci ſacri vel religioſi emptionem intelligi, ſi ab ignorante emitur.

De locat. & conduct.

CAP. XXIV.

LOcatio & † conductio proxima eſt emptioni & venditioni, iisdemque juris regulis continetur, nam ut emptio, & venditio contrahitur ſola conventione de pretio, locatio & conductio contrahitur ſola conventione de mercede, ex *init. h. tit. & l.* 2. *ff. h. tit.* Ideoque propter affinitatem, quæ eſt inter iſtos contractus, veteres promiſcue uſi ſunt emptionis venditio-

Source : BIU Cujas

nisque appellatione, etiam in locatione & conductione; *l. veteres, cum seq. ff. de act. empt.* & emptor fructuum sumitur pro conductore; *l. liberto, ff. de annuis legatis*. Ex hoc contractu nascitur actio locati, locatori datur actio locati, conductori actio conducti.

§. I.

SIcut in emptione pretium certum esse debet, ita in locatione merces certa esse debet: hinc in locatione mercede collata in arbitrium tertii, contractus intelligitur factus sub conditione si Titius mercedem definierit, ut de emptione dictum est §. 1. supr. *tit. proxim.* In locatione pretium certum esse debet, qua de causa si fulloni polienda curandave, aut sarcinatori sarcienda vestimenta quis locaverit, nulla statim, id est in præsenti, mercede constituta, sed sub mercede de qua postea convenerit, non proprie locatio & conductio contrahitur, sed contractus innominatus, veluti facio ut des, proinde ex eo contractu non datur actio locati conducti, sed actio præscriptis verbis, ex *hoc §. l. si tibi polienda, ff. de præscript. verb.*

§. *præterea*.

SIcut emptio venditio non contrahitur de re ad rem, sed de re cum pretio, id est pecunia numerata, ita locatio conductio non efficitur cum res pro re utenda fruenda datur, veluti si convenerit ut usum equi, vel bovis alternis invicem commodemus, sed est contractus innominatus, do ut des, ex quo datur actio præscriptis verbis, ex *hoc §. l. si gratuitam, §. si cum, ff. de præscript. verb.* Sine mercede pecuniaria proprie locatio conductio non contrahitur. Hinc Ulpian. in *l. si convenerit, ff. commun. divid. quæ enim*, inquit, *locatio est, cum merces non interceſſerit?* Et colonus seu conductor proprie intelligitur, qui conduxit pecunia: cum partiario colono, qui partibus fundum conduxit, proprie non contrahitur locatio, sed quasi societas, & ex eo contractu non nascitur actio locati, sed pro socio; *l.* † *si merces, §. vis major, ff. h. tit. l. si tibi, §. Julianus, ff. de præscript. verb. l. cum duobus, §.* †† *unum, pro soc.* Tamen non semper locatio fiebat nummo, quandoque etiam partibus; Plin. libr. 9. epist. 37. *Medendi una ratio, si non nummo, sed partibus locem*. Et merces locationis potest consistere in his, quæ pondere, numero, mensura constant, ut vino, oleo, frumento; *l. si olei, C. h. tit.*

†† §. iste desideratur. Extat §. *utrum*. V. si probat.

§. *adeo*.

IN *hoc* §. Justinianus agit de emphyteusi, quia similis est locationi, & conductioni. Emphyteuseos contractus est locatio fundi, quæ fit in perpetuum, vel ad longum tempus sub annuo censu, vel reditu; *l. viam veritatis, C. h. tit.* unde in *cap. constitutus de religios. domib.* concessio ecclesiarum monachis facta ab Episcopo sub annuo censu, improprie dicitur facta in emphyteusim, propter stipulationem annui census. Emphyteusis est proprie insitio, seu cultura a græco ἐμφιτεύειν, quod est conserere, quoniam ab initio agri steriles & inculti solebant in emphyteusim dari sub lege meliorationis, unde prædia emphyteutica Græcis dicuntur ἐμπονήματα *meliorationes; l. 3. C. de jur. emphyteutic.* Dubitatum est quodnam hoc esset genus contractus, venditio an locatio, quia emphyteusis multa habet similia utrique, sed constit. Zenonis definitum emphyteusim, neque esse venditionem, neque locationem, sed proprium & tertium genus contractus, in quo scriptura desideratur; *l. 1. C. eod. tit.* I. Emphyteusis non est venditio, quia venditio transfert dominium, at in emphyteu-

Source : BIU Cujas

si dominium directum manet penes tradentem, & dominium utile tantum transit in emphyteutam, unde emphyteutæ non dicuntur domini, sed possessores; *l.* 1. §. *qui in perpetuum*, *ff. si ager vectigal. id est emphyteuticar. pet. l. sciendum*, §. *possessor*, *qui satisd. cog.* & prædium emphyteuticum dicitur possessio emphyteutica; Augustin. contra litteras Petil. libr. 1. cap. 82. *Nonne Crispinus vester Chalamensis, cum emisset possessionem, & hoc emphyteuticam.* Emphyteuticarios γηπόνες tantum vocat Theodorit. de vit. Patr. cap. 10. φάσι δὲ καὶ τὸν τῆς κώμης ἐκείνης δεσπότην ἐφικομένον ποτὲ Ληπαίῳ δὲ ἦν ἔτος σφοδρότερον, ἢ ὅδεν τοὺς γηπόνες εἰσπράττεσθαι τοὺς καρπούς, *ferunt etiam cum venisset aliquando vici illius dominus, Letoius hic erat, acrius quam par erat fructus agrorum exegisse a colonis.* Emphyteusis non est locatio, quia locatio non transfert dominium; *l. non solet*, *ff. h. tit.* at in emphyteusi dominium directum non transfertur, utile secus. Primum hujusmodi contractus certo jure donatus a Zenone, ante eum dubitatum est esset ne venditio an locatio. Sed cave ne credas hoc genus contractus esse excogitatum a Zenone, ejus originem antiquam fuisse indicat Justinianus *hic*, cum ait inter veteres dubitatum quisnam esset hic contractus an venditio, an locatio, sed constitutione Zenoniana effectum esse proprium genus contractus: & ut fontem petamus, hujusce contractus origo cœpit a locatione & conductione prædiorum publicorum civitatum vel municipum, quæ solebant locari in perpetuum, vel in longum tempus sub pensione annua, quæ vectigal dicebatur, unde & agri vectigales; *l.* 1. & 3. *ff. si ager vectigal. l.* 3. §. 4. *ff. de reb. eor. qui sub tutel.* Quo exemplo cœpere privati agros suos colonis tradere in perpetuum sub eadem lege, & hi agri emphyteutici dicti sunt proprie, unde rerum similitudine deceptus Tribonianus confudit agros vectigales & emphyteuticarios *in tit. si ager vectigal. id est emphyteuticar. pet.* Ex constit. Zenonis emphyteusis est proprium genus contractus, quod suas pactiones recipit, ex *hoc* §. id est quascumque pactiones, pacta enim dant formam contractui; *l. juris gentium*, §. *quinimmo*, *ff. de pact.* Hinc si aliquid pactum fuerit in hoc contractu, perinde valet ac si naturalis esset contractus, id est ac si tale esset pactum, quod natura inest contractui, sunt enim quædam pacta tacita, quæ natura insunt contractui etiam si omissa sint; *l. quod si nolit*, §. *quia assidua*, *ff. de ædil. edict.* Si nihil convenerit de periculo rei, si res tota interierit, periculum pertinet ad dominum, si ex parte damnum est emphyteuticarii, ex *hoc* §. *l.* 1. *C. de jur. emphyteutic.* id est si prædium totum chasmate, vel vi fluminis sublatum sit, emphyteuticarius liberatur, si pro parte, propter particulare damnum pensio non remittitur emphyteuticario. Aliud in locatione conductione, merces enim remittitur propter sterilitatem, vel alios casus fortuitos; *l. ex conducto*, §. *si vis*, *& seq. ff. h. tit.*

§. *item quæritur.*

SI cum aurifice Titius convenerit, ut is ex auro suo certi ponderis, certæque formæ, annulos ei faceret certo pretio, quæritur utrum emptio & venditio, an locatio & conductio contracta intelligatur? Cassius putabat esse contractum mixtum, nempe materiæ emptionem & venditionem, operæ autem locationem & conductionem: sed rejecta sententia Cassii placuit unum esse negotium, id est emptionem & venditionem tantum: quod si aurifex ex auro Titii annulos fecerit mercede constituta pro opera, locatio & conductio tantum contrahitur, ex *hoc* §. *l.* 2. *ff. h. tit. l. Sabinus*, *l. convenit*, *ff. de contrah. empt.*

§. *pen.*

CONductor omnia secundum legem conductionis facere debet, ex *hoc* §. *l. si merces*,

Source : BIU Cujas

merces, §. *conductor*, *ff. h. tit.* id est debet servare pacta conventa conductionis; pacta enim dant legem contractui, & si quid in lege prætermissum fuerit, id ex æquo & bono præstandum est, ex *hoc* §. id est pacta, quæ naturaliter insunt contractui, etsi omissa sint, ex æquo & bono inesse intelliguntur in bonæ fidei judiciis; *l. quod si nolit*, §. *quia assidua*, *ff. de ædil. edict.* puta ex locato & conducto usuræ debentur ex mora in mercede solvenda, etiam si de usuris nihil convenerit; *l. 2. l. præses*, *C. h. tit.* In locatione & conductione, in prædiis urbanis invecta illata tacite sunt pignori pro pensionibus, in prædiis rusticis fructus qui ibi nascuntur; *l. 2. 3. & 4. l. in prædiis*, *ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. l. certi*, *C. locat.* Conductor in re conducta præstat diligentiam, quam diligentissimus paterf. suis rebus adhibet, sed non præstat casus fortuitos; *d. l. si merces*, §. *vis major*, *l. in judicio*, *C. eod. l. contractus*, *de R. J.* quia casus fortuiti nullo bonæ fidei judicio præstantur; *l. quæ fortuitis*, *C. de pigner. act.* Excipiuntur duo casus. Primus est, si culpa præcessit casum, si culpa casus contigerit, ut in *l. item quæritur*, §. *exercitu*, *ff. h. tit.* Secundus est, si conductor casus fortuitos in se susceperit; *l. item quæritur*, §. *si gemma*, *ff. h. tit. l. 1. C. commod.* Et hoc casu etiam non præstat casus insolitos & improvisos, ut voluit glossa & Bart. in *l. sed & si quis*, §. *quæsitum*, *ff. si quis caut. ex l. fistulas*, §. *frumenta*, *ff. de contrah. empt.* cui adjungi potest *l. in venditione*, *ff. de act. empt.* Ratio est quia is qui in se suscipit casus fortuitos, non videtur cogitasse de casibus insolitis & improvisis. In re conducta conductor præstat diligentiam, quæ congruit idoneo patrisamilias, at si quis conduxerit opus faciendum, præstat imperitiam, quia opus conduxit ut artifex, qui præstat artis peritiam; *d. l. item quæritur*, §. *si gemma*, *l. si quis domum*, §. *Celsus*, *eod. tit. l. si servus*, §. *si calicem*, *ff. ad l. Aquil.*

§. *ult.*

MOrtuo conductore intra tempora conductionis, conductio non finitur morte conductoris, sed transit ad heredem, & in heredem, ex *hoc* §. *l. viam veritatis*, *l. contractus*, *C. h. tit.* qui enim contrahit, sibi & heredibus contrahere intelligitur; *l. si pactum*, *ff. de probat.* Dubitandi causa erat, quod heres coloni non est colonus; *l. cum † in plures*, §. 1. *ff. h. tit.* Sed quamvis heres conductoris non sit proprie conductor, quia hoc respicit personam, tamen succedit in conductione, quia succedit in jus locumque defuncti, & iisdem obligationibus tenetur, ex quo hereditatem adiit; adeundo enim hereditatem cum creditoribus contraxisse intelligitur; *l. 3. §. ult. ff. quib. ex caus. in poss. eat.* Conductio non solvitur morte conductoris, sunt tamen nonnulli casus, quibus solvitur ante tempus depactum. I. Si domus locata vendatur, aut legetur, emptor aut legatarius non tenetur stare locationi, sed conductori superest actio ex conducto in venditorem vel heredem; *l. si merces*, §. *qui fundum*, *l. qui fundum*, *ff. h. tit. l. emptorem*, *C. eod. l. Julianus*, §. *ult. ff. de act. empt. l. nihil*, §. *ult. de legat.* 1. II. Inquilinus ædibus conductis expelli potest ante tempus, si dominus ædium eas propriis usibus necessarias esse probaverit, aut si velit eas corrigere, id est instaurare seu reficere, aut si male his utatur; *l. 3. C. h. tit. l. 3. §. cum inquilinus*, *ff. uti possid.* III. Conductor expelli potest, si biennio cessaverit in solvenda pensione, aut fundum non colat uti oportet; *l. quæro*, §. *inter locatorem*, *ff. h. tit.* Emphyteuticario datur triennium; *l. 2. C. de jur. emphyteutic.*

Source : BIU Cujas

De societate.

CAP. XXV.

In princ.

SOcietas est communio, quæ nudo consensu contrahitur de re, vel negotiatione honesta, ejusque lucro vel damno inter socios communicando; nec enim societas inducitur per communionem, quæ contrahitur re, veluti si res communis sit inter duos, quod eadem res duobus donata vel legata sit, vel duo coheredes instituti, quia cum coherede non contrahimus societatem, sed incidimus in eam, & collegatarios vel coheredes conjunxit ad societatem non consensus, sed res; §. 3. & 4. supr. *de oblig. quæ quasi ex contractu*, *l. heredes*, §. *non tantum*, *ff. famil. erciſc.* Hinc societas voluntaria opponitur hereditariæ, quæ necessaria est; *l. verum*, §. *in heredem*, *ff. pro soc.* quia societas inter coheredes contrahitur re, non consensu: & hanc distinctionem caute agnovit M. Tull. pro Quint. *Cum eo tu voluntariam societatem coibas, qui te in hereditaria societate fraudaverat?* Societas est de re vel negotiatione honesta; si enim unus ex sociis quid ex furto vel alio maleficio quæsierit, in societatem non confertur, nec enim ulla est societas maleficiorum; *l. quod autem*, *ff. h. tit. l.* 1. §. *plane*, *ff. de tutel. & rat. distrah.* Societas contrahitur aut universorum bonorum, quam proprie Græci κοινωνίαν appellant, aut alicujus negotiationis, veluti mancipiorum emendorum vendendorumve, aut olei, vini, frumenti emendi vendendive, aut sagariæ negotiationis, id est sagorum vendendorum, quod erat vestis militaris genus, aut vectigalium, id est vectigalium conducendorum, aut rerum singularum, ut proponitur *init. h. tit. l.* 5. *l. cum duobus*, §. *quidam*, *l. verum est*, §. *in heredem*, *ff. h. tit.* In societate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntium sunt, continuo communicantur, puta hereditates & legata & donationes, quæ cuique sociorum obvenerunt, & omnia adquisitionum genera; *l.* 1. 2. & 3. §. *cum specialiter*, *l. si societatem* 73. *ff. h. tit.* etiam dotes uxorum; *l. actione*, §. *ult. ff. h. tit.*

Jure civili societas omnium bonorum potest etiam inter virum & uxorem contrahi; *l. ex diverso*, §. *item si mulier*, *ff. solut. matrim. l. alimenta*, §. *qui societatem*, *de aliment. legat.* quia societas inter virum & uxorem non est donatio, sed specialis contractus, qui nequaquam vetatur, nisi donandi causa fiat; *l. cum hic status*, §. *si inter*, *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Moribus Galliæ societas acquæstuum & conquæstuum constante matrimonio faciendorum ipso jure contrahitur inter virum & uxorem, cujus juris insigne vestigium deprehenditur in cap. *significavit*, *de don. inter vir. & uxor.* quod inscribitur decano & capitulo Lexovienſi. Olim pars bonorum quæsitorum constante matrimonio, quæ uxori cessit, fuit tertia, quam tertiam collaborationis vocat capitul. Karol. M. *libr.* 4. *cap.* 9. Hoc jure thesauros Dagoberti inter ejus liberos æqua lance divisos, seposita Nantildi ejus viduæ tertia parte eorum omnium, quæ constante matrimonio parta fuerant scribit Aimoin. *libr.* 4. *cap.* 36. Eodemque jure Rodulfum Regem universam gazam regiam, præter uxoris partem, in monasteria Franciæ Burgundiæque erogasse, tradit Frodoard. *in chronic. ad ann.* 824. Hodie ea pars uxoris est dimidia acquæstuum & conquæstuum. Acquæstus sunt quæstus facti constante matrimonio ex opera & industria. Conquæstus sunt quæstus provenientes ex donatione, legato, vel quacumque liberalitate.

§. I.

Source : BIU Cujas

§. I.

SOcietate contracta, si nihil de partibus lucri & damni nominatim convenerit, id est si dictum non fuerit quam partem quisque ex sociis ferat lucri & damni, æquales partes constituuntur, quod si partes expressæ sunt, puta si convenerit, ut unus ex sociis duas vel tres partes ferat, alter unam tantum, conventio valet, ex *hoc* §. *l.* 5. §. *societas*, *l. si non fuerint*, *l. quid enim*, *ff. h. tit.* boni enim viri arbitrio conveniens esse potest, ut non æquæ partes societatis constituantur, ut si unus ex sociis plus operæ, & industriæ in societatem conferat; *d. l.* 5. *& aliis modo laudatis:* opera & industria pro patrimonio confertur; M. Tull. pro Roscio Comœd. *O societatem captiosam & indignam! ubi alter H. S* IↃↃↃ, *alter* CCCIↃↃↃ *quod sit, in societatem affert: nisi idcirco moleste pateris quod H. S* IↃↃↃ *tu ex arca proferebas; H. S* CCCIↃↃↃ *ex disciplina & artificio Roscius proferebat.*

§. *de illa.*

SI Titius & Seius inter se pacti sint, ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia, ad Seium duæ partes damni, lucri tertia, an rata haberi debeat conventio? Quintus Mucius existimabat talem conventionem esse contra naturam societatis, & ob id non valere; natura enim societatis fert, ut lucrum, & damnum inter socios æqualiter dividatur; *l.* 3. *C. h. tit.* Cum societas jus fraternitatis quodammodo in se habeat; *l. verum est*, *ff. h. tit.* Quintil. declamat. 320. *Sociorum communia damna, & lucra sint, sacra res est, & quædam fraternitas propositorum animorum.* In societate parem lucri & damni rationem esse oportet, & hoc est quod ait Paulus in *l. Mucius*, *ff. h. tit.* Mucium scripsisse non posse societatem coiri, ut aliam damni, aliam lucri partem socius ferat. Servius Sulpitius, cujus sententia obtinuit, contra sensit, in societate pactum valere, ut dispares sint lucri, & damni partes inter socios, quia sæpius quorumdam opera ita præstat in societate, ut eos meliori conditione in societatem admitti conveniat, nam & societas ita contrahi potest, ut alter pecuniam, alter operam conferat, & tamen lucrum inter socios commune sit, quia sæpe in societate unius opera pro pecunia valet, adeoque in societate conveniri potest, ut quis ex sociis partem lucri ferat, damnum non sentiat de illa; *l. si non fuerint*, *l. Mucius*, *ff. h. tit.* Eademque ratione si in coeunda societate, artem operamve pollicitus est alter, veluti cum pecus in commune pascendum, aut agrum politori, id est colono partiario damus in commune quærendis fructibus, ibi culpa præstanda est, id est socios inter se dolum & culpam præstare oportet; pretium enim operæ artisve est velamentum, id est pretium quod unus ex sociis confert, velut tegit seu æquat operam & industriam alterius, ita ut utriusque par ratio habeatur. Eadem etiam ratione societas coiri potest inter eos, qui non sunt æquis facultatibus, cum plerumque pauperior opera suppleat quantum ei per comparationem patrimonii deest; *l.* 5. §. *societas*, *ff. h. tit.* In societate pactum valet, ut quis ex sociis lucri partem ferat, damnum non sentiat, quod tamen ita est intelligendum, ut si in alia re lucrum in alia damnum contigerit, damnum compensetur cum lucro ad concurrentes quantitates, & in lucro esse intelligatur solum quod supereſt compensatione facta, id est deducto damno, ex *hoc* §. & hæc fuit sententia Servii, quæ refertur in *d. l. Mucius*. In societate lucrum non intelligitur, nisi deducto damno, atque ita damnum compensatur cum lucro, sed hoc intelligendum de damno, quod casu accidit, alias si socius in re una aliquod culpa sua damnum intulerit societati, licet in ceteris societatem auxerit, compendium

Source : BIU Cujas

non compensatur cum damno, & socius præstat damnum ; *l. non ob eam rem, & seq. ff. h. tit.* quia culpa non compensatur cum bene gestis. Non valet societas, ut alter socius lucrum tantum, alter damnum ferat, quoniam est societas leonina, & iniquissimum genus societatis est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum spectet ; *l. si non fuerint*, §. *Aristo*, *ff. h. tit.*

§. *illud*.

SI in societate dumtaxat convenerit, quam partem lucri quis ferat, veluti si convenerit ut duas partes lucri ferat, de quota damni nihil dictum sit, eadem erit pars damni, quam lucri, ex *hoc* §. quia quota expressa in una causa, censetur repetita in alia ; *arg. l. si plures*, *ff. de vulgar. & pupillar. & l.* 1. *C. de impuber.* & cum in societatis contractu fides maxime spectetur, æquitatis rationi convenit, easdem esse partes lucri & damni inter socios ; *l.* 3. *C. h. tit.*

§. *manet*.

UT societas consensu contrahitur, ita & tamdiu manet, donec partes in eodem consensu perseveraverint, ex *hoc* §. *l. tamdiu*, *C. h. tit.* & societas contracta inter plures, unius renunciatione dissolvitur, ex *hoc* §. *l.* 4. §. *ult. l. verum est*, *in fin. ff. h. tit.* Ratio est, quia societas est individua, & velut fornix, vel unius cæmenti casu labitur, & apta cæmentorum coaptatione sustinetur ; Senec. epist. 95. *Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ cassura nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur*. Si tamen unus ex sociis intempestive, id est incongruo tempore renuntiaverit societati, ut obveniens lucrum solus ferat, puta si totorum bonorum socius, cum ab aliquo heres institutus esset, ad hoc renunciaverit societati, ut hereditatem solus lucri faceret, tenetur actione pro socio hoc lucrum cum socio communicare, ex *hoc* §. *l. si convenerit*, *l. actione*, §. *diximus*, *ff. h. tit.* & hoc est quod ait Paulus in *l. sed & socius*, §. *ult. ff. h. tit.* societatis intempestivam renunciationem ipso jure in æstimationem venire, id est si socius intempestive societati renunciaverit, teneri actione pro socio in id quod interest societatem non dirimi. Societas solvitur unius ex sociis renunciatione, etiam si convenerit inter socios, ne intra certum tempus a societate abeatur ; *l. si convenerit*, *ff. h. tit.* quia nemo invitus cogendus est in communione remanere ; *l. ult. C. comm. divid.* propter discordias sc. quas materia communionis excitare solet ; *l. cum pater*, §. *dulcissimis*, *ff. de legat.* 2. Si quis dolo malo renunciaverit societati, alicujus lucri captandi causa, cogitur id lucri cum socio communicare, si vero aliud lucrum non captatum obvenerit, solus id lucratur, ex *hoc* §. *& d. l. actione*, §. *diximus*. Ratio est, quia dolus in eo non est admissus ; *d.* §. *diximus*. Is vero cui renunciatum, quidquid post renunciatam societatem adquirit, sibi soli adquirit, ex *hoc* §. quia si unus ex sociis intempestive renunciaverit societati, a se quidem liberat socios, se autem ab illis non liberat ; *d. l. actione*, §. *diximus*.

§. *solvitur*.

SOcietas solvitur morte naturali vel civili, puta maxima media capitis deminutione ; *l.* 4. §. *ult. l. verum est*, §. *societas*, *ff. h. tit.* Societas solvitur morte socii, nec transit in heredem, quia in societate electa est certa persona, ex *hoc* §. electa est industria ; *l. inter artifices*, *ff. de solut.* Unde socius socii mei non est socius meus, quia cum eo non contraxi ; *l. qui admittitur*, *& seq. ff. h. tit.* Adeoque si societas inter plures contracta sit, morte unius solvitur, etsi plures supersint, nisi in contrahenda societate aliter convenerit, nimirum

Source : BIU Cujas

rum ut morte unius societas non solvatur, sed inter superstites maneat ; *d. l. actione*, §. *mortuo*, unde exscriptus est *hic* §. Adeo verum est, societatem solvi morte socii, ut non valeat pactum societati ab initio appositum, ut heres in societate succedat, nisi sit societas vectigalium ; *l. nemo* 35. *l. cum duobus*, §. *idem respondit*, *l. adeo*, *ff. h. tit.* Etsi societas non transeat ad heredem, tamen heres socii tenetur actione pro socio ex gestu defuncti, & ea quæ a defuncto incohata sunt, explicare id est expedire & implere debet ; *d. l. nemo*, *& seq. l. heres socii*, *ff. h. tit.* & hoc est quod dicitur in *l. furti*, §. *pen. ff. de his qui not. infam.* heredem suo nomine non damnari tutelæ, vel pro socio actione, quia heres neque in tutelam, neque in societatem succedit, sed tantum in æs alienum defuncti.

§. *item si*.

SI societas alicujus rei contracta sit, puta certæ negotiationis, & finis negotio impositus sit, societas finitur, ex *hoc* §. *l. actione*, §. *item si* 10. *ff. h. tit.*

§. *publicatione*.

PUblicatione id est confiscatione bonorum unius ex sociis societas extinguitur, quia cujus bona publicantur, cum in ejus locum alter succedat, nempe fiscus, pro mortuo habetur, ex *hoc* §. *l. actione*, §. *publicatione*, *ff. h. tit.* & hoc est quod ait Ulpian. in *l. verum est*, §. *ult. ff. eod.* societatem solvi interitu personarum vel rerum, puta si res in rerum natura esse desierint, aut conditionem mutaverint, puta si consecratæ vel publicatæ sint.

§. *item si quis*.

ITem societas distrahitur, si unus ex sociis bonis cesserit, & ea a creditoribus distracta sint, ex *hoc* §. *l. actione*, §. *item bonis*, *ff. h. tit.* quia proscriptio bonorum debitoris morti comparatur ; M. Tull. pro Quint. *Cujus bona venierunt, cujus non modo illæ amplissimæ fortunæ, sed etiam victus vestitusque necessarius, sub præcone cum dedecore subjectus est, is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur*. Sed si cessione ab uno facta, partes adhuc consentiant in societate, nova societas incipere videtur, id est societas de novo contracta intelligitur, ex *hoc* §. nihil enim vetat, eum, qui bonis cessit, contrahere societatem ; qui enim bonis cessit, adquirere potest ; *l. is qui bonis*, *ff. de cess. bonor. l.* † *pen. C. eod. l. ex contractu*, *C. de bon. auctor. judic. possid.*

§. *ult.*

SOcius in re communi non tantum præstat dolum, sed etiam culpam, id est negligentiam, non præstat exactissimam diligentiam in societate, id est qualem diligentissimus paterf. suis rebus adhibet, sed qualem suis rebus adhibere solet ; de se enim queri, sibique imputare debet, qui parum diligentem socium sibi adsumit, ex *hoc* §. *l. cum duobus*, §. † 2. *l.* † *socius*, *ff. h. tit.*

Source : BIU Cujas

De mandato.

CAP. XXVI.

In princ.

MAndatum eſt contractus, qui conſenſu perficitur de alieno negotio gratis ſine mercede, periculo mandantis gerendo; *l.* 1. *l. ſi vero*, §. *ſi quis*, *ff. h. tit.* Mandatum conſenſu contrahentium perficitur, mandatum enim eſt precarium; Virgil. † 6. Æneid. 116. *Idem orans mandata dabat.* Mandatum quinque modis contrahitur. Primus eſt, ſi mea gratia tibi mandem. Secundus, ſi mea & tua cauſa tibi mandem. Tertius, ſi aliena cauſa tibi mandem. Quartus, ſi mandem tibi mea & aliena cauſa. Quintus, ſi mandem tibi tua & aliena cauſa, at ſi tua tantum gratia mandatum ſit, ſupervacuum eſt mandatum, nullaque ex eo obligatio & actio naſcitur, ex *init. h. tit. & l.* 2. *ff. h. tit.* Mandatum ſc. quod contrahitur ſolius mandatarii gratia, non eſt proprie mandatum, ſed conſilium, quod non eſt obligatorium, ex quo conſilium teſtatoris non inducit fideicommiſſum; *l. cum pater*, §. *mando*, *ff. de legat.* 2. Ob id ſi tibi mandavero quod tua interſit, nulla erit mandati actio, niſi mea quoque interfuit; *l. ſi remunerandi*, §. *plane*, *ff. h. tit.* quia non datur actio, niſi ei cujus intereſt.

§ I.

MAndatum mea tantum gratia contrahitur, veluti ſi tibi mandem, ut negotium meum geras, vel ut fundum mihi emas, vel pro me ſpondeas, id eſt fidejubeas, ex *hoc* §. *l.* 2. §. 1. *ff. h. tit.* Spondere dicebant veteres pro fidejubere, & ſponſores dicebantur qui hodie fidejuſſores, quia fide ſua pro alio ſpondebant.

§. *tua gratia.*

MAndatum contrahitur tua gratia & mandantis, veluti ſi Titius tibi mandet, ut pecuniam ſub uſuris crederes ei, qui in rem ipſius mutuaretur, aut, ſi nolente te agere, cum eo ex cauſa fidejuſſionis, (nam jure veteri creditori licuit omiſſo reo principali, fidejuſſorem prius convenire; *l. reos*, *C. de fidejuſſ.*) mandet tibi, ut cum reo principali agas, periculo mandantis; fidejuſſor enim conventus, ut ſe liberet, mandat creditori periculo ſuo prius conveniri debitorem: vel ſi Titius tibi mandet, ut ipſius periculo ſtipuleris a debitore, quem tibi delegavit in id quod tibi debebat, ex *hoc* §. & hoc eſt quod ait Paulus in *l. ſi mandavero*, §. *interdum*, *ff. h. tit.* interdum evenit, ut meum negotium geram, & tamen utilem habeam mandati actionem, veluti cum debitor meus periculo ſuo debitorem ſuum mihi delegat, aut cum rogatu fidejuſſoris cum reo experior, quamvis enim debitum meum perſequar, nihilominus & illius negotium gero, igitur quod minus ſervavero, conſequar mandati actione, cui conjungitur *l. ſi mandatu* 45. §. *ult. ff. h. tit.* qui enim delegat debitorem, ut ſolvat alii, liberatur, ſi ejus nomen creditor ſecutus ſit, & delegatio fiat ſtipulatione interpoſita, novandi cauſa, non cum periculo debitoris mandator a debitore delegato ſtipulatur; tunc enim ſi ei ſolidum non ſolvatur, poteſt redire ad mandatorem, & ab eo reſiduum, quod deeſt credito, petere.

§. *aliena.*

Source : BIU Cujas

§. *aliena*.

MAndatum contrahitur aliena cauſa, veluti ſi quis tibi mandet, ut Titio fundum emas, vel ut pro Titio ſpondeas, ex *hoc* §. *l.* 2. §. *aliena*, *ff. h. tit.* Ratio dubitandi erat, quod mandati actio ceſſat, ſi nihil mea interſit; *l. ſi procuratorem*, §. *mandati*, *ff. h. tit.* at mea non intereſt te Titio fundum emere, vel pro eo fidejubere: ſed verum eſt mandati actionem non dari, niſi aliquatenus mandantis interſit, at id quod intereſt non ſpectatur per ſe, ſed ex mandantis affectu, atque ita intelligenda eſt *l. ſi remunerandi*, §. *ſi tibi mandavero*, *ff. h. tit.* ſi tibi mandavero quod mea non intererat, veluti ut pro Seio intervenias, vel ut Titio credas, erit mihi tecum mandati actio, & ego tibi ſum obligatus, quia etſi mea re non interſit, tamen aliqua ratione poteſt intereſſe ſaltem animo & affectu. Mandatum ſua & aliena cauſa contrahitur, veluti ſi quis tibi mandet de communi, ſuo & Titii, negotio gerendo, vel ut ſibi & Titio fundum emeres, ex *hoc* §. *l.* 2. §. *mea & aliena*, *ff. h. tit.* Mandatum tua & aliena cauſa contrahitur, veluti ſi quis tibi mandet, ut Titio ſub uſuris pecuniam crederes, ex *hoc* §. *l.* 2. §. *ult. ff. h. tit.* Hoc caſu mandatum dicitur contrahi tua & aliena cauſa, quia tua intereſt non habere pecuniam otioſam domi, & invenire idoneum debitorem, qui pecuniam accipiat ſub uſuris, aliena, quia Titii intereſt pecuniam ei mutuo credi, etiam fœnori, ut ſe liberet a creditore.

§. *tua tantum*.

MAndatum quod ſolius mandatarii gratia contrahitur, non obligat mandatorem, quia hoc genus mandati magis conſilium eſt, quam mandatum, & ob id non eſt obligatorium, quia nemo ex conſilio mandati obligatur, etiam ſi non expediat ei cui datur, quia unicuique liberum eſt apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium, ex *hoc* §. *l.* 2. §. *ult. ff. h. tit.* ita & epiſtola, qua amicum commendamus, non obligat actione mandati, quia commendandi magis, quam mandandi cauſa ſcripta eſſe intelligitur; *l. ſi vero*, §. *cum quidam*, *ff. h. tit. l. ult. C. quod cum eo qui in alien. poteſt. eſt*. Si tibi mandavero, ut pecuniam Titio fœneres, quæſitum eſt, an tenear mandati? Dubitandi cauſa fuit, quod potius videtur conſilium quam mandatum, quod mea non interſit, & ex conſilio nemo mandati obligatur: ſed obtinuit Sabini ſententia, obligatorium eſſe hoc mandatum, quia pecuniam non aliter crediturus eras, niſi mandaſſem, ex *hoc* §. Et hanc ſententiam ſecutus eſt Ulpian. in *l. ſi remunerandi*, §. *ſi tibi mandavero*, *ff. h. tit.*

§. *illud quoque*.

MAndatum contra bonos mores non eſt obligatorium, veluti ſi Titius furtum, aut damnum, aut injuriam fecerit mandato alterius, & ſi pœnam iſtius facti nomine præſtiterit, non habet ullam mandati actionem, ex *hoc* §. quia rei turpis nullum eſt mandatum; *l. ſi remunerandi*, §. *rei turpis*, *ff. h. tit.* Ita qui ædem ſacram ſpoliandam, hominem vulnerandum, occidendum, ex mandato ſuſcepit, nihil mandati judicio conſequi poteſt, propter turpitudinem mandati; *l. ſi mandavero*, §. *qui ædem*, *ff. h. tit.* Et ſi advocatus vel procurator, eventum litis contra bonos mores redemerit, & eo nomine condemnatus ſit, mandati judicio repetere non poteſt quod condemnatus eſt; *d. l. ſi remunerandi*, §. *ult. ff. h. tit. l. ſi contra*, *C. eod.* Et ſi adoleſcens luxurioſus cui mandet, ut meretrici pecuniam credat, vel pro ea fidejubeat,

Source : BIU Cujas

scienti non est mandati actio; *l. si vero*, §. *si adolescens*, *ff. h. tit.*

§. *is qui exequitur*.

MAndatarius non potest excedere fines mandati, unde si is, cui mandatum est, ut fundum emeret certo pretio, pluris emerit, mandati agere non potest, ut repetat quod pluris emit, quam mandatum est. Adeoque ex sententia Sabinianorum nullam mandati actionem habet, etiam si paratus sit mandatori remittere pretium, quod excedit mandatum: sed ex sententia Proculianorum, quæ benignior est, mandatario datur contraria actio mandati usque ad pretium statutum, ex *hoc* §. *l.* 3. 4. *&* 5. *ff. h. tit.* Mandatarius non potest excedere fines mandati, quia qui mandatum excedit aliud agere videtur; *l.* 5. *ff. h. tit. cap. cum dilectus, de elect. cap. cum olim, de offic. delegat.* Augustin. in epist. ad Galat. *Sed magistratus sub tanto Imperatore non facit, nisi quantum illi permittitur, & procuratores, actoresque hujus mundi, nihil faciunt, nisi quantum dominus finit.* Quod si mandatarius minoris rem emerit quam mandatum esset, utrinque nascitur actio mandati, quia procurator causam mandantis meliorem facere potest, non deteriorem, ex *hoc* §. *& d. l.* 5. §. *ult.* Et qui mandavit fundum sibi emi centum aureis, utique mandasse intelligitur, ut minoris, si posset, emeretur, ex *hoc* §. Immo jussus emere fundum certo pretio, si minoris emat, non videtur excedere mandatum, quia majori summæ minor inest; *l.* 1. §.† 4. *ff. de V. O.*

§. *recte*.

MAndatum nudo consensu contrahitur; *l.* 1. *ff. h. tit.* & nudo consensu nuda voluntate revocatur; *l. si vero*, §. *si mandavero*, *ff. h. tit.* id est si res mandata cœpta non sit, mandatum, vel cessio actionis, potest revocari re integra, id est si is cui mandata est actio nondum litem contestatus sit, vel si nihil exegerit a debitore, vel si non denunciaverit debitori, ut solveret; *d. l.**) 3. *l.*† *si delegatio*, *C. de novat. l. nomen*, *C. quæ res pignor.* ut mandatum re integra revocari potest ex parte mandatoris, justa de causa, puta adversæ valetudinis, vel capitalis inimicitiæ subortæ inter mandatorem & mandatarium, vel si mandatæ actiones inanes sint ob inopiam debitorum; *l.*† 23. 24. *&* 25. *ff. h. tit.*

§. *item si*.

MAndatum solvitur re integra morte mandatoris, vel mandatarii: sed si mandatore mortuo re integra, mandatarius ignorans eum mortuum, mandatum executus sit, utilitatis causa, id est ex æquo & bono, contra summam juris rationem datur ei mandati actio in heredem, quia justa & probabilis ignorantia ei nocere non debet, ex *hoc* §. *l. inter causas*, in princ. *l. mandatum*, *l. si præcedente*, *ff. h. tit. l. mandatum*, *C. eod. tit. l. ult. ff.*† *de solut.* quod juris obtinet etiam in mandato jurisdictionis; *l. & quia*, *ff. de jurisdict.* Neque obstat *l. si quis* 27. §. *morte*, *ff. h. tit.* quæ ait morte mandatoris re integra solvi mandatum, nec heredem ejus, licet mandatum executus fuerit, habere mandati actionem; hoc enim intelligendum est de herede qui scivit mortem mandatoris, sibi enim imputare debet. Re vero deintegrata, mandatum morte mandatoris non solvitur, puta lite contestata, mandatum litis persequendæ morte mandatoris non finitur, quia per litis contestationem procurator litis dominus fit; *l. nulla*, *C. de procurator.* quæ est Juliani Imp. constitutio, quam memoria celebrat Symmach. libr. 10. epist. 32. *Successit aliud, ut obitu Martianæ C. F. mandatum diceretur extinctum, sed contra venerabilis Julia-*

Source : BIU Cujas

Juliani ſanctio ſtare procuratorum juſſit officia, cauſarum dominis viventibus inchoata. Idem juris eſt ſi mandatum ſit in rem mandatarii, ut ſi ei ceſſæ ſint actiones donationis vel venditionis cauſa, quo caſu conſtituitur procurator in rem ſuam; *l.* 1. *C. de oblig. & act. l. illam, C. de donat.* vel ſi mandatum conferatur in id tempus, quo mortuus erit mandator; *l. ſi vero*, §. *ult. & l. ſeq. ff. h. tit. l. mortis cauſa* 18. §. *Titia, de mort. cauſ. donat.* Eadem ratione ſi debitor ſolverit Sticho diſpenſatori, quem ignorabat manumiſſum, liberatur, ne juſta & probabilis ignorantia ei obſit, ex *hoc* §. Ut & ſi debitor ſolverit diſpenſatori, ignorans eum remotum ab actu, liberatur; *l. diſpenſatori, ff. de ſolut. l. pen. de reb. credit.* Et creditor ſibi imputare debet, quod ſtatim non denuntiavit debitoribus, diſpenſatorem a ſe revocatum.

§. *mandatum*.

SIcut mandatum re integra revocari poteſt a mandatore, ita & renunciari poteſt a mandatario re integra, & tempeſtive, ita ut integra cauſa mandatori reſervetur negotium per ſe, vel per alium expediendi; mandatum enim non ſuſcipere cuilibet liberum eſt, ſemel ſuſceptum conſumari oportet, aut tempeſtive re integra renunciari, itaque ſi mandatarius ſuſceptum mandatum non impleverit, vel tempeſtive non renunciaverit, tenetur mandati in id quod intereſt. Excipitur niſi juſta cauſa interceſſerit, aut non renunciandi, aut intempeſtive renunciandi, puta valetudinis adverſæ, vel ſubortarum capitalium inimicitiarum, *ex hoc* §. *l. ſi mandavero*, §. *ult. & dd. ll. ſeqq. cum l. ſi quis* 27. §. *qui mandatum, ff. h. tit.* & mandatarius ſi dolo vel culpa mandatum non exequatur, tenetur mandati in id quod intereſt; M. Tull. pro Roſc. Amerin. *In privatis rebus, ſi qui rem mandatam non modo malitioſus geſſiſſet ſui quæſtus aut commodi cauſa, verum etiam negligentius, eum majores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant. Itaque mandati conſtitutum eſt judicium, non minus turpe quam furti: credo propterea, quod quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur, quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium, & quantum in ipſo eſt diſturbat vitæ ſocietatem. In minimis privatisque rebus etiam negligentia in crimen mandati judiciique infamiam revocatur.*

§. *ult.*

MAndatum ſua natura eſt gratuitum, & mercedem non recipit; nam ex officio & amicitia originem trahit, & interveniente mercede res tranſit in locationem & conductionem, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *ult. ff. h. tit. l. ſi tibi, ff. de præſcript. verb.* Mandatum non recipit mercedem, quia mandatum eſt officium quod eſt gratuitum, nec cadit niſi in liberam perſonam. Merces eſt quæſtus ſordidus, & illiberalis; M. Tull. 1. offic. *Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes, emuntur, eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſervitutis*. Mandatum tamen recipit honorarium. Et hoc eſt quod ait *l. ſi remunerandi, ff. h. tit.* ſi remunerandi gratia honor intervenit, erit mandati actio, quia honorarium non eſt merces, ſed remuneratio, quæ honoris cauſa tribuitur; *l.* 1. *ff. ſi menſ. falſ. mod. dix.* Mandatum etiam ſalarium recipit, ſed id non petitur actione mandati, verum extra ordinem cognitione prætoris, vel præſidis; *l. ſalarium, ff. h. tit. l.* 1. *C. eod. l.* 1. *ff. de extraord. cognit.* Quæſitum eſt an fidejuſſionis officium mercedem recipiat? & quidem ſi quis pro alio fidejubeat pacta mercede, datur ei utilis actio præſcriptis verbis, ex contractu do ut facias, puta do ut fidejubeas; *l. ſi remunerandi*, §. *ult. ff.* † *h. tit.* Sed hoc nimis turpe viſum maxime in cre-

Source : BIU Cujas

clericis, & ideo quod dicitur in *can. Apoſtolor.* 20. alias 19. clericum ſi pro alio fidejuſſerit deponi, ſic interpretatur Balſamo, ſi clericus χάριν κέρδους *lucri gratia*, id eſt propter mercedem fidejubeat.

De oblig. quæ quaſi ex contract. naſcuntur.

CAP. XXVII.

In princ.

ALiæ ſunt obligationes quæ naſcuntur ex contractu, aliæ quæ ex quaſi contractu. Quaſi contractus eſt tacita conventio, per quam obligatio juris præſumptione inter ignorantes contrahitur, & hoc diſtat a contractu, quod contractus perficitur expreſſa voluntate inter ſcientes & volentes; *l.* 1. *ff. de pact.*

§. I.

SI quis ultro, ſine mandato, abſentis & ignorantis negotia geſſerit, ex eo actu ſive geſtu, ultro citroque naſcitur actio negotiorum geſtorum, quaſi ex contractu, directa & contraria. Domino, cujus negotium geritur, datur directa, negotiorum geſtori contraria, *ex hoc* §. *l.* 2. *& 3. ff. de negot. geſt. l.* 5. *de oblig. & act.* & hæc actio utilitatis cauſa, id eſt ex æquo & bono, introducta eſt, ne abſentium res & negotia deſtituantur, quia vix quisquam abſentis negotium curaret, niſi haberet ſumptus repetitionem, ex *hoc* §. *& d. l.* 5. In actione negotiorum geſtorum non modo præſtat dolum & latam culpam, id eſt diligentiam, quam rebus ſuis adhibere ſolet, ſed præſtat leviſſimam culpam, id eſt exactiſſimam diligentiam, quam diligentiſſimus paterf. adhibere ſolet, ſi modo alius diligentior erat negotia geſturus, ex *hoc* §. *l.* 6. §. *videamus*, *l.* † *ſi negotia*, *ff. de negot. geſt. l. tutori*, *C. eod. l. ſi mater*, *C. de uſur.* Ratio eſt quia ſibi imputare debet, qui ultro ſe obtulit alienis negotiis, & alium forte diligentiorem removit. Negotiorum geſtor enim eſt procurator voluntarius, qui ultro ſine mandato abſentis negotia gerit, unde *voluntarius amicus* dicitur M. Tull. pro Cæcin. *voluntarius procurator* eid. in Bruto.

§. *tutores*.

TUtores tutelæ judicio tenentur, non proprie ex contractu, nullum enim negotium inter tutorem & pupillum contrahitur, ſed quaſi ex contractu, & ex adminiſtratione tutelæ naſcitur actio ultro citroque directa & contraria. Directa eſt, quæ datur pupillo in tutorem, ut rationem actus ſui reddat. Contraria, quæ datur tutori in pupillum, quod impendit quidpiam in rem pupilli, vel pro eo ſe obligavit, aut rem ſuam creditoribus pupilli obligavit, ex *hoc* §. *l.* 5. §. *tutelæ*, *ff. de oblig. & act. l.* 3. *C. de contrar. judic. tutel.* Curator etiam ex ſua adminiſtratione quaſi ex contractu tenetur, & ei vel in eum datur utilis actio negotiorum geſtorum; *l.* 4. *C. qui dar. tutor. l. quidquid*, *C. arbitr. tutel.* Tutores, inquam, ex ſua adminiſtratione non tenentur proprie ex contractu, quia nullum negotium geſtum eſt inter pupillum & tutorem, tutor datur etiam invito; *l.* 6. *ff. de tutor. & curat. dat.* & pupillus tutorem ſibi non eligit, ſed tutor ei datur vel teſtamento patris, vel a lege, vel a prætore, ſed tutor tutelæ obligatur, quaſi ex contractu, quia tutor, vel curator non prius accedit ad adminiſtrationem, quam juramento præſtito in jure, vel apud acta

Source : BIU Cujas

acta se recte res gesturum ; *l. ult. & auth. quod nunc , C. de curat. furios. l. de creationibus , C. de episc. audient.* in judicio contrahitur , vel quasi contrahitur ; *l. 3. §. idem scribit , ff. de pecul.* Et tutor suscipiendo tutelam videtur contrahere cum pupillo , & tacite obligat bona pupillo administrationis nomine , unde ex administratione tutelæ vel curationis , bona tutorum vel curatorum , tamquam pignoris titulo , id est tacita hypotheca , obligantur pupillis vel adultis ; *l. pro officio , C. de administr. tutor. l. ult. C. de legit. tutel. l. unic. §. 1. C. de rei uxor. act.* Et hoc intellectu tutela & negotiorum gestio connumerantur inter contractus ; *l. contractus , de R. J.* Nec modo pupillo in bonis tutoris , sed & filio in bonis patris competit tacita hypotheca , pro administratione bonorum maternorum , vel adventitiorum ; *l. cum oportet , §. non autem , C. de bon. quæ liber. l. si quis prioris , §. pen. & ult. C. de secund. nupt.* Et quod valde notandum tacita hypotheca , quæ pupillo vel filio datur in bonis tutoris vel patris , non ab eo die tantum incipit , quo rationes redditæ , & reliqua explicata sunt , sed a die susceptæ tutelæ ; *d. l.* † *pro officio* . Privilegio tacitæ hypothecæ gaudet , & pupillus non modo in bonis matris , quæ ejus tutelam gessit , sed & in bonis vitrici , qui matrem duxit uxorem , non redditis rationibus , & præstitis reliquis ; *l.* †† *pen. C. de administr. tutor.*

† V. in terminis *l. 6. §. ult. C. de bon. quæ liber.*

†† V. si facit . Et recurre ad *l. 2. C. quando mul. tutel. offic. l. 6. C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contrah. & novell. 22. cap. 40.*

§. *item si inter , & §. idem juris .*

SI res inter quosdam communis sit , absque societate , puta si duobus eadem res legata , vel donata sit , vel duo sint instituti coheredes , & unus ex consortibus solus fructus percepit , vel solus in rem communem necessarias impensas fecit , tenetur actione familiæ erciscundæ , vel communi dividundo , non ex contractu , quippe nihil inter se contraxere , sed ex quasi contractu , ex *utroque hocce §.* Judicium familiæ erciscundæ & communi dividundo redditur inter coheredes vel collegatarios , non ex contractu , sed quasi ex contractu , quia cum coherede non contrahimus , sed incidimus in eum , hos ad societatem conjunxit non consensus , sed res ; *l. heredes , §. non tantum , ff. famil. erciscr.* Ubi societas consensu contracta est , datur actio pro socio , quæ est actio in personam . Ubi vero societas re contracta est , non datur actio pro socio , sed actio familiæ erciscundæ , vel communi dividundo , quæ sunt mixtæ actiones tam in rem , quam in personam , nimirum in rem , quatenus in iis agitur de hereditate , vel re communi dividenda , in personam quatenus continent præstationes personales ; *l. cum putarem , ff. famil. erciscr. l. 4. §. sicut autem , commun. divid.*

§. *heres quoque .*

HEres scriptus actione ex testamento tenetur legatariis , non ex contractu proprie ; neque enim cum herede vel cum defuncto legatarius ullum negotium gessisse intelligitur , sed tenetur quasi ex contractu , ex *hoc §. l. 5. §. heres quoque , ff. de oblig. & act.* quia heres adeundo hereditatem , cum legatariis & creditoribus hereditariis contrahere intelligitur ; *l. 3. §. ult. & l. seq. ff. quib. ex caus. in poss. eat. l. qui cum , de R. J.* & hereditas , id est hereditatis aditio , quasi contractus obligat nos ære alieno ; *l. more , ff. de adquir. he ed.* Ex constitut. Justiniani legati & fideicommissi nomine legatario & fideicommissario datur tacita hypotheca , in omnibus rebus hereditariis , etiam si de ea testator nihil caverit ; *l. 1. C. commun. de legat.* Igitur heres legatariis tenetur quasi actione hypothecaria , verum hæc actio non parit executionem paratam , id est legatarius assequendi legati causa non potest incipere ab executione , sed heredem convenire debet per actionem , quo jure utimur .

Source : BIU Cujas

§. *item is cui.*

QUi non debitum accepit per errorem ſolventis, tenetur condictione indebiti ſoluti, quaſi ex contractu, id eſt quaſi ex mutuo, vel potius magis ex diſtractu, quam ex contractu, quoniam qui per errorem indebitum ſolvit, magis diſtrahendæ ſeu diſſolvendæ, quam contrahendæ obligationis animo ſolvere videtur, ex *hoc* §. *l.* 5. §. *is quoque*, *ff. de oblig. & act.* Probabilius tamen eſt ut dicamus, eum, qui indebitum accipit, obligari quaſi ex contractu; quisquis enim per errorem ſolvit indebitum, videtur ire in creditum, quaſi tacita quadam pactione, ut quod ſolvitur, ſi indebitum appareat, reddatur per condictionem indebiti: & hoc eſt quod ait Pomponius in *l. is qui commodatum*, in fin. *ff. commodat.* plerumque accidere, ut extra id quod agitur, tacita obligatio naſcatur, veluti cum per errorem indebitum ſolvendi cauſa ſeu animo datur.

§. *ult.*

EX quibusdam cauſis indebitum ſolutum non poteſt repeti condictione indebiti, ut ex quibus cauſis lis inficiatione creſcit in duplum, ut in actione legis Aquiliæ, & in actione legatorum antiquo jure. Hodie ſublata differentia legatorum poſt conſtit. Juſtiniani in legatis ad piam cauſam relictis, ex *hoc* §. *& §. ſed furti*, infr. *de actionib. l.* 4. *C. de condict. indebit.* Paul. 1. *ſent. tit.* 19. §. *ult.* indebitum ſolutum ex cauſa, quæ inficiatione creſcit in duplum, non repetitur, quia qui indebitum ſolvit, ex hujusmodi cauſis ſibi conſulere videtur, propter periculum inficiationis. Sic ſolutum ex cauſa tranſactionis, licet res nulla media fuerit, non condicitur: hoc ipſum enim quod a lite diſceditur, idonea eſſe videtur cauſa ſolvendi; *l. in ſumma*, §. 1. *ff. de condict. indebit.* Idem in legato ad pias cauſas relicto, quia ſi ceſſaverit heres in ſolvendo hujusmodi legato, tenetur in duplum conſtitut. Juſtiniani, de qua *hoc loco*, *& in l. ſancimus* 46. §. 7. *C. de Epiſc. & cleric.* Dempto hoc caſu, legatum vel fideicommiſſum per errorem facti indebitum ſolutum, † non condicitur; *l. fideicommiſſum*, *C. de condict. indebit. l. pen.* §. *ſi quis jus*, *ff. de jur. & fact. ignor.* Et legatum vel fideicommiſſum ex nullo vel minus ſolemni teſtamento ab herede ſciente ultro ſolutum, non poteſt repeti; *l.* 2. *C. de fideicommiſſ.* & hæc ob favorem ultimarum voluntatum. Solutum etiam ex cauſa judicati non condicitur propter auctoritatem rei judicatæ; *l.* 1. *C. de condict. indebit. l. cum putarem*, *ff. famil. erciſc. l. ſi fidejuſſor*, §. *in omnibus*, *ff. mandat.* vel quod olim actio judicati inficiatione creſcebat in duplum; Paul. 1. *ſent. tit.* 19. §. *ult.* de quo M. Tull. pro Flacco: *Frater meus pro ſua æquitate prudentiaque decrevit, ut ſi judicatum negaret, in duplum iret.*

† Abundat hic negativam, nam condicitur, tam ex *citat. ll.* quam ex *l.* 1. 2. *ff. de condict. indebit.*

Per quas perſonas nobis obligat. adquir.

CAP. XXVIII.

EXpoſitis modis quibus obligationes adquiruntur, ex contractu, vel quaſi contractu, Juſtinianus agit de perſonis per quas adquirimus. Non modo per nosmetipſos nobis adquirimus, ſed etiam per eos qui in poteſtate noſtra ſunt, puta per ſervos vel liberos. Hoc intereſt quod quidquid ſervus adquirit, pleno jure domino adquirit. Jure veteri quidquid filiusf. adquirit, † patri adquirit, excepto peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi; *l.* 3. §. *ſecundum*, *ff. de donat. inter vir.*

Source : BIU Cujas

vir. & uxor. l. 1. *C. de caſtrenſ. pecul.* Conſtitut. Juſtiniani ſi quid filiusf. adquirat ex re patris, pleno jure adquirit patri, ſi quid ex cauſis adventitiis, puta ex proprio labore vel induſtria, vel ex bonis matris vel avi materni, proprietatem ſibi adquirit, ſolo uſufructu reſervato patri; *l. cum oportet, l. ult.* † *in princ. C. de bon. quæ liber.* unde deſumptum eſt *initium h. tit.* In bonis adventitiis filiusf. ſibi adquirit dominium, pater ſolum uſumfructum. In adventitiis filiusf. non poteſt movere vel ſuſcipere actiones, ſed patris, qui habet uſumfructum, eſt movere vel ſuſcipere actiones, & ex fructibus ſumptus litis facere; *d. l. ult.* §. *ubi autem*: quod etiam proponitur *init. h. tit.* filiusf. etiam patre ſuperſtite, non poteſt bona adventitia a patre alienata revocare, ex quo fit, ut præſcriptio interim ei non currat, quia non valenti agere non currit præſcriptio; *l.* 1. *C. de bon. matern. l.* 1. §. *ult. C. de annal. except.*

Quib. mod. obligatio tollitur.

CAP. XXIX.

In princ.

HActenus actum eſt de modis quibus contrahitur obligatio, nunc Juſtinianus tranſit ad modos quibus tollitur obligatio. Obligatio ipſo jure tollitur ſolutione, ut docetur *init. h. tit. & l. Stichum*, §. *naturalis*, *ff. de ſolut.* ubi Papinianus ait, naturalem obligationem, pecuniæ numeratione, id eſt ſolutione, ipſo jure tolli. Solutio eſt naturalis modus tollendæ obligationis; *l. pen. ff. eod.* Solutione ſolvitur obligatio, etiam non reddito vel inducto ſeu cancellato chirographo; *l. nihil intereſt, l. inductum, C. eod. l. aſſeveratio, C. de non numerat. pecun.* ſolutionem aſſeveranti probandi onus incumbit, quo facto, debitori competit condictio chirographi, quod ſit apud creditorem ſine cauſa; *l. diſſolutæ, C. de condict. ex leg. l. ult. C. de ſolut.* vel ſi maluerit datur actio ad exhibendum, ut chirographum exhibitum condicatur; *l. ult. C. ad exhibend.*

Obligatio tollitur ſolutione, id eſt numeratione debitæ pecuniæ, vel alterius rei, conſentiente creditore; invito enim creditori aliud pro alio non ſolvitur; *l.* 2. §. 1. *ff. de reb. cred. l. eum a quo, l. manifeſti, C. de ſolut. l. ſi non ſortem*, §. *ſi* † *centum, ff. de condict. indebit. l. ſi ei nuptura, de jur. dot.* Nec ſervatur *auth. hoc niſi debitor*, *C. de ſolut.* ex qua ſi debitor in pecunia ſolvere nequeat, liberatur ſolvendo rem immobilem, quam habeat meliorem, æſtimatione facta per judicem. Volenti creditori aliud pro alio recte ſolvitur, ut pro pecunia prædium æſtimatum; ita ut ſi creditor pro pecunia fundum æſtimatum in ſolutum acceperit, & ejus induſtria vel caſu, puta alluvione, melior factus ſit, debitori non datur repetitio, quia non auditur, qui id poſtulat, quod non eſſet poſtulaturus in contrarium eventum; *l. pen. C. eod.* Cum aliud pro alio ſolvitur, non tam fit ſolutio, quam debiti compenſatio; Hieronym. in Eſaiam, cap. 50. *Ut aliquis creditor meus exigens pecuniam, me non habente quod redderem, nos in debiti compenſationem ſuſcipit.*

Solutione tollitur obligatio, non modo ſi ipſe debitor ſolvat, ſed etiam ſi quilibet alius ſolvat pro eo ſive ſciente, ſive ignorante vel invito, ut docet Juſtin. *init. h. tit. l. ſolvendo, ff. de negot. geſt. l. ſolutione, l. ſolvere, l. ſi pro me, l. qui decem*, §. *ſed quid, ff. de ſolut. l. cum & poſtliminii, C. de poſtlim. reverſ.* Neque obſtat, quod beneficium non fit invito; hoc enim introductum eſt favore liberationis; *l. Arianus, ff. de obligat. & act.* & naturalis ſimul ac civi-

Source : BIU Cujas

lis ratio ſuaſit, alienam conditionem etiam inviti vel ignorantis meliorem nos facere poſſe; *d. l. ſolvendo*. Creditor invitus perſonam debitoris novare aut mutare non cogitur; *l.* *) *ſi mandatu*, *ff. mandat. l. hereditatem*, *de donat. l.* 2. *C. de pact. l.* 2. *C. de hered. vel act. vendit.* tamen invitus cogitur, id quod debetur, ab alio, quam a debitore, ſi offeratur accipere. Aliud eſt in domino directo ſeu emphyteuticario; is enim minime cogitur ab alio quam ab emphyteuta cenſum accipere, quia cenſus non eſt nudum debitum pecuniarium, ſed eſt argumentum ſubjectionis; *cap.* 2. *de cenſib.* quod adnexum continet obſequium. Si quis vero ultro ſolvat pro alio, non poteſt compellere creditorem, ut ſibi cedat actionibus ſuis adverſus debitorem; *l. nulla*, *C. de ſolut.* Et ſi quis ſolvat pro alio non facta ceſſione nominis, etſi ſolutum a debitore ſervare non poſſit, non poteſt ſolutum condicere, quaſi indebitum. Condictio indebiti nulla eſt ab eo qui ſuum recepit, tametſi ab alio quam a vero debitore ſolutum ſit; *l. repetitio*, *ff. de condict. indebit.* niſi cum id nominatim cautum eſt in ipſa ſolutione; *l. fidejuſſor*, *ff. de negot. geſt. l. ult.* §. *ſin vero creditores*, *C. de jur. delib.*

Solutione pro reo principali facta, etiam ii, qui pro eo intervenerunt, id eſt fidejuſſores, liberantur, ut oſtenditur *init. h. tit.* & hoc eſt quod ait Ulpian. in *l. in omnibus*, *ff. de ſolut.* in omnibus ſpeciebus liberationum etiam acceſſiones liberari, puta adpromiſſores, hypothecas, pignora. Ratio eſt, quia fidejuſſores & pignora ſunt tantum acceſſiones obligationum. At ſublata principali obligatione, tollitur acceſſoria, ut ſublata actione ſortis ſolutione, vel tempore, id eſt præſcriptione, tollitur petitio uſurarum præteritarum; *l. eos qui*, *C. de uſur. l. terminato*, *C. de fructib. & lit. expenſ.*

Si fidejuſſor pro reo principali ſolvat, uterque liberatur, fidejuſſor & reus, ut ſubjungitur *init. h. tit. & l. cum is qui*, *ff. de fidejuſſ.* Neque pugnat *l. Papinianus*, *ff. mandat.* ubi Ulpian. ex Papiniano ait, mandatorem debitori ſolventem ipſo jure reum non liberare, propter mandatum enim ſuum ſolvit, & ſuo nomine; ſolutione enim fidejuſſoris reus liberatur, quia liberatur a creditore, ſed fidejuſſori ſupereſt actio mandati, quæ eſt in perſonam adverſus debitorem, etiam ſine ceſſione, vel hypothecaria, ſi ceſſæ ſint actiones in ipſa ſolutione; *l. mandati*, *C. de fidejuſſ.* vel ſi maluerit fidejuſſor ſolvendo pro reo, poteſt compellere creditorem, ut ſibi cedat actionibus ſuis adverſus debitorem; *d. l. Papinianus*, *& d. l. cum is qui*, *l. Stichum*, §. *ſi mandatu*, *ff. de ſolut.* quia creditor ſuum a fidejuſſore accipiens, nomen ei vendere videtur; *d. l. cum is qui*. Et ſi mandator vel fidejuſſor pro debitore ſortem & uſuras ſolverit, ſortem & uſurarum uſuras repetit actione mandati, etiam ante moram, quia uſuræ ei debentur tamquam ſors, non tamquam uſuræ; *l. ſi vero*, §. *ſi mihi*, *ff. mandat. l. qui negotiationem*, §. *ex duobus*, §. *ult. de adminiſtr. tutor.*

§. I.

OBligatio etiam tollitur acceptilatione. Acceptilatio eſt liberatio, quæ fit per interrogationem & reſponſionem: quod tibi debeo habes ne acceptum? habeo, ex *hoc* §. *& l.* 1. *ff. de acceptilat.* Unde acceptilatio, imaginaria ſolutio dicitur a Juſtiniano *hoc loco*, quia per eam debitor liberatur, ac ſi ſolverit, etiam ſi re vera nihil præſtiterit. Et hoc diſtat acceptilatio a ſolutione, quod obligatio naturaliter ſolvitur ſolutione, civiliter acceptilatione; *l. pen. ff. de ſolut.* Acceptilatio non eſt naturalis, ſed civilis modus tollendæ obligationis, quia jure civili pariter ac ſtipulatio inſtituta eſt, licet uſu ſit jurisgentium, ut indicat Ulpian. in *l. an inutilis*, in fin. *ff. de acceptilat.* quia hoc jure utimur, ut juris gentium ſit acceptilatio.

Acceptilatione, quæ verbis fit, tolluntur tantum verborum obligationes, non

Source : BIU Cujas

non etiam ceteræ, ex *hoc* §. Acceptilatio enim in ceteris contractibus, ut in emptione & venditione, quæ nudo consensu contrahitur, non sua natura, sed potestate conventionis valet; *l. f. ff. de rescindend. vendit.* id est acceptilatio ipso jure non tollit obligationem, quæ consensu vel re contrahitur, sed per exceptionem taciti pacti de non petendo, quod ei inest, vel per exceptionem doli mali; *l. si † accepto latum, ff. de acceptilat.* Acceptilatio, cum verbis fiat, tollit tantum obligationes, quæ verbis contrahuntur; juri enim consentaneum est, verbis contractam obligationem, verbis dissolvi, ait Justinianus *hoc loco*, post Pompon. in *l. prout quidque, ff. de solut.* propter regulam *l. nihil tam naturale, de R. J.* Acceptilatione ipso jure tollitur omnis obligatio, sed sicut quod debetur, pro parte solvi potest, ita in parte debiti acceptilatio fieri potest, ex *hoc* §. *in fin. l. pars stipulationis, & seq. ff. de acceptilat.* Quod verum est, si res debita divisionem recipiat, veluti si decem debeantur, potest pro parte solvi, vel accepto ferri: quod si res debita sit individua, veluti si servitus debeatur, acceptilatio pro parte nullius est momenti; *l. & per jusjurandum*, §. 1. *de acceptilat.* Quod dixi, debitum pro parte solvi posse, ita demum accipiendum, si consentiat creditor, alias invito creditori debitum pro parte solvi non potest, unde obsignatio partis pecuniæ debitæ, non sistit curs. sum usurarum totius sortis, nec ullam ex parte tollit obligationem; *l. tutor*, §. *Lucius, ff. de usur.*

§. *est autem.*

ACceptilatione vulgari sola verborum obligatio tollitur; *l. an inutilis*, §. *acceptum, ff. de acceptilat.* Acceptilatione, quæ fit præcedente stipulatione Aquiliana, omnes obligationes, ex quacumque causa sint, sive ex contractu, sive ex quasi contractu, tolluntur. Stipulatione Aquiliana omnes præcedentes obligationes novantur, tum ea acceptilatione tollitur, ex *hoc* §. *l. & uno*, §. 1. *ff. de acceptilat. l. Aquiliana, & seq. de transact. l. ut responsum, C. eod.* id est omnes obligationes convertuntur in verborum obligationem interposita stipulatione Aquiliana, & tum ea per acceptilationem tollitur. Stipulatio Aquiliana appellatur, quod ab Aquilio Gallo JC. celeberrimo adinventa sit. Ejus formula hæc est; *quicquid te mihi ex quacumque causa dare facere oportet, oportebitve, præsens, in diemve: quarumcumque rerum mihi tecum actio est: quæque adversus te petitio, vel adversus te persecutio est, eritve: quodve tu mecum habes, tenes, possides, quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari spondes? spondeo;* tum subjicitur acceptilatio, *acceptum habes? acceptum habeo*: quæ formula *hic* posita est a Justiniano ex *d. l. & uno* ijsdem fere verbis. Itaque ad Aquilianam stipulationem tantum pertinet definitio acceptilationis, quam dedit Modestin. in *l. 1. ff. de acceptilat.* Acceptilatio est liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusque contingit ab eodem nexu liberatio.

§. *præterea.*

NOvatione etiam tollitur obligatio, id est mutata persona debitoris: puta si creditor, quod sibi a Titio debetur, a Sempronio stipuletur novandi causa, ex *hoc* §. *l. si Stichum*, §. *ult. l. ult. ff. de novat.* Novatio obligationis fit mutata persona debitoris. Est enim novatio prioris obligationis in aliam transfusio, atque translatio; *l. 1. ff. eod. l. † un. C. etiam ob chirograph. pecun.* Et hoc est quod ait Justinianus *hoc loco*, interventu novæ personæ, novam obligationem nasci, & priorem tolli. Adeo novatione tollitur prior obligatio, ut novatione facta, fidejussores, pignora, hypothecæ, quæ accesserant priori obligationi, liberentur; *l. novatione, l. Paulus, ff. de novat. l. 4. C. de fidejussor.* Novatione tollitur prior obligatio, etiam si posterior sit inutilis, veluti si cre-

Source : BIU Cujas

ditor, quod sibi debetur a Titio, stipuletur a pupillo sine tutoris auctoritate; quo casu res amittitur, nam & novatione prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est, ex *hoc* §. Et hoc propter vitium personæ pupilli, qui, uti non potest obligari sine tutore, non potest etiam obligationem novare sine tutore; *l. novare, ff. de novat.* Novatione tollitur prior obligatio, & si posterior nulla sit, quia sibi imputare debet qui non idoneum debitorem admisit, & curiosus esse debet creditor & cavere cum quo contrahat, an obligationis capax sit; *l. doli exceptio*, in fin. *ff. de novat. l. vir uxori*, §. *ult. ad Vellejan. l.* 3. §. *pupillus*, *l. Nesennius*, *de negot. gest.* Obligatio novatur in eadem persona, si creditor quod sibi debetur ex mutuo, a creditore suo sibi dari stipuletur, obligatio autem, ita demum hoc pacto novatur, si quid novi veteri obligationi adjiciatur, puta dies, conditio, vel fidejussor, aut detrahatur. Stipulatio conditionalis novat priorem obligationem, non statim, sed cum conditio extiterit, ex *hoc* §. *l. si Stichum*, §. 1. *l. quotiens*, §. 1. *ff. de novat.*

Vers. sed cum hoc.

OBligatio novatur mutata persona debitoris, vel in eadem persona, cum quis a debitore suo stipulatur, & hoc quidem inter veteres constabat, id est certi juris erat, obligationem novari, si novandi animo in secundam obligationem itum esset, id est si inter contrahentes hoc actum esset, ut novaretur, ex *hoc* §. *l.* 2. *l. si Stichum*, §. *ult. l. fundum*, *l. aliam*, *l. si rem*, §. *si duo*, *ff. de novat. l. qui usumfructum*, *de V. O.* Sed quia dubium erat, an novandi animo id actum esset, constitutione Justiniani statutum est, ut prior obligatio non novetur per secundam, nisi nominatim hoc actum sit novandi causa; *l. ult. C. de novat.* unde desumptus est *hic* §. Obligatio etiam novatur delegatione; *l. delegare*, *ff. eod. l. si delegatio*, *C. eod.* Delegatio est mandatum, quo debitor alium pro se reum seu expromissorem dat creditori, & fit per stipulationem, cum creditor mandat debitori, ut quod sibi debetur, Titio stipulanti promittat; *d. l. delegare*, *& d. l. si stipulatio*, & ob id delegatione solutionem fieri ait Seneca 6. de benefic. cap. 5. *cum omnis solutio non idem reddat, sed tantumdem. Nam & pecuniam dicimur reddidisse, quamvis numeravimus pro argenteis aureos, quamvis non intervenerint nummi, sed delegatione & verbis perfecta solutio sit.*

§. *ult.*

OBligationes, quæ nudo consensu contrahuntur, contraria voluntate, seu dissensu, dissolvuntur, ut emptio, venditio, locatio, conductio, & consimiles. Contractus, qui nudo consensu contrahuntur, re integra, id est re nondum tradita, & pretio nondum numerato, contrario consensu dissolvuntur, ex *hoc* §. *l. prout*, *l.* † *Stichum*, §. *ult. ff. de solut. l. ult. de acceptilat. l.* 1. *&* 2. *C. quand. lic. ab empt. disced.* Re tradita emptio & venditio non resolvitur, nisi contrario actu, id est contraria emptione, & venditione; *d. l.* 1. Nec omittendum, obligationem tolli confusione, id est concursu juris debitoris, & creditoris in eadem persona, ut si creditor debitori heres extiterit, non ferente rerum natura, ut idem sibi sit debitor, & creditor; *l. heres a debitore*, §. *si servo tuo*, *&* §. *quod si stipulator*, *l. debitori*, *ff. de fidejuss. l. qui hominem*, §. *quidam*, *l. sicut*, *l. Stichum*, §. *aditio*, *ff. de solut. l.* 1. *&* pen. *C. de hered. act.*

IN

Source : BIU Cujas



IN INSTITUTIONUM JUSTINIANI LIBRUM QUARTUM.

De obligationib. quæ ex delict. naſcuntur.

CAP. I.

In princ.



BLIGATIONES aliæ naſcuntur ex contractu, de quibus ſuperiore libro actum eſt, aliæ ex maleficio, vel quaſi ex maleficio, de quibus hoc libro diſputatur. Obligationes ex contractu contrahuntur re, id eſt traditione, verbis, aut conſenſu. Obligationes ex maleficio omnes contrahuntur re, id eſt facto, veluti furto, rapina, damno, injuria, ut oſtenditur *init. h. tit. l.* 1. *&* 4. *ff. de obligat. & act.* Non prætermittendum hoc loco, quatuor eſſe maleficiorum genera, privata, publica, extraordinaria, & popularia. Privata ſunt, ex quibus non datur cuilibet actio, ſed tantum illi, ad quem ea res pertinet, ſeu cujus intereſt; *l. ult. ff. de privat. delict.* Et ea ſunt quæ dicuntur proprie delicta, & ſignificantius privata delicta. Delictum quaſi derelictum, id eſt deſertio boni, Græcis παράπτωμα, & πλημμέλεια; Auguſtin. in Levitic. cap. 20. *Fortaſſis ergo peccatum eſt perpetratio mali, delictum autem deſertio boni, nam & ipſum vocabulum ſi diſcutiatur, quid aliud ſonat delictum, niſi dereli-*

Source : BIU Cujas

ctum ? & qui delinquit, quid derelinquit, niſi bonum? Græci autem duo nomina uſitata huic peſti impoſuerunt, nam delictum apud eos παράπτωμα dicitur & πλημμέλεια. Publica ſunt, quibus certa & ordinaria pœna conſtituta eſt legibus publicorum judiciorum, ut lege Julia majeſtatis, Julia de adulteriis, Cornelia de ſicariis ; *l.* 1. *ff. de public. judic.* Et ea proprie vocantur crimina, & ob id crimina diſtinguuntur a delictis ; *l.* † *quis ſit*, §. *noxas*, *ff. de ædilit. edict. l.* 1. §. 1. *ff. de incend. ruin. naufrag. l. aliud fraus*, in fin. *de V. S.* Extraordinaria ſunt, quæ extraordinariam coercitionem habent, id eſt quibus certa pœna a lege ſtatuta non eſt, ſed judicis arbitrio imponitur, ut expilatæ hereditatis, ſtellionatus, & ſimilia ; *l.* † 3. *ff. de extraordinar. criminib. l.* 2. *ſtellionat.* Popularia ſunt, quibus certa pœna edicto prætoris irrogatur, veluti propter album corruptum, & ex quibus datur actio cuilibet e populo ; *l.* 1. *ff. de popular. act.*

§. I.

FUrtum eſt contrectatio rei fraudoloſa lucri faciendi cauſa, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus poſſeſſionisve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere, ex *hoc* §. *l.* 1. *ff. de furt.* Unde furtum non committitur, niſi in mobilibus, quæ ſola contrectari poſſunt ; *l. ſi is qui* 75. *ff. de furt.* Damnata eſt enim quorumdam veterum ſententia, qui putabant etiam fundi, locive furtum fieri ; *l. quam rem*, *ff. de uſucap.* quorum e numero fuiſſe Sabinum teſtatur Gell. *lib.* 11. *cap. ult.* Furtum eſt contrectatio fraudulosa rei alienæ, quia furtum non committitur ſine contrectatione, id eſt apprehenſione corporali ; *l. ſi quis* 52. §. *neque*, *d. l. ſi is qui*, *ff. de furt. l.* 3. §. *ſi rem*, *de adquir. poſſeſſ.* Contrectatio fraudulosa lucri faciendi cauſa, id eſt furandi animo, quia furtum non fit ſine dolo & affectu furandi ; *l. verum eſt*, *l. inter omnes*, §. *recte*, *ff. eod.* † *de furt.* unde Auguſtin. in exod. cap. 71. *Furti nomine* (inquit) *bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ.* Furtum non tantum rei, ſed etiam uſus poſſeſſionisve committitur. Rei furtum fit, cum fur rem domino ſubripit : uſus cum fur rei uſum contrectat, ut commodatarius, qui rem commodatam alii commodat, uſus furtum facit ; *l. ſi pignore*, *ff. de furt.* Poſſeſſionis furtum fit, cum depoſitarius rem contrectat furti faciendi cauſa ; *d. l.* 3. §. *ſi rem*. Uſus verbo eam poſſeſſionem intelligit, quam nos naturalem, poſſeſſionis vero eam, quam civilem. Furtum naturali lege prohibitum dicitur, id eſt jure gentium, quoniam hoc jure dominia diſtincta ſunt ; *l.* 5. *ff. de juſt. & jur.* Et ita accipe quod ait Ulpian. in *l. probrum*, *ff. de V. S.* furtum, adulterium natura turpe eſſe.

§. *furtorum.*

FUrti duo ſunt genera, manifeſtum, & nec manifeſtum, quoniam conceptum & oblatum non ſunt genera, ſed potius ſpecies furti. Manifeſtus fur dicitur, qui in ipſo furto, id eſt in ipſo actu, vel in ipſo loco, vel cum re furtiva deprehenditur, priusquam eo loci, quo deſtinabat, rem pertulerit, ex *hoc* §. *l.* 3. 4. *&* 5. *ff. de furt.* Sabinus apud Gell. lib. 11. cap. 18. *Manifeſtum autem furtum eſt, quod deprehenditur dum fit : faciendi finis eſt, cum perlatum eſt quo ferri cœperat.* Nec manifeſtum furtum, ut ex manifeſti furti definitione intelligitur a contrario, eſt cum fur non deprehenditur cum re furtiva, priusquam in locum deſtinatum rem perferret, ex *hoc* §. *& dd. ll.*

§. *conceptum.*

COnceptum furtum eſt, cum apud aliquem adhibitis teſtibus res furtiva quæſita & inventa ſit, & is, quamvis furtum non fecerit, tenetur actione furti

Source : BIU Cujas

furti concepti. Oblatum furtum dicitur, cum res furtiva ab aliquo tibi oblata, id est apud te depositа est, eaque apud te concepta, id est inquisitione facta inventa est, utique si eo consilio tibi oblata fuerit, ne apud eum qui dedit inveniretur, & is apud quem res furtiva deprehensa est adversus eum qui obtulit habet actionem furti oblati, ex *hoc* §. de quo Gell. libr. 11. cap. ult. *Est etiam furti prohibiti actio adversus eum, qui rem furtivam apud se vocatis testibus inquiri prohibuit, & actio furti non exhibiti adversus eum, qui rem furtivam apud se quæsitam & inventam non exhibet.* Sed hæ actiones in desuetudinem abierunt, quoniam ortæ sunt ex solemni observatione, id est inquisitione furti, quæ dicebatur fieri per lancem & licium, de qua Gell. *libr.* 11. *cap.* 18. & Festus *in voce Lance*, quam sua ætate obsoleviſſe, testis est Justinianus *hoc loco.* Et hodie, qui sciens rem furtivam celavit, tenetur pœnali actione furti, ex *hoc* §. *in fin. l. eos qui*, C. *de furtis*.

§. *pœna*, & §. *ult.*

LEge 12. tabularum pœna furti manifesti fuit capitis, si fur nocte furtum feciſſet, aut interdiu telo seſe, cum prehensus esſet, defendiſſet; Gell. *libr.* 11. *cap.* 18. Augustin. quæst. in exod. cap. 84. *Hoc & in legibus antiquis sæcularibus invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem si se cum telo defenderit, jam enim plus est quam fur.* Serv. in illud 8. Æneid. (205.) *At furis Caci mens effera: pro ingenti scelere furis nomen posuit. Capitale enim crimen apud majores fuit, ante pœnam quadrupli.* Postea pœna manifesti furti fuit quadrupli, nec manifesti dupli; §. *pœna*, *l. inter omnes*, §. *quod* † *dicimus*, *l. in furti*, *ff. de furt.* ubi in actione furti id quod interest non duplatur vel quadruplatur, sed verum rei pretium. De quadrupli pœna Augustin. libr. quæst. nov. testament. cap. 83. *Solent enim damna justa esſe, de quibus queri non liceat, numquid fur deprehensus, & justa legem in quadruplum condemnatus, ausus est queri?* Jo. Chrysostom. in Matth. Homil. 52. al 53. (n. 5.) διὰ τοῦτο ὁ κλέπτης ἀλλὰς τετραπλάσιον καταβάλλει. *Propterea furti condemnatus quadruplum reddit.* De pœna dupli Varro de re rustic. in procem. *Majores enim nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli.* Furti nomine tres competunt actiones, vindicatio, quæ est actio in rem, condictio furtiva, quæ est in personam, & actio furti, quæ est mere pœnalis, id est solam pœnæ persecutionem continet; §. *ult. l. si pignore*, §. *cum furti*, *ff. de furt. l. si pro fure*, *de condict. furtiv.* Præter has actiones datur actio ad exhibendum rei furtivæ nomine, quæ est præparatoria vindicationis; *d. l. si pro fure*, & actio criminalis furti extraordinaria, quam jam a sua ætate in usu fuisse testatur Ulpian. in *l. ult. ff. de furt.* Hoc interest inter vindicationem & condictionem furtivam, quod rei vindicatio datur adversus possessorem, sive fur sit, sive alius quilibet: condictio furtiva tantum adversus furem, vel heredem ejus; §. *ult. d. l. si pro fure*, §. *condictio*, ubi Ulpian. scribit, condictionem furtivam, quia est rei persecutoria, dari in heredem furis, tametsi actiones ex maleficiis non dentur in heredem; *l. pupillum*, *de R. J.*

§. *furtum autem fit.*

FUrtum committitur non solum cum quis intercipiendi causa rem alienam amovet, sed generaliter cum quis rem alienam invito domino contrectat. Furtum est contrectatio rei alienæ, quæ fit invito domino. Itaque creditor, depositarius, vel commodatarius in alium usum, quam cujus causa accepit, utens pignore, vel re depositа, aut commodata, furtum committit: veluti si quis argentum utendum acceperit, quasi amicos ad cœnam invitaturus,

Source : BIU Cujas

& id peregre exportarit, aut si quis equum gestandi causa sibi commodatum longius duxerit, vel in aciem, ex *hoc* §. *l. si pignore*, *l.* † *si is qui*, *ff. de furt.* Furti damnatus quidam, qui equum, qui Ariciam tenus commodatus fuerat, ulteriore ejus municipii clivo devectus est; Valer. Max. *libr.* 8. *cap.* 2. Gell. *libr.* 7. *cap.* 15. Symmac. 7. *epist.* 69. Et conductor, qui clam fructus exportat, tenetur furti, quia eos exportare videtur invito domino, cui erant pignori pro mercede fundi; *l. si servus*, §. *locavi*, *ff. de furtis*.

† V. in terminis, *l. qui jumenta*, *ff. eod.*

§. *placuit*.

† V. si facit, & adde *l.* 76. *eod. tit.*

QUi re commodata aliter utitur, quam utendam accepit, furtum non committit, si credat se volente & lubente domino id facere, vel si intellexisset permissurum, quia furtum sine affectu furandi non committitur, ex *hoc* §. *l. inter omnes*, §. *recte*, *l.* † *si pignore*, *ff. de furtis*.

§. *interdum etiam*.

FUrtum proprie fit rerum mobilium, vel se moventium, interdum etiam liberorum hominum furtum fit, veluti si filiusfamilias subreptus sit, patri datur furti actio, ex *hoc* §. *l. eum qui*, §. *si filiusf. ff. de furt.* non matri, quia mater liberos non habet in potestate; *l. mater*, *ff. eod.* Liberi, qui sunt in potestate, a patre non petuntur per vindicationem, sed præjudiciis, id est præjudicialibus actionibus, aut interdictis, id est interdicto de liberis exhibendis & ducendis, aut cognitione prætoris, id est extra ordinem cognitione prætoris, & si vindicentur, non possunt vindicari, nisi adjecta causa, si quis in jure filium suum esse dicit, ex jure Romano, seu jure Quiritum; *l.* 1. §. 2. *ff. de rei vindicat.* Liberorum nomine patri datur furti actio, non condictio furtiva; *d. l. mater*, §. 1. quia condictio furtiva non datur nisi domino; *l.* 1. *ff. de condict. furtiv.* At liberi non sunt in dominio, sed in potestate. Liberi hominis suppressi nomine datur etiam actio de plagio, alia a furti actione; *l. pen. ff. de leg. Fav. de plagiar. l. si abducta*, C. *de furt.* Plagium est suppressio liberi hominis vel servi alieni, translatione ducta a venatoribus, qui plagulas, id est retia tendunt feris capiendis.

§. *aliquando*, §. *unde constat*.

ALiquando etiam rei fuæ furtum committitur, ut si debitor pignus creditori datum subripiat, furti tenetur, ex *hoc* §. *aliquando*, *l. itaque*, §. *sed etsi*, *l. in actione*, §. *ult. l. si debitor*, *ff. de furt. l. si pignore*, *de pigner. act.* Pignore subrepto, creditori datur furti actio, quamvis in bonis ejus non sit, non modo adversus extraneum, sed etiam contra ipsum dominum, quia creditoris interest potius pignori incumbere, quam actionem habere adversus personam debitoris; §. *unde constat*, *& d. l. itaque*, quia plus est cautionis in re, quam in persona; *l. plus cautionis*, *de R. J.*

§. *interdum quoque*.

FUrti tenetur etiam is qui furtum non fecit, nimirum is cujus ope & consilio furtum factum est, veluti qui panno rubro pecus fugavit, ut alius id abigeret, ex *hoc* §. *l. in furti*, §. 1. *& ult. l. si pignore*, §. 4. *ff. de furt. l. si servus*, §. *si quis*, *ad l. Aquil. l. sæpe*, *de V. S.* Furtum fecisse videtur, qui furandi causam præbuit, ut qui occasionem damni dedit, damnum fecisse videtur; *l. qui occidit*, §. *in hac quoque*, *ff. ad l. Aquil.* M-

Tull.

Source : BIU Cujas

Tull. 3. de natur. Deor. *Inde illa actio ope consilioque tuo, furtum ajo factum esse*. Qui per lasciviam pecus fugavit, & occasionem dedit furto, non data opera ut furtum admitteretur, non tenetur furti, sed actione in factum, ex *hoc* §. *l. in furti*, in fin. *ff. de furt.* quia etsi non furti faciendi causa hoc fecit, non debet impune esse ludus tam noxius ; *d. l. in furti*. Qui furandi causa opem non tulit, sed dumtaxat consilium dedit, furti non obligatur, ex *hoc* §. quia consilium non obligat. Liberum est cuique explorare, an sibi expediat consilium nec ne ; *l.* 2. §. *ult. ff. mandat.* Unde consilium non inducit fideicommissum ; *l. cum pater*, §. *mando*, *ff. de legat.* 2. Quod dico consilium non obligare furti, hoc velim intelligas, si furtum secutum non sit ; *l. si quis*, §. *neque*, *ff. de furt.* ubi Ulpian. ait, & opem ferre, & consilium dare tunc nocere, cum secuta contrectatio est.

§. *ii qui in parentum*.

SI filiusf. patri, vel servus domino rem subripiat, uterque furtum facit, & res cadit in causam, id est in vitium, rei furtivæ, nec usucapi potest, priusquam in domini potestatem redierit : sed ex eo non datur actio furti patri, vel domino, quia nec ex ulla alia causa potest inter eos actio dari, ex *hoc* §. *l. ne cum filiof. & seq. ff. de furt. l. actiones, de oblig. & act.* Lis nulla esse potest inter patrem & filium, qui est in potestate, nisi de castrensi peculio ; *l. lis nulla, ff. de judic.* Cur pater cum filiof. furti agere non possit, duplex ratio redditur. Prior, quod natura impedimento sit, quia non magis cum his, quos in potestate habemus, quam nobiscum agere possumus ; *d. l. cum filiof.* Altera est, quod cum pater pro potestate possit filium de furto castigare, minime necesse habet adversum furem litigare ; *l. servi, eod. tit.*

§. *furti autem actio*.

FUrti actio datur ei, cujus interest rem salvam esse, licet dominus non sit, ex *hoc* §. *l. cujus interfuit, l. tum is, ff. de furt.* Subaudi dummodo ex honesta causa interfit ; *d. l. tum is*. Actio furti non datur malæ fidei possessori, licet ejus interfit rem non subripi, quod teneatur de furto, quia nemo de improbitate consequitur actionem ; *l. itaque fullo*, §. 1. *ff. eod.* Si fur vel prædo rem commodaverit, deposuerit, vel pignori dederit, datur ei actio commodati, depositi, vel pigneratitia ; *l. ita ut, ff. commodat. l.* 1. §. *si prædo, l. bona fides*, §. 1. *depositi. l. si pignore.*, §. *si prædo, de pigner. act.* Neque enim his casibus fur & prædo ex improbitate sua adquirunt actionem, sed ex contractu bona fide inito, licet ipsi malæ fidei possessores sint. Furti actio datur, non modo adversus furem, sed etiam adversus quemlibet detentorem rei furtivæ ; *l. si mancipium, C. de rei vindicat. l. incivilem, l. civile, C. de furt.* Jo. Chrysostom. in 1. ad Corinth. Homil. 15. (num. 5.) ταῦτα δὲ καὶ οἱ ἔξωθεν ἴσασι νόμοι, οἳ τοὺς ἁρπάσαντος καὶ ὑφελομένους ἀφέντες ἐκείνους κελεύουσιν ἀπαιτεῖν παρ' οἷς ἂν ἔυροι τις τὰ αὐτῷ κείμενα ἅπαντα. *Hæc autem sciunt etiam leges externorum, quæ iis dimissis qui rapuerunt & abstulerunt, ab illis jubent petere, apud quos tua esse inveneris.* Immo actio furti ita datur adversus quemlibet detentorem rei furtivæ, ut is cogatur restituere rem etiam pretio non recepto, quia cautius negotiari debuit ; *d. l. incivilem*. Excipitur unus casus, nisi palam emerit in foro, vel nundinis. Quo pacto ejus, qui mulierem palam emerat quasi ancillam, factum excusat Sidon. libr. 6. epist. 4. *In negociatoris nostri domo, dominoque palam venundata defungitur, quodam Prudente, hoc viro nomen, quem nunc Tricasibus degere fama divulgat, ignotorum nobis hominum collau-*

Source : BIU Cujas

dante contractum, cujus subscriptio intra formulam nundinarum, tamquam idonei astipulatoris, ostenditur.

§. *item si fullo.*

SI fullo vestimenta polienda, sarcinator sarcienda conduxerit, re furto subrepta, utrique datur furti actio, si in solidum solvendo sit, quia ejus interest rem salvam esse, eo quod domino teneatur actione locati. Quod si solvendo non sit, domino datur actio furti, quia hoc casu ipsius interest rem salvam esse, quod a fullone vel sarcinatore nihil possit consequi, ex *hoc* §. *l. itaque fullo*, *l.* † *fullo* 90. *ff. de furt.* Quo loco notandum, re subrepta, fulloni, si solvendo sit, furti actionem dari, non domino: si solvendo non sit furti actionem redire ad dominum; nam ut ait Ulpian. in *d. l. itaque*, qui non habet quod perdat, ejus periculo nihil est. Bonæ fidei emptori, id est ei qui ignorans rem alienam emit a non domino, re furto subrepta datur furti actio, etsi dominus non sit, quia ejus interest rem subreptam non esse, ex *hoc* §. *& d. l. itaque*. Nimirum ejus interest non amittere possessionem, ut per eam fructus percipere & rem usucapere possit.

§. *quæ de fullone.*

RE commodata subrepta, jure veteri commodatario, si solvendo esset, furti actio dabatur, non domino, ut de fullone & sarcinatore scriptum est; *l. eum qui*, §. *si res*, *ff. de furt.* Sed constitutione Justiniani, quæ est una ex 50. decisionibus, domini electio est agere commodati adversus commodatarium, vel furti adversus furem, alterutra autem actione electa non potest ex pœnitentia ad aliam redire, ex *hoc* §. *& l. ult.* §. 1. *C. de furt.* Ubi plures actiones ejusdem rei nomine competunt, una electa alia perimitur; *l. plura delicta*, *ff. de obligat. & act.*

§. *sed is.*

RE deposita subrepta, depositario non datur furti actio, quia nihil ejus interest, quod non præstat custodiam, id est culpam, sed dolum tantum, sed domino datur furti actio, ex *hoc* §. *l. eum qui*, §. *is autem*, *ff. de furt.* Et ubi depositarius de dolo tenetur, æque non datur furti actio, quia non debet ex dolo suo furti quærere actionem; *d. l. eum qui.*

§. *pen.*

IMpubes furti tenetur, & lege Aquilia de damno injuria dato, si sit proximus pubertati, quia proximus pubertati est capax doli, ex *hoc* §. *l.* † *impuberem*, *ff. de furt. l. sed etsi*, §. *& ideo*, *ff. ad leg. Aquil.* sed mitius punitur; *l. excipiuntur*, *ff. ad Silan. l. pupillum* 111. *de R. J.* & hoc est quod ait Ulpian. ex Juliano in *d. l.* † *impuberem*, impuberem furtum facere posse, si jam doli capax sit, sed modum esse adhibendum, subaudi pœnæ. Et lege 12. tab. constitutum, ut impuberes, qui furtum fecissent, arbitratu prætoris virgis cæderentur, noxiamque a se factam sarcirent; Gell. *libr.* 11. *cap. ult.*

De

Source : BIU Cujas

De vi bonor. raptorum.

CAP. II.

In princ.

RApina etiam est unum e privatis delictis, ex quo nascitur actio vi bonorum raptorum. Hoc interest inter furtum, & rapinam, quod furtum clam & latenter committitur, rapina vi aperta; Hieronym. in Ezechiel. cap. 18. in illa verba: *Per vim nihil rapuerit. Omnis rapina mixta violentia est, nisi enim vis fuerit illata, rapina non proficit.* Ambros. offic. libr. 3. cap. 3. *Servorum occulta furta, divitum rapinæ publicæ.* Et hanc distinctionem signat Ulpian. in *l.* 2. §. *& generaliter, ff. h. tit.* cum ait, ex quibus causis in re clam subrepta furti competit actio, ex iisdem in re vi rapta conceditur actio vi bonorum raptorum. Qui res alienas rapit, tenetur etiam furti, quia est fur improbus, ait Justinianus *init. h. tit.* vel fur improbior, ut scribit Julianus *l.* 2. §. *ceterum, ff. h. tit.* Concurrit igitur actio vi bonorum raptorum cum actione furti, & utraque agi potest, & si prius furti actum, datur actio vi bonorum raptorum, ut consequatur actor quod amplius est in ea; *l.* 1. *ff. h. tit. l. si quis egerit, ff. de furt.* Hoc discriminis est, quod actio vi bonorum raptorum intra annum est quadrupli, post annum simpli, actio furti semper est dupli, vel quadrupuli. Actio vi bonorum raptorum non est mere pœnalis sicut actio furti, sed est mixta, id est partim pœnalis, partim rei persecutoria. Et in actione vi bonorum raptorum quadruplum non totum in pœna est, sicut in actione furti, sed quadruplum continet & rei persecutionem, ut pœna tripli sit, ut docetur *init. h. tit. & §. ex maleficiis, §. vi autem,* infr. *de actionib.*

§. 1.

ACtio vi bonorum raptorum datur, si dolo quis rapuerit; *l.* 2. §. *hac actione* 18. *ff. h. tit.* Rapina, ut furtum, non committitur sine dolo: si quis per errorem rem alienam rapuerit, suam esse existimans, non tenetur vi bonorum raptorum nec furti. Constitut. Imperat. qui rem suam, subaudi ab alio possessam & litigiosam, pendente lite per vim occupat, statim eam restituit priori possessori, & ejus dominio cadit: qui autem rem alienam per vim rapit, rem restituit, & insuper ejus rei æstimationem; *l.* 3. *l. si quis in tantam, C. unde vi, l.* 4. *C. fin. regund.* ubi si quis ante sententiam fines alienæ possessionis interverterit, illico restituit, & præstat tantumdem fundi quam invaserat. Hoc jus jam neglectum restituit Athalaricus Rex Gothorum apud Cassiodor. *var. libr. 9. epist.* 18. Verum jure quo utimur raptor non multatur dominio, sed coercetur arbitrio judicis, & ante omnia compellitur rem restituere, seu redintegrare interdicto unde vi, vel ex *canone* † *redintegranda, 3. qu.* 1.

§. *ult.*

ACtio vi bonorum raptorum datur ei cujus interest, puta commodatario, conductori, creditori pigneratitio, ex *hoc* §. *l.* 2. §. *in hac actione* 22. *ff. h. tit.* unde hic locus descriptus est.

Source : BIU Cujas

De lege Aquilia.

CAP. III.

In princ.

& §. liberum, §. caput secundum, & §. capite tertio.

INTER privata delicta numeratur & damnum injuria datum, quod coercetur lege Aquilia, quæ est lex tribunitia, sive plebiscitum; *l. 1. ff. h. tit.* Quo tempore lata fuerit hæc lex, nescire se fatetur Hottomannus, nec ego plane scio: sed hoc observavi, eam memorari a M. Tull. in Bruto (34.) *L. Cæsulenus fuit, quem ego audivi jam senem, cum ab L. Sabellio multam lege Aquilia de injuria* (sic enim legendum, non ut vulgo, *de justitia*) *petivisset.* Hæc enim actio ea est, quæ dicitur *actio damni injuria*, eidem Tullio pro *Roscio Comœdo.*

Tria sunt capita legis Aquiliæ. Primum est de occiso homine, vel quadrupede, quæ pecudum numero sit, ex quo apparet in lege Aquilia servis exæquari quadrupedes; *l. 2. ff. h. tit.* unde repetitum est *initium h. tit.* & quidem apud veteres servi, adeo parvi pendebantur, ut eorum interitus in damno tantum haberetur; Plinius *libr. 8. epist. 16.* ubi dolet de morte servorum: *Nec ignoro* (inquit) *alios hujusmodi casus nihil aliud vocare, quam damnum.* Tamen de servo occiso non modo datur actio legis Aquiliæ, quæ est civilis; sed etiam criminaliter lege Cornelia agere licet; *§. liberum, l. inde Neratius, §. si dolo, ff. h. tit. l. 3. C. eod.* Secundum caput legis Aquiliæ in desuetudinem abiit: Cujacii suspicio est, hoc caput fuisse de intercepta qualibet utilitate, ut quidam piscator ob captum anthiam piscem ducem gregis, & capturæ conciliatorem, & in macello agnitum a socio, cujus injuria erat, damni dati formula edita decem libris socio damnatus; Plin. *libr. 9. cap. 59.* Tertium caput est de alio quocumque animali præter hominem vel pecudem occiso, vulnerato, & de quacumque re usta, rupta, fracta; *§. caput secundum, & seq. l. si servus, §. hujus legis, & seq. ff. h. tit.*

§. injuria, §. ac ne is quidem, §. itaque, §. item si, §. præterea, §. imperitia.

ACtio legis Aquiliæ est de damno injuria dato. Injuriam accipe, non pro contumelia seu convicio, vel injuriarum actione, sed pro damno culpa dato, seu quod non jure fit; *§. injuria, l. 5. §. injuriam, ff. h. tit.* Et interdum hæ actiones legis Aquiliæ, & injuriarum concurrunt, sed alia est æstimatio actionis injuriarum, alia actionis legis Aquiliæ, quia actio legis Aquiliæ pertinet ad damnum culpa datum, actio injuriarum ad contumeliam; *d. l. 5. §. injuriam, l. item apud Labeonem, §. si quis servo, ff de injuriis:* licet actio quoque injuriarum damni æstimationem contineat, cum injuria atrox est; *l. dominum, C. eod. tit.* Actio legis Aquiliæ, inquam, est de damno culpa dato, ideo qui casu servum occidit sine dolo & culpa, non tenetur lege Aquilia; *§. ac ne is quidem, l. si ex plagis, §. ult. ff. h. tit.* Item si quis in colluctatione, vel in pancratio, vel pugilatu, in publico certamine alium forte occiderit, cessat actio legis Aquiliæ, quia gloriæ causa & virtutis non injuriæ

juriæ gratia, videtur damnum dediſſe; §. *itaque*, *l. qua actione*, §. *ſi in colluctatione*, *ff. hoc tit.* Item ſi putator ex arbore dejecto ramo ſervum alienum transeuntem occiderit, ſi prope viam publicam id factum eſt, neque proclamavit, ut caſus evitari poſſet, ob culpam tenetur actione legis Aquiliæ; §. *item ſi putator*, *l. ſi putator*, *ff. h. tit.* Veteres, ſi quando ex arbore ramum dejicerent, vel e machina opus facerent, vel ex feneſtra aquam funderent, vel quid geſtitarent per viam, prætereuntibus proclamare ſolebant *cave cave*, de quo M. Tull. 2. *de orat.* Petronius in *ſatyrico*, & Suidas in voce ἀπόνιπτρον. Præterea ſi medicus male ſervum ſecuerit, aut noxium medicamentum dederit, tenetur actione legis Aquiliæ, quia medicus præſtat artis peritiam; §. *præterea*, §. *imperitia*, *l. qua actione*, in fin. *ff. h. tit. l. ſi quis domum*, §. *Celſus*, *locati*, *l. illicitas*, §. *ſicuti*, *de officio præſidis*, *l. imperitia*, *de R. J.*

§. *his autem*, §. *illud palam*, & *verſ. ex hoc.*

ACtio legis Aquiliæ non tantum datur quanti hodie res eſt, ſed quanti plurimi fuit eo anno tetrorſum computando: puta actio legis Aquiliæ ſervo alieno occiſo datur, non tantum quanti ſervus fuit cum occideretur, ſed quanti plurimi fuit eo anno retrorſum computando a die quo occiſus eſt. Vnde hæc actio non datur in heredem, cum ſit pœnalis, & in ea actione non ſolum perempti corporis fit æſtimatio, ſed etiam ejus quod intereſt: puta occiſo equo, qui quadrigam demonſtrabat, non tantum fit æſtimatio occiſi equi, ſed & ejus ratio habetur, quo ceteri depretiati ſunt; *l. ait lex*, & *duab. ſeq. ff. h. tit.* unde deſumptus eſt *uterque hic* §. Plerumque enim niſi omnes habere expedit; *l. cum ejusdem*, §. 1. *l.* † *ædiles*, §. *penult. & ult. ff. de ædilitio edicto*. Sic & in condictione furtiva res æſtimatur quanti unquam plurimi fuit, in odium furum; *l. in re furtiva*, *ff. de condictione furtiva*, *l.* 2. §. *quæſitum*, *de privatis delictis*. Quod ſcriptum eſt, in actione legis Aquiliæ rem æſtimari quanti plurimi eo anno fuit, locum habet in primo capite legis Aquiliæ, quod eſt de occiſo ſervo vel quadrupede, nam in capite 3. ejusdem legis, quod eſt de alio quolibet damno, res æſtimatur, non quanti plurimi fuit eo anno, ſed quanti plurimi fuit diebus triginta proximis, id eſt menſe proxime præterito; *verſ. ex hoc*, *l. ſi ſervus*, §. *tertio autem*, *ff. h. tit.*

§. *ult.*

ACtio legis Aquiliæ duplex eſt, directa, & utilis. Directa datur, cum quis proprio corpore damnum dedit. Utilis, cum quis alio modo damnum intulit, quam ſuo corpore: v. g. cum quis ſervum alienum aut pecus ita incluſit, ut fame necaretur: ſed ſi neque corpore, neque corpori damnum datum, ſed alio modo id contigit, veluti ſi quis miſericordia ductus, alienum ſervum vinctum ſolverit ut fugeret, nec directa, nec utilis datur, ſed ſubſidiaria actio in factum; *l. qua actione*, §. *proinde*, *l. ſi ſervum*, in fin. *l. boves*, *ff. h. tit.* Et hoc eſt quod dicitur in fine *d. l. ſi ſervum* in damnis, quæ lege Aquilia non tenentur, in factum dari actionem, id eſt in damnis, ad quæ non pertinet directa vel utilis actio legis Aquiliæ, dari actionem in factum, quæ comparata eſt ad exemplum actionis legis Aquiliæ. Directa actio legis Aquiliæ competit tantum domino. Utilis non domino, puta fructuario & uſuario, etiam contra dominum; *l. item Mela*, §. *ult. & l. ſeq. ff. h. tit. l. arbitrio*, §. *ſi dominus*, *de dolo malo*, *l. ſi plures*, §. *dejectum*, *de vi & vi armat.*

Source : BIU Cujas

De injuriis.

CAP. IV.

In princ.

GENERALITER injuria dicitur omne quod non jure fit, ſpecialiter contumelia, & ita accipitur *h. tit.* alias culpa, ut in lege Aquilia, quæ eſt de damno injuria, id eſt culpa, dato, alias iniquitas, vel injuſtitia. Nam cum prætor vel judex non jure contra quem pronuntiat, injuriam feciſſe dicitur, ut oſtenditur *initio h. tit. & l.* 1. *ff. h. tit.* Atque ita ſi magiſtratus quid per injuriam fecerit, vel quaſi privatus, vel fiducia magiſtratus, injuriarum tenetur *; l. nec magiſtratibus, ff. h. tit.* Et ſi magiſtratus municipalis damnum injuria dederit, tenetur Aquilia, ut ſi pecus pignori captum fame necaverit. Si quid tamen magiſtratus adverſus reſiſtentem violentius fecerit, non tenebitur Aquilia *; l. quemadmodum*, §. *magiſtratus, ff. ad l. Aquiliam*, quo pertinet quod ſcriptum eſt in *l. injuriarum*, §. *quæ jure, ff. h. tit.* quæ jure poteſtatis a magiſtratu fiunt, ad injuriarum actionem non pertinere. Igitur ſi judex injuria id eſt non jure judicaverit, injuriarum conveniri poteſt. Et quod dicitur in *l. pen. ff. de juſt. & jure* prætorem quoque jus reddere dici cum inique decernit, intelligendum eſt relatione facta, non ad id quod prætor fecit, ſed ad illud quod facere debuit.

§. I.

INjuria committitur non ſolum re, puta ſi quis pulſatus, id eſt pugno percuſſus, vel fuſtibus cæſus, vel verberatus erit, ſed etiam verbis, ſi cui convitium factum fuerit, ex *hoc* §. *l. item apud Labeonem*, §. 1. *& §. convicium* 4. *ff. h. tit.* Verberare eſt cum dolore, cædere, pulſare ſine dolore *; l.* 5. §. 1. *ff. h. tit.* Injuria committitur etiam, ſi cujus bona quaſi debitoris, cum nihil deberet poſſeſſa ſint ab eo, qui ſciebat nihil ſibi deberi, ex *hoc* §. Debitore non ſolvente creditor ſolebat mitti in poſſeſſionem bonorum debitoris crediti ſervandi cauſa *; l.* 1. *ff. ex quib. cauſ. in poſſ. eat.* Quod ſi quis dolo & injuria fecerit, ut in alterius, quaſi debitoris, cum nihil deberet bonorum poſſeſſionem mitteretur, vel ſi injuriæ faciendæ cauſa non debitorem, quaſi debitorem compellaverit apud judicem, injuriarum tenetur; *l. injuriarum*, §. *ſi quis per injuriam*, *l. item apud Labeonem*, §. *ſi quis* 33. *ff. h. tit. l.* 1. *&* 2. *C. ut nemini liceat ſine judic. auctorit. ſigna rebus imponere alienis*. Idem juris eſt, ſi quis injuriæ faciendæ cauſa domum abſentis debitoris ſignaverit, id eſt obſignaverit, ſine auctoritate judicis, injuriarum tenetur *; l. ſi injuriæ, ff. h. tit.* Alias injuria non infertur, ſi quis debitorem ceſſantem in ſolutione compellaverit, quia juris executio non habet injuriam *; d. l. injuriarum*, §. 1. Hinc notatur Vitellius, quod adhuc privatus libertino cuidam acerbius debitum repoſcenti, injuriarum formulam, quaſi ab eo calce percuſſus, intendiſſet, nec aliter quam extortis L. H. S. remiſiſſet, ut ſcribit Tranquillus *in ejus vita, cap.* 7. Injuria committitur etiam, ſi quis libellum aut carmen famoſum in alium ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, id eſt publicarit, dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret, ex *hoc* §. *l.* 5. *ſi quis librum*, *ff. h. tit.* Damnatus ob carmen famoſum, famoſus & inteſtabilis eſt *; d. l.* 5. *l. ob* † *carmen famoſum*, *ff. de teſtibus*,

l. is

Source : BIU Cujas

l. is cui lege, qui testamenta facere. Immo constit. Valentin. auctor famosi libelli capitali sententia damnatur; *l. unica, C. de famos. libell.* Injuria & committitur, si quis matremf. aut prætextatum prætextatamve, id est adolescentem vel puellam, qui prætextis togis utebantur, affectatus fuerit, vel ejus pudicitiam attentaverit, ex *hoc §. & l. item apud, §. † si quis virgines, & seq. ff. h. tit.* Aliud est affectari, aliud attentare. Affectari dicitur, qui pudoris tentandi causa tacitus sectatur; attentare, qui blando sermone compellat eodem animo.

§. *patitur*.

INjuria fit per nosmetipsos, aut per liberos, quos in potestate habemus, vel per uxorem: si filiof. vel mulieri nuptæ injuria facta sit, patri & marito datur actio injuriarum; spectat enim ad nos injuria, quæ iis fit, qui potestati nostræ vel affectui subjecti sunt, ex *hoc §. l. 1. §. item aut, l. pater, ff. h. tit. l. 2. C. eod.* Patri scilicet datur actio injuriarum prætoria propter injurias illatas liberis, quos habet in potestate, non actio legis Corneliæ de injuriis, filio vero datur actio legis Corneliæ; *l. 5. §. illud quæritur, ff. h. tit.* Et filiusf. nullam habet actionem suo nomine, nisi injuriarum; *l. filiusf. 9. ff. de oblig. & act.* Patri ita competit actio injuriarum propter injuriam factam filio, ut possit eam remittere, nisi tam vilis abjectaque sit persona patris, ut ferendum non sit eum filii contumeliam insuper habere; *l. sed si unius, §. interdum, ff. h. tit. l. si cum dotem, §. † nec non illud, solut. matrim.* Quod si viro injuria facta sit, uxori non datur injuriarum actio, quia defendi uxores a viris, non viros ab uxoribus, æquum est, ex *hoc §. in fin. & l. 2. ff. h. tit.* vel alia ratione, quod turpe sit mulierem in foro videri litis causa; *l. maritus, C. de procurat. l. optimam, C. de contrahend. & committ. stipulat.*

§. *pœna*.

LEge 12. tab. pœna injuriarum ob membrum ruptum, id est corruptum, erat talionis, propter os vero fractum erat pœna nummaria, id est quinque & viginti assium, quasi in magna veterum paupertate, ut scribit Gellius *libr. 20. cap. 1.* id est hujusmodi pœna exiguior erat propter penuriam rei nummariæ, sed ea in desuetudinem abiit, tot victoriis crescente auri & argenti copia, cùm modici æris pœna non valeret ad coercendos homines ab injuriis inferendis, ut de Lucio Neratio narrat Gellius ex Labeone, eum per ludum in os occurrentium alapam impegisse, & statim per servulum, qui pone sequebatur cum crumena plena assium, quinque & viginti asses adnumerasse secundum 12. tab. Desuetudine sublata hujusmodi pœna, jure prætorio pœna injuriarum constituta est arbitrio prætoris, ita ut permittente prætore actor injuriam æstimaret, tum judex tanti reum condemnaret, quanti injuriam passus æstimasset, vel minoris prout ei visum erat, ex *hoc §.* Injuriam passo, injuriam æstimare permittitur, quia actio injuriarum vindictam proprii doloris persequitur, ut de actione legis Juliæ de adulteriis scriptum est *l. filiumf. ff. ad legem Juliam de adulteriis*. Nec supervacua & inanis est injuriæ æstimatio, quæ fit ab eo qui passus est, quia etsi non imponat judici legem seu necessitatem ejus sequendæ, tamen potest movere judicem, qui vel tanti reum condemnavit, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit; nam injuriarum actio ex bono & æquo introducta est; *l. non solum, §. 1. ff. h. tit.* Et hoc genus pœnæ iujuriarum a prætoribus introductum, in judiciis frequentari docet Justinianus *hoc loco*, ex quo intelligimus, id usu receptum hac ætate.

Source : BIU Cujas

§. *sed & lex.*

LEge Cornelia etiam datur actio injuriarum, quod quis pulsatus verberatusve, domusve ejus vi introita sit, ex *hoc* §. *& l.* 5. *ff. h. tit.* Injuria fit, si cujus domus vi introita sit, quia vis inferri videtur, quod domus tutissimum cuique refugium sit ; *l. plerique, ff. de in jus voc.*

§. *atrox.*

IN actione injuriarum condemnatio fit pro atrocitate & modo injuriæ. Atrox injuria æstimatur re seu facto, loco, vel persona. Re, veluti si quis vulneratus, vel fustibus cæsus sit: loco, veluti si cui in theatro vel in foro, vel in conspectu prætoris injuria facta sit : persona, puta si senatori, vel magistratui, parenti, patronove injuria facta sit, ex *hoc* §. *l. prætor*, §. *ult. & l. seq. ff. h. tit. & l.* 4. *C. eod.* qua rescriptum est, atrocem injuriam fieri, si tibi illata est cum esses in sacerdotio, & dignitatis habitum & ornamenta præferres. Atrox injuria est, quæ fit magistratui ob contemptam majestatem prætoris, unde magistratus potest coercere eos, qui gesserint se insolentius. Et si magistratus servum alienum, honorem ornamentaque petulanter † adtentantem, cæciderit, non tenetur injuriarum ; *l. item apud*, §. *unde quærit, ff. h. tit.* Et hoc jure usum Severum cum esset legatus proconsulis Africæ, auctor est Spartian. in ejus vit. *Acta igitur quæstura Sardinienſi, legationem proconsulis Africæ accepit, in qua legatione, quum eum quidam municipum suorum Leptitanus præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebejus amplexus esset, fustibus eum sub elogio ejusdem præconis cæcidit. Legatum P. R. homo plebejus temere amplecti noli.* Immo magistratus non potest remittere injuriam factam, cum fungeretur officio ; Asconius Verrina tertia : *qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti † Majestatis læsæ reus est.* Idem juris in Principe ; Attejus Capito Tiberio apud Tacit. 3. annal. *Sane lentus in suo dolore esset, reip. injurias ne largiretur.* Episcopus tamen pro vindicta propriæ injuriæ, quem excommunicare prohibetur ; can. *inter querelas*, 23. *qu.* 4. quod ægre ferunt quam plures Episcopi ; Badegisilus Cenomannensis Episcopus apud Gregor. Tur. libr. 8. cap. 39. *Num ideo* (inquit) *quia clericus factus sum, ultor injuriarum mearum non ero.*

§. *in summa.*

INjuriarum causa est inter privata delicta ; *l.* 7. *& ult. C. h. tit.* Tamen de injuriis, vel civiliter, vel criminaliter agi potest. Si civiliter agatur, pœna reo imponitur æstimatione facta arbitrio iudicis, ex *hoc* §. *l. constitutionibus, ff. h. tit.* Si autem criminaliter, officio judicis extraordinaria pœna reo irrogatur, ex *hoc* §. *l. qui injuriarum, l. ult. ff. h. tit.* Reus injuriarum extra ordinem damnatur, & quidem si servus sit flagellis cæditur, si liber humilior fustibus subjicitur, si honestior relegatione seu exilio temporali, vel interdictione certæ rei, seu amotione ordinis, id est curiæ seu senatus municipalis ; *d. l. qui injuriarum, & d. l. ult.* Civilis injuriarum actio per procuratorem intendi potest ; *l. licet*, §. 1. *ff. de procur. l. non solum*, §. 2. *ff. h. tit.* Criminalis, non nisi per se, nisi in illustribus vel superillustribus viris, quibus per procuratorem licet actionem injuriarum criminaliter persequi vel suscipere, id est defendere, ex *hoc* §. *& l. ult. C. h. tit. l. quicumque, C. de procurat.*

§. *ult.*

Source : BIU Cujas

§. *ult.*

ACtio injuriarum pacto tollitur, & semel remissa contrario non restituitur; *l. non solum*, §. 1. *ff. h. tit. l. si tibi*, §. *quædam*, *l. si unus*, §. *pactus*, *de pact.* Injuriarum actio remittitur pacto, vel jurejurando, quod habet vim pacti; *d. l. non solum*, §. 1. puta his verbis, *nollem dictum*, *nollem factum*, vel jurejurando, si is, qui injuriam fecit, juraverit injuriam passum temere lacessitum; Terent. in Andria. *Novi ego vestra hæc*, *nollem factum*, *jusjurandum dabitur te esse indignum injuria hac*. Et ibi Donatus: *Verba enim satisfaciunt*, *nollem dictum*, *nollem factum*, *nam sæpe iræ*, *ac lites jurejurando sunt terminatæ*. Item actio injuriarum dissimulatione aboletur, id est si injuriam passus statim eam ad animum non revocaverit, ex *hoc* §. *& d. l. non solum*. Et hoc est quod Quintil. 9. instit. cap. 2. ait, *maledicta non intelligere*. Senec. 2. de ira, cap. 32. *Injuriam non agnoscere*. Actio injuriarum, inquam, dissimulatione aboletur, id est silentio annali, quia injuriarum actio intra annum præscribitur; *l.* 5. *C. h. tit.* Et semel remissa injuriarum actio non potest pœnitentia revocari, ex *hoc* §. *& d. l. non solum*, quia actio injuriarum ex bono & æquo introducta est, nec æquitas actionis patitur, actionem injuriarum semel remissam repeti; *d. l. non solum*. Hinc si minor actionem injuriarum remiserit, non restituitur, quia beneficium in integrum restitutionis in executionibus pœnarum, id est in actionibus pœnalibus, locum non habet; *l. auxilium*, *ff. de minorib.* Ita & querela inofficiosi qualibet pactione vel dissimulatione aboletur, & semel remissa non instauratur; *l. Papinianus*, *l. nam etsi*, §. 1. *ff. de inoffic. testam. l.* 1. *C. de in integr. restit. minor.* quia querela inofficiosi imitatur actionem injuriarum, quæ facile dissimulatione aboletur. Injuriarum actio etiam heredi & in heredem non datur, nisi lis fuerit contestata a defuncto vel in defunctum; *l. si* † *eum*, §. *qui injuriarum*, *ff. si quis cautionib. l.* 2. §. *emancipatus*, *de collat. bonor.* quia actio injuriarum est pœnalis, & vindictam doloris potius quam pecuniam persequitur. Apposite Valentinian. in *nov. de libert. & succeff. eor.* scribit, eum, qui agit actione injuriarum, agere causam doloris, M. Tull. pro Cæcin. (12.) *Actio injuriarum non jus possessionis assequitur*, *sed dolorem imminutæ libertatis*, *judicio*, *pœnaque mitigat*. Nimirum ingenui hominis libertas imminuta videtur, qui injuriam passus sit, quia indignum est libero homine injuriam pati impune.

De oblig. quæ quas. ex delict. nascunt.

CAP. V.

In princ.

EXPOSITIS obligationibus ex delicto, nunc agitur de obligationibus ex quasi delicto. Si judex litem suam fecerit male judicando per imprudentiam, non tenetur proprie ex delicto, neque ex contractu, sed quia culpa non caret, (imprudentia enim species est culpæ) tenetur quasi ex delicto in quantum ea de re religioni judicantis æquum visum fuerit, ut ostenditur *init. h. tit. l.* 5. §. *si judex*, *ff. de oblig. & act. l. ult. de extraord. cognit.* Et quidem si male judicaverit per imprudentiam, tenetur actione in factum extraordinaria; *d. l. ult.* quia omnes actiones in factum sunt extraordinariæ; *l. quæ religionis*, *ff. de rei vindic.* Quod si judex dolo malo perperam judicaverit, id est per gratiam,

Source : BIU Cujas

inimicitias, vel sordes, ei, quem læsit, tenetur in veram æstimationem litis; *l. filiusf. §. 1. ff. de judic. l. ult. C. de pœn. judic. qui mal. judic.* Et sententia judicis periculi appellatione intelligitur, quod judicem in periculum adducat, si male judicaverit. Ita nonnullis concepta est rubrica C. *de sentent. ex periculo recitandis.* Et M. Tull. Verrina 5. dixit *pericula magistratuum*. In Gallia judex litem suam facit tribus his casibus, si per gratiam, inimicitiam, aut sordes.

§. I.

IS, cujus ex cœnaculo quid dejectum effusumque est, quod alicui noceret, non tenetur proprie ex maleficio, quia plerumque ob alterius culpam tenetur, & in jure spectantur ea, quæ plerumque eveniunt, sed tenetur quasi ex maleficio ex edicto de dejectis & effusis, ex *hoc §. l. 5. §. is quoque 5. ff. de oblig. & act. l. 1. de his qui effud. vel dejec.* Cujus ex cœnaculo quid dejectum effusumve est, tenetur in duplum, ex *h. §. & d. l. 1.* Quod constitutum propter viarum publicarum securitatem, quia publice interest sine metu & periculo per itinera commeari; *d. l. 1. §. † summa*. Cujus e cœnaculo, quid dejectum effusumque est, quo homo liber occisus, 50. aureis multatur: si aliter ei nocitum est sine periculo vitæ, damnatur arbitrio judicis, ex *hoc §. & d. l. 1.* In hac vero litis æstimatione judex computare debet mercedes medicis præstitas, ceteraque impendia, quæ in curatione facta sunt, & operas quibus caruit cariturusve est, ob id quod inutilis factus est, ex *hoc §. in fin. & l. ult. ff. de his qui effud. vel dejec.* Edictum prætoris conceptum est de dejectis & effusis e cœnaculo, quia plerumque eveniebat, ut aliquid dejiceretur, vel effunderetur e cœnaculo, quæ est superior pars ædium; *l. 3. §. 7. ff. uti possidetis*, quia e cœnaculis projiciebantur tabulata, quæ Græci vocant ἐκθέτας vel ἐξώστρας, nostri projecta solaria, vel mœniana, a nomine auctoris; Hieronym. in Ezechiel. cap. 40. ἐκθέτας *autem Romæ appellant, solaria de cœnaculorum parietibus eminentia*, sive mœniana, *ab eo qui ea primus invenit, quæ nonnulli Græcorum* ἐξώστρας *vocant.* Qui vero ea parte, qua vulgo iter fit, id positum aut suspensum habet, quod potest alicui nocere, quasi ex delicto decem aureis multatur, ex *hoc §. & d. l. 5. §. is quoque, d. l. 1. de his qui effud. vel dejec.*

§. *si filiusf.*

SI filiusf. seorsim a patre habitaverit, & quid ex ejus cœnaculo dejectum effusumve fuerit, sive quid positum suspensumve habuit, cujus casus periculosus est, in patrem non datur actio de peculio, quia hæc actio oritur tantum ex contractu filiif. sed actio datur in ipsum filium, quasi ex delicto, ex *hoc §. l. 5. §. is quoque 5. ff. de oblig. & act. l. 1. §. si filiusf. de his qui effud. vel dejec.* Filiusf. enim ex omnibus causis tamquam paterf. obligatur; *l. filiusf. 39. ff. de oblig. & act.* Si filiusf. judex datus litem suam faciat perperam judicando, pater non potest conveniri de peculio, sed ipse obligatur quasi ex delicto, ex *hoc §.* & filiof. condemnato in actione judicati, pater potest conveniri de peculio, & tenetur quatenus est in peculio: & hoc est quod ait *l. filiusf. ff. de judic.* filiumf. judicem, si litem suam fecerit, teneri quatenus est in peculio, quia pater ob delictum filii non potest conveniri de peculio ante sententiam: tamen si filiusf. volente aut non contradicente patre magistratum aut decurionatum gesserit, pater in solidum obligatur, quasi fidejussor pro filio; *l. 2. ff. ad municipal. l. 7. de administr. rer. ad civitat. pertinent.*

§. *ult.*

Source : BIU Cujas

§. ult.

EXercitor navis, cauponæ, aut ſtabuli tenetur de damno, aut furto, culpa eorum, quorum opera navem, cauponam, aut ſtabulum exercet, ex *hoc §. l. 5. §. ult. ff. de oblig. & act.* Ex eisdem cauſis tenetur & actione facti prætoria, quæ heredi quidem datur, adverſus heredem vero non datur, ex *hoc §. l. 3. §. 1. l. pen. §. in factum, ff. naut. caupon.* quia his caſibus pœnalis actio eſt. Actio ex facto eſt actio ex delicto, veluti furto, injuria damno dato; *l. actionum, ff. de oblig. & act.* Pœnales autem actiones non dantur in heredem; *l. 16. ff. de judic. l. 35. de oblig. & act.*

De actionib.

CAP. VI.

In princ.

QUia obligatio eſt mater actionis, prius expoſitæ ſunt obligationes omnis generis, nunc ordine naturali decurrit Juſtinianus ad actiones, quæ nascuntur ex obligationibus. Actio autem nihil aliud eſt, quam jus perſequendi in judicio quod ſibi debetur, ut definitur a Juſtiniano *init. h. tit.* ex Celſo in *l. nihil aliud, ff. de oblig. & act.* Hæc definitio videtur propria actionis in perſonam, qua perſequimur quod nobis debetur, non actionis in rem, quia quod ſemel noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri non poteſt: ſed tamen hæc definitio comprehendit actionem tam in rem, quam in perſonam. Ac ne dubitemus, eam communem eſſe utriusque actionis, Celſus, qui eſt auctor hujus definitionis, ait, *actionem nihil aliud eſſe, quam jus &c.* quibus verbis ſatis innuit, hanc eſſe perfectam actionis definitionem. Ut hoc verbum, *quod ſibi debetur*, non modo refertur ad id quod debetur ex mutuo, vel ſtipulatu, vel alio contractu, ſed latius comprehendit quodcumque peti poteſt, ex quacumque cauſa, & quacumque actione, ſive in rem, ſive in perſonam. Et aliis locis, verbum debuit, omnem omnino actionem comprehendit; *l. pecuniæ 178. §. 3. ff. de V. S.* Ait, actionem eſſe jus perſequendi in judicio, hoc eſt coram pedaneo judice, nam actiones dantur a prætore, & judex his addicitur, & exercentur in judicio, id eſt coram judice dato a prætore; *l. a divo Pio, ff. de re judicat.*

§. I.

ACtionum ſumma diviſio eſt in duo genera, aut enim in rem ſunt, aut in perſonam. Actio in perſonam eſt, quæ naſcitur ex contractu vel maleficio, nimirum omnes actiones ex contractu ſunt perſonales. Actio in perſonam, inquam, ea eſt, qua actor intendit adverſarium ſibi dare vel facere oportere. Actio in rem eſt, qua actor rem ab alio poſſeſſam ſuam eſſe intendit, ex *hoc §. l. actionum, l. actionis, ff. de oblig. & act. l. pecuniæ 178. §. 2. de V. S.* Actio in perſonam eſt ea, quæ concipitur in perſonam, quæ convenit perſonam, non rem, & condictio appellatur; *d. l. actionum.* Condictio nihil aliud eſt, quam in diem certum denunciatio; *§. appellamus, infr. h. tit.* ubi dicetur. Actio in rem ea eſt, quæ concipitur in rem, & convenit rem ipſam non perſonam, & dicitur vindicatio; *d. l. actionum*, & magis proprie petitio; *d. l. pecuniæ, §. actionis*, quia per eam, rem noſtram, quæ ab

Source : BIU Cujas

alio possidetur, petimus, unde hæc fuit solemnis formula vindicationis : ego eum fundum meum esse ajo ; *l.* 1. *ff. de rei vindicat. l.* † *unic.* §. 1. *si quis jus dicent. non obtemperaver. l. non alias*, §. *sed si postulatur*, *de judic.* M. Tull. pro Muræn. *Fundus*, *qui est in agro*, *qui Sabinus vocatur*, *eum ego ex jure meum esse ajo*. Et vindicationi seu judicio in rem judex a prætore addicitur, his solemnibus verbis : *si paret fundum Titii esse*. M. Tull. Verrin. 4. ubi proponit formulam vindicationis a Verre editam, cum prætura fungeretur in Sicilia : *Si judicium sit ejusmodi L. Octavius judex esto, si paret fundum Capenatem, quo de agitur, Servilii esse*. Olim vindicatio ex duodecim tabulis fiebat consertis manibus in re præsenti apud prætorem, sed postquam prætores piguit ob occupationes in agrum descendere vindiciarum causa, moribus receptum, ut gleba fundi proposita in jure apud prætorem, solemnia vindicationis in ea exercerentur, tamquam in toto fundo ; Gell. *libr.* 20. *cap.* 9. Hoc jure Gregorium Thaumaturgum litis arbitrum sumptum duos inter fratres, in judicio in rem, in locum, de quo controversia etat, juris causa descendisse, scribit Gregorius Nyssen. in ejus vit. γίνεται δὲ ἡ δίκης κύριος ὁ διδάσκαλος, ᾧ κατὰ τὸν τόπον γενόμενος, τοῖς ἰδίοις αὐτῶ νόμοις ἐχέχρητο πρὸς τὴν δίαιταν, *litis fit dominus magister, qui cum ad locum de quo controversia erat, venisset, suis ipsius legibus utebatur ad judicium*. Hujus actionis solemnitates in usu esse desierunt, postquam formulæ actionum sublatæ sunt a Costantino ; *l.* 1. *&* 2. *C. de formul. sublat.* Multis tamen post sæculis eadem formula vindiciarum in re præsenti, de quadam vinea disceptatum in causa monasterii Floriacensis, auctor est Adrevald. Floriacensis de miracul. S. Benedicti libr. 1. cap. 18. *Advocatus vero una cum Raganario ad locum cessionis terræ, juxta morem legis, adveniens, prædictam vineam ad jus sancti Benedicti sua auctoritate revocare nitebatur*. Hæc autem actio datur domino contra possessorem ; *d. l. actionum*, *l. qui petitorio*, *ff. de rei vindicat. l.* 1. *C. ubi in rem act.* unde possessio parit in rem actionem ; *l. pignoris*, *ff. de pignorib. l.* † *unic. C. de alienat. judic. mutandi causa facta*. Et actio in rem ex præsenti possessione est ; *l. non alias*, §. *ult. de judic.* Actio in rem, inquam, non datur adversus alium, quam possessorem, vel eum, qui dolo desiit possidere ; *d. l. actionum*, *l. sin autem*, §. *sed &* † *is*, *l. qui petitorio*, *de rei vindicat.* quia dolus pro possessione est ; *l. qui dolo*, *de R. J.* Immo in actione in rem, actoris est probare se esse dominum, & actore non probante, reus, id est possessor, licet justam tenendi causam nullam habeat, absolvitur ; *l. ult. C. de rei vindicat.* & hoc est commodum possessionis, de quo in §. *retinendæ*, infra, *de interdictis*, *& l. is qui destinavit*, *ff. de rei vindicat.*

§. *æque*.

ACtio in rem datur non tantum de rebus corporalibus, sed etiam de rebus incorporalibus, quæ in jure consistunt, puta de servitutibus tam personalibus, quam realibus, de usufructu, quæ est servitus personalis. Et de servitutibus rusticis & urbanis, quæ sunt servitutes reales, duplex competit actio in rem, confessoria, & negatoria seu negativa. Confessoria est, quæ datur ei, qui asserit usumfructum vel servitutem sibi deberi, hoc modo, ajo jus mihi esse utendi fruendi tuo fundo, vel eundi agendi per tuum fundum, projiciendi immittendi in tuum parietem. Negatoria est, quæ negat usumfructum vel servitutem deberi, veluti, nego jus tibi esse eundi agendi per meum fundum, vel altius tollendi, ex *hoc* §. *l.* 5. *ff. si ususfruct. petat. l.* 2. *si servit. vindic.* & ea dicitur contraria actio ; *l. sicuti autem*, *ff. eod.* quia opponitur confessoriæ, & contra vindicat libertatem servitutis. Igitur de rebus incorporalibus, puta de servitutibus, duplex est actio, confessoria, & negatoria. At de rebus corporalibus nulla prodita est actio negativa ; nam in his, inquit Justinianus,

Source : BIU Cujas

nus, is agit qui non possidet, id est in rebus corporalibus actio in rem non datur alii, quam ei qui non possidet, & datur domino adversus possessorem: ei vero qui possidet, subjicit Justinianus, non est prodita actio, per quam neget rem actoris esse, id est possessori rei alienæ, convento actione in rem, non datur actio in rem negatoria, per quam negative affirmet rem suam esse, negando rem actoris esse, quia nullus effectus hujusce actionis. In actione enim in rem actori incumbit onus probandi rem suam esse, & actore non probante, reus seu possessor absolvitur, etiam si nullam possidendi causam habeat; *l. ult. C. de rei vindicat.* quod in pari casu melior sit conditio possidentis; *d. l. 5. si usufr. petat. l. in pari causa, de R. J.* Subjicitur in *fine h.* §. sane uno casu qui possidet actoris partes obtinet, aperte depravatus est hic locus, & recte jam restitutus adjecta negativa, ut legatur, sane non uno casu. Multi enim sunt casus, quibus possessor actoris partes sustinet, & in exceptionibus reus actoris partibus fungitur, ita ut ei incumbat onus probandi exceptionem suam; *l. in exceptionibus, ff. de probat. l. 1. de except.* & non unum casum esse intelligere licet ex eo, quod ait Justinianus, id ex latioribus digestorum libris opportunius apparere, quæ tam lata area non proponeretur de uno casu.

§. *sed istæ*, § *namque*.

ACtionum tam in rem, quam in personam, aliæ sunt civiles, aliæ honorariæ seu prætoriæ; §. *sed istæ, l. actionum*, in fin. *ff. de oblig. & act.* Civiles sunt, quæ ex legitimis & civilibus causis descendunt; *d.* §. *sed istæ*, id est quæ lege 12. tab. quæ est fons totius juris civilis, vel aliis legibus SC. aut constitutionibus institutæ sunt. Actiones prætoriæ sunt, quas prætor ex sua jurisdictione comparatas habet; *d.* §. *sed istæ.* Id est quæ non jure civili, sed jure prætorio comparatæ sunt; *d.* §. *sed istæ.* Actiones civiles dicuntur directæ, prætoriæ utiles; §. *namque, l.* † *actionis, de oblig. & act.* Civiles dicuntur directæ, quia ex recto jure descendunt, id est ex verbis legis. Directum nihil aliud est quam rectum, ut directus paries; M. Tull. in topic. *Omnibus est jus parietem directum ad parietem communem adjungere.* Actiones vero prætoriæ dicuntur utiles, quia utilitatis id est æquitatis causa comparatæ sunt a prætore deficientibus civilibus actionibus; *l. quamvis*, §. *si convenerit, ff. ad Vellejan. l. si heres*, in princ. *ad Trebell.* Utilitas pro æquitate; Horat. 1. sermon. satyr. 3.

Atque ipsa utilitas, justi prope mater & æqui.

Actio in rem civilis, seu directa datur tantum domino, id est ei, qui contendit se esse dominum ex jure Quiritium; §. *namque, l. 1. ff. de publician.* Utilis actio in rem, seu publiciana est, quæ datur ei, qui a non domino rem traditam bona fide accepit ex justa causa adquirendi dominii, puta ex causa emptionis, donationis, dotis, aut legati, & nondum usucepit, si ejus rei possessionem casu amiserit, & datur adversus quemcumque possessorem extraneum, non adversus dominum, nisi causa cognita; §. *namque, d. l. 1. de publician.* Et hujusmodi utilis actio in rem datur ei, qui nondum usucepit, hoc colore quasi usuceperit. Quamvis enim re vera non impleverit usucapionem, tamen juris intellectu fingitur usucepisse, ad hoc ut utilis actio in rem ei accomodetur, quia actio publiciana comparata est ad exemplum directæ actionis in rem, seu vindicationis; *l. in honorariis, ff. de oblig. & act.* Et hoc est quod ait *l. 7.* §. *publiciana, ff. de publician.* publicianam actionem ad instar proprietatis, non ad instar possessionis respicere, id est ad instar civilis in rem actionis, quæ de proprietate & dominio movetur, non ad instar actionis in rem, quæ nudam possessionem avocat, ut actio in rem hypothecaria, seu utilis Serviana; *l. si quis servum, ff. de noxalib. act. l. si cum venditor, de*

Source : BIU Cujas

evict. Et hæc actio publiciana appellatur a Publicio prætore, qui primus eam adinvenit, & edicto suo proposuit; §. *namque*, & *d. l.* 1. *de publician.*

§. *rursus.*

SI quis cum reip. causa abesset, puta militiæ, vel legationis causa, vel in hostium potestate esset, rem ejus qui in civitate erat usuceperit; qui enim reip. causa abest, vel in potestate hostium est, si per servum, aut filium possideat, ex causa peculiari usucapere potest; *l. ait prætor*, §. 1. & 3. *ff. ex quibus caus. major.* eo reverso ex legatione, seu militia, vel ab hostibus, domino licet intra annum rescissa usucapione rem suam petere, quasi usucapta non sit, ex *hoc* §. & *l.* 1. *ff. ex quib. caus. major.* quæ actio dicitur rescissoria, quia rescissa usucapione a prætore per restitutionem in integrum datur domino; *l. nec non*, §. *pen.* & *ult. ff. eod. l. nullo*, C. *de rei vindicat. l. ab hostibus*, C. *de postlim. revers.* Hæc actio rescissoria datur præsenti contra absentem reip. causa, vel captivum, qui usucepit, quod res ab absente usucapta, quia non fuit cum quo ageretur, & cum quo usucapio interrumperetur; *l. item ait prætor*, §. *hæc autem*, *ff. ex quib. caus. major. l. cum quidam*, §. *si pupillo*, *de usur.* Hæc actio rescissoria datur intra annum a die reversionis & postliminii, & anno finitur, quia rescissa usucapione contra jus civile a prætore datur; *l. in honorariis*, *ff. de oblig.* & *act.* quod usucapio semel impleta, jure civili rescindi non potest. Hæc actio rescissoria datur intra annum, id est intra annum utilem, hodie intra quadriennium, post constitutionem Justiniani, qua annus utilis commutatus est in quadriennium continuum; *l. ult. C. de tempor. in integr. restit.* Hoc genus actionis rescissoriæ datur & aliis casibus, qui exponuntur in *l. sed etsi*, §. *ult. ff. ex quib. caus. major.* Et eo pertinent verba edicti, si qua alia mihi justa causa videbitur.

§. *item si quis.*

SI quis in fraudem creditorum rem tradiderit ex justa causa adquirendi dominii, puta emptionis, venditionis, donationis, bonis ejus a creditoribus possessis ex sententia præsidis, id est creditoribus missis in possessionem bonorum debitoris ex secundo decreto, creditoribus licet, rescissa traditione, eam rem petere, quasi tradita seu alienata non sit, & in bonis debitoris manserit, *ex hoc* §. *l. pen. C. de revocand. his quæ in fraud. cred.* Ubi Impp. ajunt, actionem in factum dari creditoribus revocandi causa res alienatas, bonis possessis atque distractis, & hinc nascitur actio rescissoria, quæ connumeratur inter actiones in rem. Aliæ sunt actiones revocatoriæ eorum, quæ gesta sunt in fraudem creditorum, nempe actio Pauliana, Faviana, & Calvisiana, sed hæ sunt personales. Actio Pauliana est, per quam revocantur alienata vel gesta in fraudem creditorum; *l.* 1. *ff. quæ in fraud. creditor.* M. Tull. 1. ad Attic. epist. 1. *Cæcilius avunculus tuus, a P. Vario cum magna pecunia fraudaretur, agere cœpit cum ejus fratre Caninio Satyro de iis rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret.* Faviana, & Calvisiana est, per quam revocantur alienata a liberto in fraudem patroni; *l.* 1. in princ. & § † *pen. l.* 3. *ff. si quid in fraud. patron.* Actione Pauliana revocantur alienata vel gesta quæque in fraudem creditorum, quasi nihil alienatum esset. Ac proinde in actione Pauliana veniunt fructus percepti etiam ante litem contestatam; *l. ait prætor* 10. §. *per hanc actionem*, & §. *præterea*, *ff. quæ in fraud. creditor. l. videamus*, §. *in Faviana*, *de usur.* Interdicto fraudatorio quoque revocantur alienata vel gesta in fraudem creditorum, de quo fit mentio in *l. si postulante*, §. 1. *ff. ad Trebell. l. pupilli*, *de solut.* Sed hoc inter alia distat ab actione Pauliana, quod

actio

Source : BIU Cujas

actio Pauliana revocat dominium rei alienatæ, ſuam in fraudem, in poteſtatem debitoris. Interdictum fraudatorium vindicat poſſeſſionem; interdicta enim ſunt judicia poſſeſſoria, quibus agitur de poſſeſſione, non de proprietate.

§. *item Serviana.*

SErviana actio eſt in rem prætoria, quæ auctorem habet Servium prætorem, & datur domino fundi locati in rebus coloni, quæ jure pignoris pro mercede fundi ei tenentur, ex *hoc* §. id eſt Serviana eſt actio pigneratitia, quæ datur domino fundi ad avocandam poſſeſſionem rerum, quæ invectæ illatæ ſunt in prædia ruſtica a conductore fundi, pro mercede locationis, videlicet ſi ita convenerit, ut invecta illata pignori eſſent, nam invecta illata in prædia urbana, ſunt quidem tacite pignori pro penſionibus ædium, etiam ſi nihil nominatim convenerit, at in prædiis ruſticis, invecta illata non ſunt pignori pro mercede, niſi ex pacto expreſſo, quia ſatis cautum videtur domino fundi locati, ex eo quod in prædiis ruſticis, fructus qui ibi naſcuntur tacite pignori ſunt; *l. eo jure, l. in prædiis, ff. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. l. certi juris, C. locat. l. ſi ſervus, § locavi, ff. de furt.*

Serviana actio eſt quidem actio in rem, ſed quæ nudam poſſeſſionem avocat; *l. ſi cum venditor, ff. de evict. l. pignoris, de pignorib.* De rebus coloni pro penſione pignori obligatis, non tantum Serviana actio, ſed etiam interdictum Salvianum competit; *l. 1. ff. de Salvian. interdict. l. 1. C. de precar. §. adipiſcendæ*, infr. *de interdict.* Hoc intereſt inter Servianam actionem, & interdictum Salvianum, quod Serviana actio datur etiam contra tertium poſſeſſorem rerum coloni pignori obligatarum, interdictum Salvianum datur tantum contra conductorem fundi; *d. l. 1. C. de precar.*

Quaſi Serviana autem eſt actio in rem prætoria, quæ datur creditori pigneratitio, ſeu hypothecario amiſſa poſſeſſione ad avocandam poſſeſſionem pignoris vel hypothecæ, ex *hoc* §. cui nomen ex eo, quod ſit inſtituta ad exemplum Servianæ, unde & utilis Serviana dicitur; *d. l. 1. C. de precar. l. 1. §. cum prædium, ff. de pignorib.* & interdum etiam Serviana; *l. ſi creditor, C. de pigner. act.* plerumque autem hypothecaria, ut ait Juſtinianus *hoc loco*. Pignus autem quoad hypothecariam actionem nihil differt ab hypotheca, pignus enim & hypotheca promiſcue accipiuntur pro re pignori obligata pro debito, ſeu pro ſecuritate debiti, ex *hoc* §. Et hoc eſt quod dicitur *in l. 5. §. 1. ff. de pignorib.* pignus ab hypotheca non differre, niſi nudo nominis ſono, ſc. quod ad hypothecariæ actionis formulam, cujus eadem eſt in utroque vis & poteſtas. Tamen hoc diſcriminis eſt inter pignus & hypothecam, quod proprie pignus contrahitur re & traditione, hypotheca nuda conventione, ex *hoc* §. *l. contrahitur, ff. de pignorib., l. plebs eſt, de V.S.* §. *creditor*, ſupr. *quib. mod. re contrahitur obligat.* unde pignus eſt, quod transfertur ad creditorem. Hypotheca eſt, cum rei obligatæ poſſeſſio non tranſit ad creditorem; *l. ſi rem, §. proprie, l. cum & ſortis*, §. 1. *ff. de pigner. act.* Et pignus proprie conſiſtit in re mobili, ex *hoc* §. unde pignus dictum eſſe placet tamquam a pugno; *d. l. plebs eſt*, & pignus datur ea lege, ut ſoluta mutua pecunia reddatur; Hieronym. in cap. 86. epiſt. ad Epheſios: *pignus vero hoc eſt ἐνέχυρον, pro mutua pecunia opponitur, ut cum illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus a creditore reddatur.* Hypotheca autem proprie conſtituitur in re immobili. Hypothecæ ſunt res, quæ nuda conventione obligatæ ſunt, ſed ſi committantur, id eſt ſi debitor non ſolvat, creditori traduntur, quam in ſententiam M. Tull. 13. epiſt. (56.) *Præterea Philotes Alabandenſis ὑποθήκας Cluvio dedit. Hæ commiſſæ ſunt. Velim cures, ut aut de hypothecis decedat, easque procuratoribus Cluvii tradat, aut pecuniam ſolvat.* Et ita pignus ab hypothecis diſtinxit Ambroſ. de

Source : BIU Cujas

Tob. cap. 12. *Nummus datur, & fœnus appellatur, sors dicitur, caput vocatur, syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecas flagitat, pignus usurpat.*

§. *in personam*, §. *de constituta*.

SUnt & actiones in personam prætoriæ, ut actio constitutæ pecuniæ, actio de peculio, & actio ex jurejurando. Actio constitutæ pecuniæ est actio in personam ex prætoris edicto introducta, quæ nascitur ex pacto de solvenda pecunia a se vel alio debita: constituere enim nihil aliud est, quam nudo pacto sine stipulatione creditori promittere se certa die soluturum, quod jam a se vel alio debetur in diem; *l.* 1. 2. *& l. eum qui, ff. de constitut. pecun.* Constitutum enim sua natura confertur in diem, & concipitur per verba futuri temporis; Terent. in Hecyra: *Nam constitui cum quodam hospite, me esse illum conventurum.* Quintilian. declam. 12. *Cur famem non ad constitutum diem tulimus.* Unde & constitutum idem sonat, quod diem condictum; M. Tullius, 7. epist. 4. *Quare si quod constitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas.* Constitutum igitur est pactum de pecunia jam debita solvenda; constitutum enim sine causa non valet, id est nisi debitum præcedat; *l.* 3. §. *si quis autem, l. item illa*, §. *quod adjicitur, ff. de constit. pecun.* Et constitutum non novat priorem obligationem, sed ei accedit; *d. l. item illa*, §. *ult. cum l. seq.* Actioni constitutæ pecuniæ similis erat receptitia actio, quæ dabatur tantum contra argentarios seu mensarios, qui pecuniam vel alias res quaslibet apud se depositas se soluturum certa die constituerant; *l.* 2. *C. de constit. pecun.* cujus rei vestigium extat in *l.* 6. §. *rationem, ff. de edend.* Apud argentarios enim pecuniæ deponi solebant fœnoris causa; *l. quod privilegium, ff. deposit. l. si res, de administr. tutor.* Ambros. in psalm. 36. *Non ligavit in sudario quod acceperat, sed nummulariis erogavit, & quod erogaverat cum usuris recepit.* Et mox: *oportuit te pecuniam meam committere nummulariis.* Sed constit. Justiniani actio receptitia sublata est, & transfusa in actionem constitutæ pecuniæ; *d.* §. *in personam, & d. l.* 3. Constitutæ pecuniæ reus seu constitutor comparatur fidejussori, quod promittit se soluturum, non tantum quod a se, sed & ab alio debitum. Unde & beneficium divisionis epistolæ D. Adriani, introductum propter fidejussores & mandatores, locum habet in reos constitutæ pecuniæ; *l. ult. C. de constit. pecun.* Sed constitutum hoc differt a fidejussione, quod fidejussio non interponitur sine stipulatione; *l. blanditus, C. de fidejuss.* At constitutor nudo pacto obligatur citra stipulationem; *d. l.* 1. *&* §. *de constituta*. Et specialis est casus, ut detur actio constituti ex pacto, contra *l. juris gentium*, §. *sed* † *cum nulla, ff. de pact.*

§. *actiones*.

EX contractu filiif. vel servi datur actio prætoria adversus patrem dominumve, ex *hoc* §. *l.* 1. & passim, *ff. de pecul.* id est creditori peculiari, qui cum filiof. vel servo habente peculii administrationem contraxit, datur actio de peculio in patrem dominumve. Peculium est, quod filiusf. vel servus, patris vel domini permissu, separatum habet a rationibus paternis vel dominicis, deducto inde si quid patri vel domino debetur; *l.* 4. *init. l.* 5. §. *ult. ff. eod.* Peculium enim est veluti patrimonium filiif. vel servi; *l. si ex duobus, l. peculium, ff. eod. &* † *hoc* §. Dico quasi patrimonium, nam peculii proprietatem retinet pater vel dominus, & solam ejus administrationem habet filiusf. vel servus; supr. *quib. non est permissum facere testam. init. l. quis ergo, ff. de pecul.* Augustin. in psalm. 49. *Si enim servus meus es tu, totum peculium meum est.* Unde peculium uni ex liberis concessum, confertur in di-

in divisione bonorum patris ; *l. certum*, C. *famil. erciſc. l. ſi donatione*, C. *de collat.*

Filiif. peculium dividitur in paganicum, caſtrenſe, & quaſi caſtrenſe ; *l. ult.* C. *de inoff. teſtam.* Caſtrenſe eſt, quod filiof. quæſitum eſt occaſione armatæ militiæ ; *l. ſi filiusf.* C. *famil. erciſc. l. ult.* C. *de collat. l.* 1. C. *de caſtrenſ. pecul. libr.* 12. Quaſi caſtrenſe eſt, quod filiof. obvenit ex militia civili, puta militia forenſi, ſeu advocatione, vel militia ſacra ; *l.* 4. C. *de advocat. diverſ. judicior. l.* †. *proximis*, C. *de proxim. ſacr. ſcrin. l. cum lege*, C. *de Epiſc. & cleric.* vel ex donatione Principis, vel Auguſtæ ; *l. cum multa*, C. *de bon. quæ liber.* Peculium paganicum aliud eſt profectitium, aliud adventitium. Profectitium eſt, quod profectum eſt ex re patris, vel ab alio donatum contemplatione patris ; *l. profectitia*, *ff. de jur. dot. l. dotem*, *de collat. bonor.* Adventitium eſt, quod filiof. aliunde acceſſit, quam a patre, puta a matre, vel avo materno, vel alio extraneo, vel ex negotiatione & induſtria propria ; *l. cum oportet*, C. *de bon. quæ lib.* ut adventitia hereditas, quæ ab extraneo obvenit ; Aſcon. in Verrin. 3. *Adventitia*, *quia ab alieniore hereditas veniebat.*

†. Lex iſta deſideratur. Extant *ll.* *proximos* 1. & 8. v. ſ faciunt.

Quæ in patrem datur actio de peculio ex contractu filiif. non habet locum in caſtrenſi peculio, quia filiusf. in caſtrenſi peculio pro patre f. habetur ; *l.* 2. *ff. de Maced.* Neque in quaſi caſtrenſi, cum nec in eo pater jus ullum habeat ; *d. l. cum oportet*, neque in adventitio, quia cum in eo ſolus uſusfructus patri adquiratur, is ejus nomine non poteſt conveniri, niſi velut adminiſtrator ; *d. l. cum oportet.* Relinquitur ergo, ut ad profectitium peculium ſolum hæc actio pertineat ; cum enim illud in bonis patris ſit, ejusque adminiſtratio dumtaxat filio credita ſit, æquum eſt ex contractu filiif. patrem obligari actione de peculio, quatenus eſt in peculio. Ex contractu filiif. pater jure civili non obligatur ; *l.* 1. C. *ne fil. pro patre*, *l. unic.* C. *ut null. ex vican.* Sed jure prætorio obligatur actione de peculio, quatenus eſt in peculio, & hæc actio introducta eſt ex bono & æquo, quod æquum ſit, patrem ex contractu filiif. ex cauſa ſc. peculiari habito, teneri de peculio, quod eſt veluti patrimonium filiif. ex *hoc* §. Ex contractu filiif. duo obligantur, filiusf. in ſolidum, quippe filiusf. ex omnibus cauſis obligatur tamquam paterf. *l. filiusf.* 39. *ff. de oblig. & act. l. tam ex contractibus*, *de judic.* pater dumtaxat de peculio ; *l. ſi quis cum filiof. ff. de pecul.* At pater vel dominus non tenetur actione de peculio, niſi deducto eo, quod patri vel domino debetur ; *l.* † *pen.* C. *quod cum eo qui in alien. poteſt. eſt*, quia peculium non computatur, niſi deducto eo quod patri, vel domino debetur ; *l.* 5. §. *ult. l. ſed ſi*, §. *peculium*, *ff. de pecul.* Et hæc in filiisf. Alia eſt ratio ſervorum, quia ſervus ex contractu nullomodo obligatur civiliter, quippe qui eſt incognitus juri civili. Quia vero ex contractu obligatur naturaliter, dominum obligat de peculio ; *l. ſervi*, *l. obligari*, *ff. de oblig. & act.*

§. *item ſi quis* 11.

SI actor poſtulante adverſario, id eſt deferente jusjurandum, juraverit pecuniam ſibi deberi, reo non ſolvente actori datur actio in factum ex jurejurando, in qua non quæritur amplius an pecunia debeatur, ſed an juratum ſit, ex *hoc* §. *l. nam poſtquam*, §. 1. *ff. de jurejurand.* Ex jurejurando, quod pars parti defert in judicio, vel extra judicium, datur actio in factum prætoria ex jurejurando, quia jusjurandum habet vim transactionis & pacti conventi ; *l.* 2. *l. admonendi*, in fin. *ff. de jurejurand.* & rei judicatæ, quia qui defert jusjurandum adverſario, eum in cauſa ſua judicem facit ; *l.* 1. in princ. *ff. quar. rer. act. non datur*, *l. ult.* C. *de fideicommiſſ.* Quintil. 5. inſtit. cap. 6. *At is qui defert jusjurandum agere modeſte videtur*, *cum litis adverſarium judicem faciat*, *& eum cujus cognitio eſt onere liberet*, *qui profecto alieno jurejurando*

Source : BIU Cujas

ſtari, quam ſuo maluit. Et ſpeciale eſt, quod ex jurejurando datur actio, licet ex pacto non detur actio, quia qui actori defert jusjurandum, cum eo quaſi contrahere intelligitur, & ex jurejurando verborum obligatio contrahitur; *l. & per jusjurandum, ff. de acceptilat.* Si actor deferente jusjurandum adverſario, juraverit pecuniam, quam peteret, ſibi deberi in actione ex jurejurando, non quæritur an pecunia debeatur, ſed an juratum ſit, quia res jurejurando deciſa pro veritate habetur, propter fidem & religionem jurisjurandi; *l. poſt rem, ff. de re judic.* Ita ſi debitor, delato a creditore jurejurando, juraverit dare non oportere, non quæritur an debeatur, id eſt an pejeraverit, ſed an juraverit; *l. 5. §. dato jurejurando, ff. de jurejurand.* Eamque ob cauſam Laberius dixit, jusjurandum eſſe emplaſtrum æris alieni, apud Gell. *libr. 16. cap. 7.*

§. *pœnales.*

ETiam pœnales actiones prætoris edicto conſtitutæ ſunt, ut actio albi corrupti, quæ in eum datur, qui album prætoris corrupit, ex *hoc* §. Si quis edictum prætoris, jurisdictionis perpetuæ cauſa in albo propoſitum, dolo malo corruperit, in eum datur 50. vel ſi mavis legere cum Hottomanno 500. aureorum judicium, quod populare eſt; *l. ſi quis id quod, ff. de jurisd.* Utram lectionem tuearis, pœna albi corrupti gravior eſt. Et quod † Sthenium ob corruptas tabulas, a Verre 500. ſeſtertiis novo modo nullo exemplo multatum ſcribit M. Tull. Verr. † 2. 38. non eo pertinet, quod modus multæ durior videtur, ſed quod prætor novo genere multam addixiſſet Veneri Erycinæ, ut clarius intelligitur ex ipſis verbis Tull. quæ ſic ſe habent: *pronuntiat, Sthenium litteras publicas corrupiſſe videri: & hæc præterea addidit homo venerius, novo modo, nullo exemplo ob eam rem H. S. quingenties Veneri Erycinæ de Sthenii bonis exacturum.* Actio albi corrupti eſt pœnalis, quia per eam contempta majeſtas prætoris vindicatur; *l. ſi familia, ff. de jurisdict.* Eadem eſt popularis, id eſt cuilibet e populo patet, quia publice intereſt edictum prætoris non corrumpi, quod palam in foro propoſitum erat, ut omnibus notum eſſet, quonam ex edicto prætor eo anno jus dicturus eſſet.

Eſt etiam alia actio in factum pœnalis, ſi quis parentem vel patronum, vel parentes aut liberos patroni, ſine venia prætoris in jus vocaverit, & in eum datur 50. aureorum judicium, ex *hoc* §. *& §. ult.* infr. *de pœn. temere litigant. l. 4. l. ſi libertus, l. pen. & ult. ff. de in jus vocand. l. actionum, de oblig. & act.* Ne parentes & patroni in jus vocarentur ſine venia prætoris, conſtitutum eſt propter reverentiam, quæ parentibus & patronis debetur. Quod autem de liberis dicitur hoc edicto, pertinet ad liberos emancipatos, quia liberis, qui in poteſtate ſunt, omnino adverſus patrem experiri non licet. Emancipati vero non prohibentur agere adverſus patrem, petita prius venia prætoris; *l. lis nulla, ff. de judic. l. pen. C. de in jus vocand.*

Item in factum actio datur adverſus eum, qui in jus vocatum vi exemerit, ex *hoc* §. *l.* 1. & paſſim, *ff. ne quis eum qui in jus vocab. vi eximat.* Hæc actio eſt pœnalis, quia datur in eum qui exemit, quanti actor juratus eam rem, de qua controverſia erat, æſtimaverit; *l. 5. §. 1. ff. eod.* Ita & adverſus eum qui dolo fecit quominus quis judicio ſe ſiſteret, in factum actio competit, quanti actoris interfuit eum ſiſti; *l. 3. ff. de eo per quem fact. erit quomin. quis in judic. ſiſtat.*

§. *præ-*

Source : BIU Cujas

§. *præjudiciales.*

PRæjudicia proprie actiones non ſunt, unde præjudicium ab actione diſtinguitur in *l. ſed & hæ* 35. §. 2. *ff. de procurat. l.* 1. §. 2. *de rei vindic.* ubi liberi, qui ſunt in poteſtate, non petuntur actione in rem, ſed præjudiciis aut interdictis, aut extra ordinem cognitione prætoria. Tamen actionis nomine continentur præjudicia *; l. actionis, ff. de oblig. & act.* &, ut ait Juſtinianus *hoc loco*, actiones in rem eſſe videntur. Præjudicia non ſunt proprie actiones in rem, quia actio in rem eſt actio de re privata, quæ in bonis & in commercio eſt, at cauſa ſtatus ſeu libertatis, quæ vertitur in præjudiciali actione, eſt publica, ſed in rem actiones videntur, quia imitantur actionem in rem, & per modum actionis ordinantur. Actionum præjudicialium tres ſpecies proponuntur *hic*. Prima eſt, ſi quæratur, an quis ſit liber, an ſervus. Secunda, ſi quæratur, an quis ingenuus ſit, vel libertus. Tertia, quæ eſt de partu agnoſcendo, id eſt de liberis agnoſcendis, an quis ſit ex liberis, ex *hoc* §. *l. adoptivum*, §. 1. *ff. de in jus vocand. l.* 1. *de rei vindic. l. quotiens* 18. *de probat. l.* 3. §. 2. *de liber. agnoſc. l. Lucius, de condit. & demonſtrat. l. ult. ſi ingen. eſſe dicatur*. Hæ actiones præjudiciales dicuntur, quia plerumque alii cauſæ præjudicium afferunt, & prius judicari oportet, & ſunt quædam cognitiones, quæ præmittuntur majori cauſæ, ob quam cauſam præjudicium ſeparatur a judicio M. Tull. Verr. 1. *de quo non præjudicium, ſed plane judicium jam factum putatur*. Et Ambroſ. de interpellat. libr. † 3. cap. 3. *Non enim patitur præjudicium, cui non eſt judicium*. Ut ſi quis tamquam filius defuncti agat actione in rem petitione hereditatis, & negetur eſſe filius, prius quæritur, an ſit filius, & cauſa ſtatus prius agitur *; l. ſi quis libertatem, ff. de petit. hered. l.* 2. & paſſim, C. *de ordin. cognit.* quia cauſa ſtatus præjudicium facit petitioni hereditatis. E præjudicialibus actionibus prior, quæ eſt de ſtatu ſeu libertate, eſt civilis, ceteræ prætoriæ, ut addit Juſtinianus *hoc loco*.

§. *ſic itaque.*

ACtio in perſonam eſt, quæ perſonam non rem convenit, per quam actor intendit, adverſarium ſibi dare facere oportere *; l. actionum, ff. de oblig. & act.* & concipitur hoc modo *: Ajo te mihi dare facere oportere*. Actio in rem eſt, per quam res ipſa non perſona convenitur *; l. Imperatores, ff. de publican. l. denique, de jur. fiſc.* Eaque eſt, per quam actor intendit rem ſuam eſſe, & concipitur in hanc formulam *: Ajo rem ex jure Quiritum meam eſſe ; d. l. actionum*. Itaque qui rem ſuam eſſe intendit, non poteſt agere eam ſibi dari oportere, quia dandi verbum dominii translationem inducit, nec poteſt uſurpari in re noſtra petenda; quod enim ſemel noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri non poteſt, ut ait Juſtinianus *hoc loco, & in* §. *ſed ſi rem*, ſupr. *de legat.* Sane domino datur actio in furem rei furtivæ condicendæ, ſeu recipiendæ cauſa, quæ dicitur condictio furtiva, eſtque actio in perſonam, qua actor intendit eam rem ſibi dari oportere. Sed hujusmodi actio inſtituta eſt odio furum, quo pluribus actionibus teneantur, ut ait Juſtinianus *hoc loco*; furti enim nomine dantur tres actiones, vindicatio, condictio furtiva, & actio furti, quæ eſt pœnalis *; l. ſi pro fure, ff. de condict. furtiv.* Condictio furtiva in eo concurrit cum vindicatione, quod petit rem ipſam *; d. l. ſi pro fure*. Sed quia res extantes vindicantur, conſumptæ condicuntur, cum furi hac actione convento rem conſumptam reſtituere per rerum naturam impoſſibile ſit, agitur condictione furtiva, non ut fur rem reſtituat, quod impoſſibile eſt, ſed ut da-

Source : BIU Cujas

mnetur in id quod intereſt, ſive ut præſtet litis æſtimationem; *l. ei qui furti* 1 *ff. de furt.*

§. *appellamus.*

ACtiones in rem proprie vindicationes appellantur; *d. l. actionum*. Vindicationi nomen a vi, quia vindicatio fiebat conſertis manibus in re præſenti, & in ea vis quædam adumbrata & imaginaria fiebat, quam civilem & feſtucariam appellat Gellius *libr.* 20. *cap.* 1. quæ verbo diceretur, non quæ manu fieret, & quam moribus fieri dixit M. Tull. *pro Cæcin.* quia ex uſu recepto judiciorum fiebat, litis ordinandæ grâtia. Actiones in perſonam proprie condictiones appellantur; *d. l. actionum*. Hoc erat commune nomen omnium actionum in perſonam, quod priſca lingua condicere idem ſonat quod denunciare, ut ait Juſtinianus *hoc loco*. Feſtus, *Condicere* (inquit) *eſt dicendo denunciare, condictio in diem certum, ejus rei quæ agitur denunciatio*. Plin. in præfat. ad Veſpaſ. *Cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo.* Et Martian. Cappella libr. 3. *Tunc Juno condicit propter prædictorum thalamum juvenum, & nuptialia peragenda, uti poſtridie omnis ille Deorum ſenatus diluculo convenirent*, quam vocem a jure augurali deſumptam indicat Servius in illud. 3. Æneid. (117.) *Tertia lux claſſem &c. Hoc quidem juxta ſpeciem auguralem poſitum tradunt, quæ appellatur condictio, id eſt denunciatio, cum denunciatur, ut ante diem tertium quis ad inaugurandum adſit*. Denunciatio autem ſolemnis præcedebat citationem, ſeu in jus vocationem, id eſt acturus in perſonam litem denunciabat ei, cum quo acturus erat in certum diem, priusquam eum in jus vocaret. Adeoque nihil intentatum relinquebatur litis vitandæ cauſa, ſæpius acturus jurisconſultum adibat, eumque rogabat, ut adhiberet operam, quo lis futura componeretur, ut patet ex *l. quidam Hiberus, ff. de ſervitut. urban.* ubi conſultor talibus Proculum affatur: *Qua de re volo cum Hibero loquaris, ne rem illicitam faciat*. Hodie vero actiones in perſonam abuſive condictiones appellantur, ait Juſtinianus *hoc loco*, quia jam ea ætate, hujusmodi ſolemnis litis denunciatio obſoleverat, & conſtit. Arcadii & Honorii introductum erat, ut lites inſtituerentur, omiſſis denunciationum ambagibus; *l. pen. C. Th. de denunciat.*

§. *ſequens*, §. *rei perſequendæ.*

ALiæ actiones ſunt rei perſecutoriæ, aliæ pœnales, aliæ mixtæ. Rei perſecutoriæ ſunt, quæ rei perſecutionem continent, id eſt quibus perſequimur quod patrimonio nobis abeſt; *l. in honorariis, ff. de oblig. & act.* Pœnales ſunt, quæ non rem ſed pœnam perſequuntur. Mixtæ ſunt, quæ partim rei, partim pœnæ perſecutoriæ ſunt, ex *hoc* §. Actiones rei perſecutoriæ ſunt in rem vel in perſonam. In rem veluti actio in rem, ſeu vindicatio. In perſonam veluti omnes actiones deſcendentes ex contractu; *l. actionum, ff. de oblig. & act.* quæ rei perſecutionem continent, ut condictio certi ex mutuo, actio ex ſtipulatu, actio commodati, depoſiti, mandati, pro ſocio, empti, venditi, locati. Et quidem actio depoſiti voluntarii eſt mere rei perſecutoria; ex depoſito enim voluntario datur actio in ſimplum, ex depoſito autem neceſſario, quod tumultus, incendii, ruinæ, naufragii cauſa depoſitum ſit, competit mixta actio partim pœnalis, partim rei perſecutoria, nempe datur actio in duplum adverſus depoſitarium vel heredem ejus, quod dolo ipſius factum eſt, ex *hoc* §. *l.* 1. §. 1. *& ſeqq. l. de eo, ff. depoſit.* In depoſito ex neceſſitate inficiator tenetur in duplum, quod cum ex neceſſitate depoſuerit, creſcit perfidiæ crimen; *d. l.* 1.

§. *ex*

Source : BIU Cujas

§. *ex maleficiis.*

ACtionum, quæ naſcuntur ex delicto ſeu maleficio, aliæ ſunt mere pœnales, id eſt quæ ſolam pœnam perſequuntur, aliæ mixtæ, id eſt quæ tam rem quam pœnam perſequuntur, ut actio furti manifeſti, vel non manifeſti. Quæ eſt furti manifeſti in quadruplum, furti nec manifeſti in duplum. Utraque pœnam tantum perſequitur, quia datur ſalva actione in rem, & condictione furtiva, ex *hoc* §. *l. ſi pro fure*, *ff. de condict. furtiv. l. ſi pignore*, §. *cum furti actio*, *de furt. l. ult. C. de noxalib. act.* Actio vi bonorum raptorum, quæ eſt in quadruplum, mixta eſt, id eſt partim pœnalis, partim rei perſecutoria, nam in quadruplo ineſt & rei perſecutio, pœna autem tripli eſt, ex *hoc* §. *&* §. 1. ſupr. *vi bonor. rapt.* Actio legis Aquiliæ adverſus confitentem eſt in ſimplum, adverſus inficiantem in duplum; *l. inde Neratius*, §. *hæc actio*, *ff. ad leg. Aquil.* Et hoc eſt quod ait *l. item veniunt*, §. *cum prædiximus*, *ff. de petit. hered.* actionem legis Aquiliæ inficiatione creſcere in duplum. Hæc actio utroque caſu mixta eſt, non ſolum ſi in duplum agatur, ſed & interdum ſi in ſimplum, veluti ſi ſervus claudus aut luscus occiſus ſit, qui eo anno integro majoris pretii fuit; tanti enim æſtimatur, quanti eo anno plurimi fuit, ex *hoc* §. *&* §. †. 9. ſupr. *de leg. Aquil. l.* 2. & paſſim, *ff. eod.* Item actio ex teſtamento, quæ datur contra heredem ſcriptum legati vel fideicommiſſi SS. eccleſiis vel aliis locis piis relicti nomine, mixta eſt, daturque in duplum, in quo res vel pecunia & pœna continetur duobus caſibus. Primus eſt, ſi reus inficiatus ſit legatum vel fideicommiſſum. Secundus ſi in ſolvendo moram fecerit usque quo in jus vocaretur, ex *hoc* §. *&* §. *ſed furti*, infr. *h. tit. &* §. *ult.* ſupr. *de oblig. quæ quaſ. ex contract.* Jure noviſſimo, ſi heres intra annum a die conventionis non impleverit voluntatem defuncti, tota hereditas ei auferetur non deducta falcidia, & poſt omnes defertur fiſco; *nov.* 1. *de hered. & falcid.* Unde ſumpta eſt *auth. hoc amplius*, *C. de fideicommiſſ.* Quod non ſervari in Gallia, ſed heredem ob moram condemnari ad multam, refert Rebuff. in conſtitutiones regias, *tit. de ſentent. proviſionalib. in præfat. num.* 88.

§. *quædam actiones.*

ACtiones mixtæ, ſunt quædam actiones, tam in rem, quam in perſonam, quales ſunt actio familiæ erciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum. Hæ actiones ſunt tam in rem, quam in perſonam, quia, præter rem, perſonales præſtationes perſequuntur, ut de actione finium regundorum dicitur in *l.* 1. *ff. fin. regund.* actio in perſonam, licet pro vindicatione rei eſt, id eſt licet principaliter ſit vindicatio finium. Idem dicitur de actione familiæ erciſcundæ; *l. item Labeo*, §. *familiæ* 4. *ff. famil. erciſc.* in judicio familiæ erciſcundæ venire res & præſtationes, quæ ſunt actiones perſonales. Idem de actione communi dividundo, in judicio enim familiæ erciſcundæ, & communi dividundo, ſi res commode dividi non poſſit, poteſt judex eam in ſolidum adjudicare uni ex coheredibus vel conſortibus, & eum condemnare alteri in certam quantitatem pecuniæ, quanti pars eſt; *l. ſi familiæ* 55. *ff. famil. erciſc.* Ut in judicio finium regundorum, ſi fines dirimi non poſſint, judex poteſt controverſiam dirimere per adjudicationem, & condemnationem; *l.* 2. *&* 3. *ff. fin. regund.* Et hoc eſt quod ait Juſtinianus *hic*, in his judiciis permitti judici, rem uni ex litigatoribus ex æquo & bono adjudicare, & eum certa pecunia alteri condemnare, quod idem repetit in §. *ſi familiæ*, infr. *de offic. judic.* Hoc intereſt, quod actio finium regundorum pro vindicatione rei eſt;

Source : BIU Cujas

d. l. 1. *ff. fin. regund. l. si fines*, *C. de evict.* id est in judicio finium regundorum, quæstio est inter affines de proprietate finium, utroque sibi vindicante ampliores fines, unde in *l.* 3. *C. fin. regund.* dicitur quæstionem de finibus regundis, proprietatis controversiæ cohærere. In hanc rem Apulejus 6. metamorphos. *In causa finali de proprietate soli, immo viæ erciscundæ contendentes.* At in judicio familiæ erciscundæ, & communi dividundo, nulla est actio inter coheredes, vel consortes de proprietate rerum, sed de communione hereditatis, vel rerum dirimenda, uterque fatetur adversarium sibi esse coheredem, vel † consortem; *l. qui familiæ*, *l. si quid*, *l. fundus qui dotis*, §. 1. *ff. famil. ercisc. l.* 1. §. 2. *vers. etsi possessor, si pars heredit. petat.* Alia ratione hæ tres actiones mixtæ sunt, quia in his uterque est actor & reus; *l. actionis*, *ff. de oblig. & act.* id est uterque sustinet partes actoris & rei; *l. judicium* 10. *ff. fin. regund. l.* 2. §. *in familiæ*, *l. inter coheredes*, §. *qui familiæ*, *ff. famil. ercisc. cap.* 3. *de probat.* In his tamen magis placet eum videri actorem, qui prior ad judicium provocavit, sed si ambo simul ad judicium provocent, sorte res discernitur, ut sciatur quis sit actor vel reus; *l. in tribus*, *& seq. ff. de judic.*

Actio familiæ erciscundæ est, quæ datur coheredibus, de hereditate dividenda, ut ait Justinianus *hoc loco*. Hæc actio profecta est ex lege 12. tabularum, ut res hereditariæ dividantur inter coheredes; *l.* 1. *ff. famil. ercisc.* Hac actio dicitur familiæ erciscundæ, id est hereditatis dividundæ, a verbo ercisci, quod est dividere; Fest. in verb. *Erctum citum*, unde stoici philosophi dicuntur erciscundi, quod plerumque medias sententias inter alios sequuntur; Servius in 3. Æneid. *Erciscundi, id est medium sequuti.* In judicio familiæ erciscundæ veniunt res universæ hereditatis, judex familiæ erciscundæ nihil debet indivisum relinquere; *l. heredes*, §. *judex*, *ff. famil. erciscund.* Et si quid forte indivisum reliquerit, judicium familiæ erciscundæ non restituitur, nisi causa cognita ex justa causa, sed agitur judicio communi dividundo, de re quæ indivisa remansit; *l.* †. *si tibi*, §. *ult. l. ex parte*, *ff. famil. erciscund. l.* 4. §. *hoc judicium*, *commun. dividund. l.* 8. *C. de collat.* In hoc judicium veniunt nomina hereditaria activa, seu passiva, non ut dividantur, quia ipso jure divisa sunt inter coheredes ex 12. tabulis, sed officio judicis assignantur singulis heredibus; *l.* 2. *&* 3. *ff. famil. ercisc.*

† *L.* ista sub *h. t.* desideratur. Adde *l.* 20. §. 4. *eod. tit.*

Actio communi dividundo est, quæ datur de re communi dividunda inter eos, inter quos communis est, ex *hoc* §. *& l.* 1. *ff. commun. dividund.* Hæc actio eo distat ab actione familiæ erciscundæ, quod actio familiæ erciscundæ pertinet ad divisionem rerum universarum, communi dividundo actio pertinet ad divisionem rerum singularum, quam ob causam Justinianus ait *hoc loco*, judicium communi dividundo reddi inter eos, inter quos aliquid commune est: & circa discrimen harum actionum ludit Apulejus 9. metamorph. *Sed plane cum uxore mea partiario tractabo, nec erciscundæ familiæ, sed communi dividundo formula dimicabo &c.* Item actio communi dividundo hoc differt ab actione pro socio, quod actio pro socio magis ad personales invicem præstationes pertinet, quod sit personalis actio; actio autem communi dividundo etiam pertinet ad communium rerum divisionem, hoc est non solum res persequitur, sed etiam præstationes personales; *l.* 1. *ff. commun. divid.* Hoc etiam interest, quod actio pro socio est actio ex contractu, ex societate voluntaria, actio communi dividundo ex quasi contractu, nempe ex societate necessaria, quæ re contrahitur; §. *item si*, supr. *de oblig. quæ quasi ex contract. nasc. l. heredes*, §. *non tantum*, *ff. famil. ercisc.*

Finium regundorum actio est, quæ redditur inter eos, qui confines agros habent, ex *hoc* §. Hæc actio est in rem, & personam: in rem quatenus per eam meum dominium vindico: in personam quatenus, si fines dirimi non possint,

Source : BIU Cujas

ſint, judex poteſt rem uni adjudicare, & eum condemnare, ut certam pecuniam præſtet alteri.

§. *omnes*, §. *in ſimplum*.

OMnes actiones ſunt in ſimplum, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum, nulla actio datur ultra quadruplum; §. *omnes*. Actiones in ſimplum ſunt veluti actio ex ſtipulatu, actio mutui quæ dicitur condictio certi, actio empti, venditi, locati, conducti, mandati, & aliæ; §. *in ſimplum*. Ratio dubitandi fuit, quod actio empti, natura ſua datur in id quod intereſt emptoris; *l. Julianus*, in princ. *l. Titius* 43. *ff. de act. empt. l. ſi in venditione, de evict.* & id quod intereſt ut plurimum excedit ſimplum, id eſt rei æſtimationem, quia in æſtimatione ejus quod intereſt, æſtimatur damnum datum, & lucrum interceptum: ſed facilis eſt ſolutio. Omnes actiones dicuntur dari in ſimplum, quæ nominatim a lege non dantur in duplum, etſi ex eventu & ex litis æſtimatione perveniant ad duplum, uti actio empti eſt in duplum ſi in modo agri venditor emptorem deceperit; Paul. 1. *ſent.* 19. M. Tull. 3. offic. *Nam cum ex* 12. *tab. ſatis cautum eſſet, ea præſtari, quæ eſſent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus eſſet dupli pœnam ſubiret*. Res vendita per mancipationem, ſi evincatur, venditor tenetur in duplum.

§. *in duplum*, §. *ſed furti*.

ACtiones in duplum ſunt, veluti actio furti nec manifeſti, actio legis Aquiliæ, actio depoſiti ex quibusdam cauſis, actio ſervi corrupti, actio legati eccleſiæ vel pio loco relicti; §. *in duplum*. Furti nec manifeſti actio eſt in duplum; *l. in furti, ff. de furt.* Et hæc actio eſt omnino in duplum; §. *ſed furti*, id eſt etiam adverſus confitentem. Actio legis Aquiliæ adverſus confitentem eſt in ſimplum, adverſus inficiantem in duplum; *l. inde Neratius*, §. *hæc actio, ff. ad leg. Aquil. l. item veniunt*, §. *cum prædiximus, de petit. hered.* Actio depoſiti ex quibusdam cauſis, puta cum incendii, ruina, tumultus, naufragii cauſa depoſitum eſt, adverſus inficiantem eſt in duplum, in confitentem in ſimplum; §. *ſed furti*. Item actio ſervi corrupti eſt in duplum, & hæc actio eo differt ab actione legis Aquiliæ, quod hæc omnino, etiam adverſus confitentem, eſt in duplum, Aquilia autem adverſus inficiantem tantum eſt in duplum; §. *ſed furti, l. doli*, §. *hæc actio, l. ſi quis ſervum*, §. 2. *ff. de ſerv. corrupt.* In hac actione non extra rem duplum eſt; id enim quod damni datum eſt duplatur; *l. ut tantum*, §. *in hac, ff. eod.* In hac actione etiam rerum æſtimatio deducitur, quas ſervus fugiens abſtulit, quia omne damnum duplatur; §. *in duplum*, *l. in hoc judicium, ff. de ſerv. corrupt.* De ſervo corrupto datur directa actio, de filiof. corrupto datur utilis actio officio judicis æſtimanda, quia noſtra intereſt liberorum noſtrorum animos non corrumpi; *d. l. ut tantum*, §. 1.

§. *tripli*.

SI actor plus debita quantitate dolo malo petierit, ut hac de cauſa viatores ſeu executores litium ampliores ſportulas exigerent, tenetur in triplum, ex *hoc* §. id eſt condictione ex conſtitutione Juſtiniani, quæ deſideratur. Hæc actio, quæ datur repetendi cauſa majores ſportulas, quæ a viatoribus ſeu apparitoribus exactæ ſunt dolo actoris, qui plus petiit quam deberetur, dicitur condictio ex lege, quia introducta eſt ex conſtit. Juſtiniani. Condictio ex lege appellatur condictio in perſonam, quæ nova lege introducta eſt, non dato certo nomine; *l. unic. ff. de condict. ex lege*. Item hæc actio datur contra plus petentem, ut ſportulas apparitorum ampliaret, quibus plerumque litium executio

Source : BIU Cujas

mandabatur ; *l. ult. ff. de judic. l.* 5. §. *ne tamen, de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt.* & pro modo litis seu quantitatis petitæ solvebantur sportulæ ; *l.* 4. *C. de fructib. & lit. expens.*

§. *quadrupli.*

ACtiones in quadruplum sunt actio furti manifesti, de quo jam dictum est in §. *pœna*, supr. *de oblig. quæ ex delict.* Unde furtiva cum rei cumulo restitui leges jubere scribit Ambros. 3. offic. cap. 3. *Ipsæ leges nos docent, eæ quæ detracta sunt alicui cum injuria personæ, aut rei ipsius cumulo restitui jubent ; quo furem a detrahendo, aut pœnis deterreant, aut multa revocent.* In quadruplum etiam est actio, quod metus causa, quæ datur ei, qui per vim & metum coactus est rem suam tradere, vel debitum acceptum ferre, vel aliud facere, ex quo damnum sentiat. Hæc actio non semper est in quadruplum, intra annum est in quadruplum, post annum in simplum ; *l. item*, §. *si quis* 1. *&* §. † *in causæ, ff. quod. met. caus. l.* 4. *C. de his, quæ vi.* Item hæc actio est mixta, nam in quadruplo simplum inest, id est in quadruplo rei persecutio continetur, ita ut pœna sit tripli ; *d. l. item si*, §. *in* † *causæ, &* §. *quatenus.* Hæc actio non datur ob vanum timorem, sed ob justum metum, qui cadat in constantem virum, puta metum mortis, vel cruciatus corporis, vel capitales minas ; *l.* 5. 6. *&* 7. *ff. quod met. caus. l. si donationis, C. de his, quæ vi.* Unde metus non jactationibus tantum, vel contestationibus, sed atrocitate facti probatur ; *l. metum, C. eod.* Item in quadruplum est actio calumniæ, quæ datur in eum qui pecuniam accepit, ut alicui negotium faceret, vel non, ex *hoc* §. *l.* 1. *ff. de calumniat.* id est ut aliquem per calumniam lite vexaret. Hæc actio intra annum est in quadruplum, post annum in simplum. Item in quadruplum datur condictio ex constitutione Justiniani contra apparitores seu executores litium, qui præter modum sportulas a reis exegerint, quæ constitutio desideratur quidem in C. Justinianeo, sed ab ipso auctore repetita est *nov.* † 124. *cap.* 3. Item datur actio de dolo in apparitores, qui in executione judicati pignora per dolum viliori pretio distraxerint ; *l. si pignora, ff. de evict.* Aliis remediis & compescenda fuit apparitorum protervia, ideo motu judicis, id est nuda interlocutione judicis, nudati verberibus coercentur ; *l. omnes, C. de offic. rector. provinciæ*, & iidem etiam absentes damnantur, ne diu apparitorum prava admodum venalisque perfidia in publica commoda desæviat ; *l. ne diu, C. de pœn.*

§. *item actio.*

ACtio quod metus causa eo distat ab aliis, quæ sunt in quadruplum, quod hujusmodi actio datur in quadruplum non statim ab initio, sed si res non restituatur, ex *hoc* §. Nimirum hæc actio est arbitraria, & in ea sententiam definitivam præcedit interlocutio judicis, ut reus actori rem restituat, & si reus pareat absolvitur, quod si rem non restituat in quadruplum condemnatur ; *l. item si*, §. *hæc autem actio, ff. quod met. caus.* Aliæ vero actiones sunt omnino in quadruplum, ita ut reus non evitet pœnam quadrupli, etiam si rem restituat. Ut in actione furti manifesti fur non liberatur pœna quadrupli, etiam si rem restituat, ex *hoc* §. quia furtum semel commissum non purgatur pœnitentia vel restitutione rei, sed pœna tantum ; *l. qui ea mente, ff. de furt. l. pen. vi bonor. raptor.*

§. *actio-*

Source : BIU Cujas

§. *actionum autem.*

ALiæ ſunt actiones bonæ fidei, aliæ ſtricti juris. Bonæ fidei ſunt, in quibus condemnatio fit ex bona fide, ex bono & æquo, natura actionis, & officio judicis, in quibus judex non addicitur certæ formulæ, ſed habet liberam & ſolutam poteſtatem judicandi ex bona fide, prout æquius melius viſum fuerit, & reus tanti damnatur, quanti ex bona fide illum dare facere oportebit; §. † *penult.* ſupr. *de locat. & conduct.* Unde judicia bonæ fidei dicuntur arbitria, & in iis dati judices arbitri, ut in *l. pro ſocio*, *ff. pro ſoc. & in rubric. arbitrium tutelæ*, quo ſe referens Seneca 2. de clement. cap. 7. *Clementia liberum arbitrium habet: non ſub formula, ſed ex æquo & bono judicat.* Actiones ſtricti juris ſunt, in quibus judex adſtringitur certæ formulæ a prætore impoſitæ, & judicat ex formula, veluti ex hac, *ſi paret dari oportere*, & condemnatio fit ex jure ſeu poteſtate obligationis, quatenus verbis expreſſum eſt, ut in verborum obligatione; *l. quicquid adſtringendæ*, *ff. de V. O.* Unde hæ actiones ſtricti judicii appellantur; *l. in actionibus*, §. *ult. ff. de in litem jurand. l.* 3. §. *in hac*, *commodat.* Unde Paulus in *l. quia tantumdem*, *ff. de negot. geſt.* ait, tantumdem in bonæ fidei judiciis officium judicis valere, quantum in ſtipulatione nominatim ejus rei facta interrogatio: & Papinian. in *l. Lucius*, *ff. depoſit.* conſtitutum eſſe in bonæ fidei judiciis, ut tantumdem poſſit officium arbitri, quantum ſtipulatio.

Eſt alia differentia inter actiones bonæ fidei & ſtricti juris, quod actionibus bonæ fidei ineſt actio, & exceptio doli, etiam ſi non opponatur, puta venditio ipſo jure nulla eſt, ſi dolus cauſam dederit contractui. At in contractibus ſtricti juris opus eſt, ut actio vel exceptio doli opponatur; *l. & eleganter*, §. *non ſolum*, *ff. de dolo mal. l. ſed etſi ideo*, *ſolut. matrim.* & ideo clauſula doli mali, id eſt dolum malum abeſſe abfuturumve, ſtipulationibus ſubjici ſolet; *l. ſi id quod*, *l. doli*, *l. ſtipulationes* 53. *l. ſi ita quis* 135. §. *ult. ff. de V. O.* quam ſcite honeſtatis formulam appellat Ambroſ. 3. offic. 10. *Quid autem loquar de contractibus ceteris, ac maxime de coemptione prædiorum, vel tranſactionibus, atque pactis? Nonne honeſtatis formulæ ſunt, dolum malum abeſſe: eumque, cujus dolus fuerit deprehenſus, duplici pœnæ obnoxium fore?* Item ea, quæ ſunt moris & conſuetudinis, veniunt in bonæ fidei judiciis, etſi omiſſa ſint; *l. quod ſi nolit*, §. *quia aſſidua*, *ff. de ædil. edict.* At in contractibus ſtricti juris, quicquid adſtringendæ obligationis eſt, id niſi palam verbis expreſſum ſit, omiſſum intelligitur; *d. l. quicquid adſtringendæ.* In actionibus bonæ fidei, ut in actione empti venditi, magis ſpectatur id quod inter contrahentes actum eſt, quam quod dictum ſit; *l.* 6. §. 1. *ff. de contrah. empt. l. ex empto*, §. 1. *de act. empt.* At in contractibus ſtricti juris obligatio non contrahitur, niſi quatenus verbis expreſſum eſt. In bonæ fidei judiciis uſuræ veniunt ex pacto convento ab initio; *l.* †. *initio*, *C. de pact. inter empt. & vend.* In ſtrictis uſuræ non debentur, niſi ex ſtipulatu; *l. Titius*, *ff. de præſcript. verb.* In bonæ fidei judiciis uſuræ veniunt ex mora officio judicis, citra pactionem; *l. mora*, §. *in bonæ fidei*, *ff. de uſur. l. in bonæ fidei*, *C. eod. l. quæro*, *ff. locat. l.* 2. *C. eod. l. uſuræ C. depoſit.* At in ſtrictis uſuræ non debentur, niſi a tempore litis conteſtatæ; *l.* 3. §. *in his quoque*, *ff. de uſur. l.* † 13. *C. eod. l. eum qui*, *ff. de donat.* In actionibus bonæ fidei in litem juratur omnimodo, in ſtrictis non ſemper; *l. in actionibus*, *ff. de in lit. jurand. l.* 3. §. *in hac*, *commodat.* Pacta incontinenti facta inſunt bonæ fidei judiciis, tam ex parte actoris quam rei, ut pariant actionem, & exceptionem; *l. juris gentium*, §. *quinimmo*, *ff. de pact. l. in bonæ fidei*, *C. eod.* In contractibus ſtricti juris pacta incontinenti inſunt tantum ex parte rei, id eſt

Source : BIU Cujas

non formant actionem, sed exceptionem tantum; *l. lecta, ff. de reb. credit. l. si ita quis* 135. §. *Seia, ff. de V. O.*

Actiones bonæ fidei hæ sunt, ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pigneratitia, familiæ erciscundæ, communi dividundo, præscriptis verbis, æstimatoria, & ea quæ ex permutatione competit, quæ omnia exempla proponuntur in *hoc* §. Ut vero singulas attingamus, omnes actiones, quæ oriuntur ex contractibus, qui nudo consensu perficiuntur, sunt bonæ fidei, ut actio empti, venditi, locati, conducti, pro socio, mandati; *l.* 1. *l. ex empto, ff. de act. empt. l. cum duobus, pro soc. l. præses, C. locat.* Has omnes fere complexus est M. Tull. 3. officior. (17.) *Quint. quidem Scævola Pontifex maximus summam vim dicebat esse in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur*, ex fide bona: *fideique bonæ nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ societas continetur.*

Ex contractibus, qui re perficiuntur, tres sunt actiones bonæ fidei, commodati, depositi, pigneratitia; *l.* 3. §. *in hac, ff. commodat. l. bona fides, depositi. l. si autem, de pigner. act.* fiducias inter judicia bonæ fidei numerat M. Tull. nec ociose fiducias dicit, eo nomine depositum & pignus complectitur. Pigneratitia actio est, quæ nascitur ex contractu pignoris; §. *ult.* supr. *quibus mod. re contrahitur obligat.* Pigneratitia actio duplex est, directa, & contraria. Directa est, quæ datur debitori exsoluto debito adversus creditorem pignoris recipiendi causa; † *l. si rem alienam* 9. §. *omnis, ff. de pigner. act. l. pen. C. eod.* Contraria est, quæ datur creditori ad repetendos sumptus necessarios, quos fecit in re pignerata; *l.* † *si necessarias* 8. *l. si servos pigneratos, ff. de pigner. act. l. creditor* 7. *in fin. C. eod. l.* 6. *C. de pignor.* Hæc actio eo distat a Serviana, seu hypothecaria, quoniam actio pigneratitia est actio in personam civilis & bonæ fidei ex contractu pignoris. Serviana vero, seu hypothecaria, est actio in rem prætoria arbitraria ex nudo pacto; *l. pignoris, C. de pignorib.*

Ex quasi contractu, bonæ fidei sunt hæ actiones, negotiorum gestorum, tutelæ, familiæ erciscundæ, communi dividundo. Actio negotiorum gestorum est bonæ fidei; *l. in bonæ fidei, C. de usur.* quia imitatur actionem mandati; is enim, qui absentis negotia gerit, videtur ea gerere ex tacito mandato. Item actio tutelæ est bonæ fidei, unde in tutela dolum lege vindicari ait M. Tull. 3. offic. (15.) *Atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela* 12. *tabulis.* Bonæ fidei est tutela, quia imitatur actionem depositi, cum apud tutorem res & persona pupilli deponantur tutelæ & custodiæ causa, unde tutor Græcis dicitur ἐπίτροπος.

Bonæ fidei actiones sunt, familiæ erciscundæ & communi dividundo; *l.* 3. *C. commun. utriusque judic.* quia imitantur actionem pro socio, quæ maxime est bonæ fidei, vel etiam quia divisio rerum hereditariarum vel communium fit emptione & permutatione partium; *l. si filia*, §. *si pater, ff. famil. ercisc.* Bonæ fidei sunt actiones præscriptis verbis æstimatoria, & ex permutatione. Actio præscriptis verbis æstimatoria, est actio in personam civilis bonæ fidei, comparata adversus eum, qui rem æstimatam vendendam accepit, ut aut rem ipsam incorruptam reddat, aut æstimationem de qua convenit; *l.* 1. *ff. de æstimator. act.* quia si res data æstimata non reddatur, æstimatio vice venditionis est; *l. plerumque*, §. *pen. ff. de jur. dot. l. si circumscripta, C. solut. matrim.*

Actio præscriptis verbis ex permutatione est actio bonæ fidei, quia vicem emptionis obtinet; *l.* 2. *C. de rer. permut.* Præter has duas actiones, tertia est actio præscriptis verbis bonæ fidei, nempe actio præscriptis verbis de precario, si quid enim precario rogatum sit, eo nomine præter interdictum datur actio præ-

scriptis

Source : BIU Cujas

ſcriptis verbis de precario, quæ ex bona fide oritur ; *l.* 2. *ff. de precar.* Juſtinianus duas tantum actiones præſcriptis verbis memoravit inter actiones bonæ fidei, æſtimatoriam, & eam quæ ex permutatione competit. Tertiam, quæ eſt de precario, omiſit, an oblivione, an forte quod minus uſu frequentaretur, magis arridente uſu interdicto eo nomine comparati. Extra hos caſus actio præſcriptis verbis eſt ſtricti juris, idcirco in pandectis dantur duo tituli de æſtimatoria actione, & de rerum permutatione, & mox ſubjicitur tit. de præſcriptis verbis.

Præſcriptis verbis actio, eſt actio in factum civilis, quæ datur deficientibus aliis actionibus ; *l.* 1. 2. *& 3. ff. de præſcript. verb.* Eaque oritur ex contractibus innominatis, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias ; *l. naturalis, ff. eod.* Hæc actio dicitur præſcriptis verbis, quia proprio nomine caret, orituque ex præſcriptione, id eſt ex certa formula ſeu conceptione verborum. Eadem dicitur actio incerti, quia effectu ipſo datur in id quod intereſt, quod ſemper eſt incertum & arbitrarium ; *d. l. naturalis, l. juris gentium, §. ſed etſi in alium, ff. de pact. l. rebus, C. de rer. permutat.* Dicitur & actio in factum ; *l.* 1. *l. quia actionum, cum ſeqq. ff. de præſcript. verb.* quia ex facto oritur, & proprio nomine caret.

Hereditatis petitio connumeratur poſtrema inter actiones bonæ fidei. An eſſet actio bonæ fidei ante Juſtinianum incertum fuit, non ſine cauſa, quia cum petitio hereditatis ſit actio in rem, quæ rem ipſam non perſonam convenit, quis ei locus ſit inter actiones bonæ fidei, quæ proprie ſunt in perſonam, & oriuntur ex contractu ? Hoc tamen bonæ fidei actionis argumentum præferebat, quod etiam olim in petitione hereditatis, impenſæ neceſſariæ & utiles ſervabantur officio judicis, etiam non oppoſita exceptione doli mali ; *l. plane, l. ult. ff. de petit. hered.* quia bonæ fidei judiciis ineſt exceptio doli mali, ex natura actionis etiam ſi non opponatur. Sed Juſtinianus tandem voluit eam eſſe bonæ fidei actionem ; *l. ult. in fin. C. eod.* unde ſumptus eſt *hic* §. Et hoc conſtitutum, ut recte ſentit Hottomannus *hoc loco*, quod petitio hereditatis, etſi in rem actio ſit, habet tamen præſtationes quasdam perſonales, veluti nominum, quæ a debitoribus exacta ſunt, vel pretii redacti ex venditione rerum hereditariarum ; *l. ſed etſi*, §. † *antepen. ff. eod.* propter quas præſtationes perſonales petitio hereditatis potuit referri inter judicia bonæ fidei.

§. *fuerat.*

OLim duæ propoſitæ erant actiones dotis recuperandæ cauſa. Prima actio rei uxoriæ, quæ erat actio bonæ fidei, unde Ulpianus in *l. ſed etſi ideo, ff. ſolut. matrim.* ait, doli exceptionem ineſſe actioni de dote, ut ceteris bonæ fidei judiciis, unde arbiter addicebatur judicio dotis recuperandæ cauſa ; *l.* 1. *ff. de pact. dotalib. l. Titia, de ſolut.* Tertull. 2. ad uxorem. *Si forte lædantur ipſi ſuſtinent, quarum dotes objectione nominis mercedem ſilentii faciunt, ſcilicet apud arbitrum ſpiculatorem litigaturi.* Et in actione de peculio quæſitum, an in contractibus bonæ fidei pater in ſolidum teneatur de peculio, ut in actione de dote ſi filiof. dos data ſit ; *l. in bonæ fidei, ff. de pecul.* Et in actione rei uxoriæ erat ſolemnis formula quantum æquius melius; M. Tull. *in topicis* (17.) *& 3. offic.* (15.) Secunda actio ex ſtipulatu de dote, quæ erat ſtricti juris pro ut omnes ſtipulationes, ſed quia plenior erat actio ex ſtipulatu de dote ; actione enim rei uxoriæ repetebatur dos divortio tantum ſoluto matrimonio ; Quintilian. libr. 7. inſtit. cap. 4. *Illic malæ tractationis, hic rei uxoriæ, cum quæritur utrius culpa divortium factum ſit.* Conſtitutione Juſtiniani actio rei uxoriæ ſublata eſt, & transfuſa in actionem ex ſtipulatu de dote, ita ut actio ex ſtipulatu de dote exinde bonæ fidei ſit, cum alias eſſet ſtricti juris, ex *hoc* §. *& l. unic. in*

Source : BIU Cujas

princ. C. de rei uxor. act. Eadem constitutione etiam dotis contractui inest tacita stipulatio de dote reddenda, & eo nomine datur actio ex stipulatu, licet nulla stipulatio intervenerit; *d. l. unic. in princ.* Præterea ex eadem constitutione mulieri datur tacita hypotheca in bonis mariti pro dote repetenda, ex *hoc §. & d. l. unic. §. 1. & l. assiduis, C. qui potior.* Quæsitum est, an mulier amittat privilegium tacitæ hypothecæ pro dote, si sibi caverit speciali hypotheca, quam conventionalem appellant. Ratio dubitandi erat, quod hypotheca tacita, quæ est a lege, videtur tolli per specialem hypothecam, quasi præventione, quia dispositio hominis facit cessare dispositionem legis; *l. ult. C. de pact. convent.* sed verius est, tacitam hypothecam non extingui per specialem hypothecam, quia pactis dotis causa deterior fieri non potest; *l. si unus, §. pactus ne peteret, ff. de pact.* & qui paciscitur de hypotheca, non videtur renunciare beneficio legis, sed cumulatius sibi cavere. Alia constitutione Justiniani mulier dotis causa præfertur in bonis mariti anterioribus creditoribus, etiam expressam hypothecam habentibus; *d. l. assiduis*, sed privilegium dotis non habet locum contra fiscum, inter fiscum & mulierem spectatur tantum privilegium temporis; *l. 2. C. de privileg. fisc.* Mulier etiam postponitur creditori, qui pecuniam credidit marito militiæ emendæ causa, si sit prior; *auth. quod obtinet, C. de pignorib. auth. quo jure, C. qui potior.* Privilegium dotis in hypothecaria actione non transit ad heredes, nisi sint liberi communes; *d. l. assiduis, §. 1. vers. exceptis, l. † unic. C. de privil. dot. nov. Justin. † 91. cap. 1.* & hoc insinuat Justinianus in fine *hujus §.* cum ait, se hoc privilegium solius mulieris providentia introduxisse. Privilegium tacitæ hypothecæ transit ad heredes mulieris; *d. l. unic. §. illo.* Item privilegium dotis habet locum in dote numerata, non in dote confessata, quam vocant; *d. l. assiduis, & ibi gloss.* dotem numeratio facit, non cautio; *l. 1. C. de dot. caut. non numerat.* Mulier etiam dotis repetendæ causa potest convenire tertios possessores, non excussis aliis bonis mariti, ex alia constitut. Justiniani; *l. ubi adhuc, C. de jur. dot.* Privilegium dotis etiam est, quod mulier potest incumbere bonis mariti jure pignoris, quousque dos solvatur; *l. filiam, ff. ad Trebellian. l. Titia de solut. l. 1. C. de pignorib. l. unic. C. etiam ob chirograph. pecun. l. unic. §. taceat, C. de rei uxor. act.* Et hoc jus est, quod forenses vocant *droit d'instistence.*

§. *in bonæ fidei.*

IN bonæ fidei judiciis plenius est officium judicis, quam in strictis, quia in bonæ fidei judiciis, judici datur libera potestas judicandi ex bono & æquo, ut ait Justinianus *hoc loco*, & in his judiciis solemnis est formula, *quantum æquius melius.* At in judiciis stricti juris judex adstringitur certæ formulæ, *si paret dari oportere*, ut est apud M. Tull. *pro Rosc. Comœd.* unde in judiciis bonæ fidei magis esse judicis statuere, ajebat Scævola, apud eundem Tull. 3. *offic.* (17.) Igitur in bonæ fidei judiciis judex ex æquo & bono æstimat quantum debeatur actori, proinde si quid actor invicem debeat, in his judiciis compensatio fit officio judicis, etiam non opposita exceptione doli, & condemnatio fit in reliquum. Olim in strictis judiciis compensatio non admittebatur, sed postea rescripto D. Marci inductum est, ut etiam in stricti juris judiciis opposita exceptione doli mali compensatio admitteretur. Constitutione Justiniani compensatio fit ipso jure in omnibus judiciis, tam in rem, quam in personam, atque adeo tam in bonæ fidei, quam in stricti juris judiciis, præterquam in actione depositi, ne depositum sub prætextu compensationis fraudetur, & in interdicto unde vi, seu actione possessoria, redintegrandæ quam vocant; *l. ult. C. de compensat. l. pen. C. deposit. l. ult. C. commodat.* spoliatus enim ante omnia restituendus; *l. 1. ff. quod vi aut clam, can. redintegranda, 3. qu. 1. cap. 1.*

cap.

Source : BIU Cujas

tap. in litteris, de reſtit. ſpoliat. Fiſco etiam non opponitur compenſatio in cauſa vectigalium & tributorum ; *l. aufertur*, §. *ut debitoribus*, *ff. de jur. fiſc. l.* 3. *C. de compenſat.* Compenſatio etiam non opponitur in cauſa alimentorum ; *d. l.* 3. quod elicuit favor alimentorum, quæ non patiuntur dilationem ; *l. ult. C. de ordin. cognit.* & quorum cauſa præſentem, & momentariam curam injungit ; *l. pecuniæ*, *ff. de aliment. legat.* Hodie igitur compenſatio fit ipſo jure in omnibus judiciis, & hoc eſt quod ait Juſtinianus in fine *hujus* §. compenſationem ipſo jure actiones minuere, quia vim ſolutionis habet: non fit autem compenſatio, niſi debiti liquidi, & præſentis ; *d. l. ult. C. de compenſat. l. ſi debeas*, *ff. eod. l.* 3. *de tutel. & rat. diſtrah.* & eo jure utimur.

§. *præterea*.

ACtiones arbitrariæ ſunt, quæ pendent ex arbitrio judicis, in quibus arbitrium præcedit ſententiam definitivam, id eſt judex interloquitur, ut reus actori rem reſtituat, & ſi non paruerit ſequitur condemnatio, ex *hoc* §. *& l. item ſi*, §. *hæc autem actio*, *ff. quod met. cauſ. l. arbitrio*, *de dol. mal.* Actiones arbitrariæ ſunt tam in rem, quam in perſonam : in rem veluti Publiciana, Serviana, vel quaſi Serviana ſeu hypothecaria : in perſonam veluti actio quod metus cauſa, de dolo, actio de eo quod certo loco, actio ad exhibendum, ex *hoc* §. *d. l. item ſi*, §. *hæc autem actio*, *& d. l. arbitrio*, *l. ſi fundus*, §. *in vindicatione*, *ff. de pignorib. l.* 2. 3. 4. & paſſim, *ff. de eo quod certo loco l.* 3. §. 2. *ad exhibend.* Actio de eo quod certo loco dicitur arbitraria per emphaſim, quia in ea condemnatio fit arbitrio judicis, veluti ſi is, qui certo loco, veluti Capuæ, centum ſe ſoluturum promiſerit, ſuo loco non ſolvat, creditor poteſt agere actione de eo quod certo loco, non ſolum eo loco, quo dari debuit, ſed etiam ubicumque id eſt quocumque loco invenerit debitorem, & hæc actio dicitur arbitraria, quia in ea æſtimatur arbitrio judicis, quanti interſit rei vel actoris Capuæ potius, quam alibi ſolvi ; *d. l.* 2. *ff. de eo quod certo loco*, *& l. unic. C. ubi conveniat. qui certo loco dare promiſit*. Directa rei vindicatio etiam inter arbitrarias actiones connumeratur, quia in ea non ſtatim condemnatio fit, ſed ita demum niſi reſtitutio fiat ; *l. qui reſtituere*, *ff. de rei vindicat.* quod proprium eſt actionum arbitrariarum.

§. *curare*.

IN bonæ fidei judiciis & arbitrariis, incerta ſumma petitur, quia in his formula actionis concipitur, quanti æquius melius, ideo judex addictus his judiciis curare debet, ut omnino, quantum fieri poteſt, certam ſententiam ferat, id eſt certæ rei, ſeu quantitatis, etiam ſi actoris petitio incerta fuerit, ex *hoc* §. *l.* 1. & paſſim, *C. de ſentent. quæ ſine cert. quantitat. profert.* Sententia, quæ ſine certa quantitate profertur, ipſo jure nulla eſt, niſi ex parte aliqua actorum, puta libello conventionali, certa quantitas ſit comprehenſa, quia tunc certa eſſe videtur ; *l.* 3. *C. eod. l. ait prætor*, §. † *ſi judex*, *ff. de re judicat.*

§. *ſi quis agens*, §. *ſi minus*.

OLim qui plus petebat, quam deberetur, cauſa cadebat, quod jus introductum 12. tabulis ; M. Tull. 1. de orat. *Alter plus lege agendo petebat, quam quantum lex in* 12. *tab. permiſerat, quod cum impetraſſet cauſa caderet*. Qui plus petebat, inquam, cauſa cadebat, nec facile reſtituebatur in integrum a prætore, niſi eſſet minor 25. annis, vel juſto errore deceptus plus petiiſſet, puta ſi totum legatum petiiſſet, ignorans codicillis pro parte ademptum, vel

Source : BIU Cujas

alia legata codicillis relicta, propter quæ legi falcidiæ locus esset, ex *hoc* §. Et eo refer quod ait Tranquill. in Claud. cap. 14. *Nam & iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent, restituit actiones*. Plus autem petitur quatuor modis, re, tempore, loco, & causa. Re, veluti si is, cui decem debebantur, viginti petierit, vel si cujus pro parte res est, totam eam vel majorem partem petierit. Tempore, si quis ante diem vel conditionis eventum petierit quod debetur in diem vel sub conditione, uti enim qui tardius solvit minus solvit, nam & tempore minus solvitur; §. † 5. supra, *de fidejuss. l. ut si cui, ff. de V. S.* ita & qui ante diem petit, plus petere videtur, ex *hoc* §. *& l. unic.* §. *ult. ff. quand. dies usufr. legat. ced.* nam dies solutionis, ut summa, pars est obligationis; *l.* 1. §. *editiones, ff. de edend.* & pars pretii; *l. fundi partem, ff. de contrah. empt.* Debitum ante diem peti non potest, ex justa tamen causa debitor compelli potest ante diem cavere datis fidejussoribus de solvenda pecunia ad diem; *l. in omnibus, ff. de judic.* puta si debitor labatur facultatibus, immo & quandoque debitor fisci, si res suas profliget, cogetur ante diem debitum fisco repræsentare; *l.* 1. *C. de condict. ex lege*. Et pater rogatus restituere hereditatem filio, si in potestate esse desierit, si fideicommissum evertat cogitur id repræsentare damno conditionis inflicto, propter fraudem; *l. Imperator, ff. ad Trebell.* Loco plus petitur, veluti si quis quod Ephesi dari stipulatus est, Romæ pure petit, id est sine commemoratione loci, in quo dari stipulatus est, quia promissori tollit utilitatem, quam haberet si Ephesi solveret. Si vero is, qui Ephesi dari stipulatus est, alio loco petat adjecta mentione loci, in quo dari stipulatus est, ea de re est actio arbitraria de eo quod certo loco, nec petitur plus loco, quia in ea tota res committitur arbitrio judicis, ut æstimet quanti actoris vel rei interfit Ephesi potius quam alio loco solvi, ex *hoc* §. *l.* 1. & passim, *ff. de eo quod cert. loco*. Et hoc est quod dicitur in *cap. unic. de plus petit.* si quis plus loco petierit, teneri in id quod interest rei suo loco solvi. Causa plus petitur, veluti si quis stipulatus sit Stichum aut decem dari, alterum petat, plus petere intelligitur, quia promissori adimit beneficium electionis; §. *si quis agens*. In obligationibus enim alternativis electio est promissoris utrum præstet; *l. plerumque*, §. *ult. ff. de jur. dot. l. si in emptione*, §. *pen. de contrah. empt.* Ex constitutionibus pœnæ plus petitionis modus impositus est, nimirum ex constitutione Zenoniana, qui plus petiit tempore, alterum tantum tempus expectabit, sine ullo commodo usurarum, quantum ipse diem destinatæ solutionis prævenire conatus est, & eo elapso tempore non prius aget, quam sumptus prioris instantiæ adversario solvat. Constitutione vero Justiniani, qui plus petit re vel alio modo, compellitur adversario restituere in triplum ampliores sportulas eo nomine apparitoribus seu litis executoribus datas; §. *si quis agens, in fin.* §. *pen.* infr. *de except. l.* 1. *& 2. C. de plus petit. cap. un. eod.* Hodie vero titulus de plus petitionibus non habet locum in Gallia, sed reus absolvitur cum expensis, salvo jure actori eum conveniendi tempore & loco opportuno; Guid. Pap. *qu.* 27. *&* 496. Si minus in intentione sua complexus fuerit actor, id est libello conventionis minus petierit, quam ei debetur, in reliquum nihilominus judex adversarium eodem judicio condemnabit ex constitutione Zenonis, quæ non extat; §. *si minus*. Hodie si actor minus petierit, licet quidem ei emendare seu mutare libellum conventionis ante litem contestatam; *l. edita, C. de edend.* Sed nisi actor libellum petitionis ante sententiam emendaverit, non potest judex adjudicare ultra petita, quia sententia debet esse conformis libello; *l. ut fundus, ff. commun. dividund.* & stultus est judex, qui judicat ultra petita; *l. ult. C. de fideicommiss. libert.*

§. *si*

Source : BIU Cujas

§. si quis aliud.

SI quis per errorem aliud pro alio petierit, veluti si is cui Stichus debebatur Erotem petierit, aut si quis actione ex testamento petierit, quod ex stipulatu debetur, eodem judicio libellum corrigere potest, ex *hoc* §. quia libellus conventionis emendari vel in totum mutari potest; *l. edita*, C. *de edend.* & ineptæ actionis electio perimit quidem instantiam judicii, non perimit aptam & congruentem negotio actionem; *l. cum indebitum*, *ff. de condict. indebit. l.* 4. §. *ult. quod cum eo qui in alien. potest. est*, *& cap. examinata*, *de judic.* quia cui perit instantia, non continuo perit & lis seu actio; *l. & post edictum*, *ff. de judic.* Aliud est lis seu actio, aliud instantia, unde tritum illud in foro, bona causa, mala instantia.

§. sunt præterea, §. *item si de dote.*

ALiæ sunt actiones quæ dantur in solidum, aliæ quæ non in solidum, ut ex contractu filiif. vel servi datur actio in patrem vel dominum, non in solidum, sed quatenus est in peculio; §. *sunt præterea*. Ex contractu filiif. duo obligantur, filiusf. in solidum, pater dumtaxat de peculio vel de in rem verso; *l. tam ex contractibus*, *ff. de judic. l. si quis cum filiof. de pecul.* Maritus dotis causa non tenetur in solidum, sed in quantum facere potest; §. *item si de dote*, *l. maritum*, *l. si prior*, *ff. solut. matrim. l. patronus*, *de re judicat. l. unic.* §. *cum autem*, C. *de rei uxor. act.* ubi elegans ratio additur, quia hoc æquissimum est, & reverentiæ debitum maritali. Ideo pactum, ut maritus teneatur in solidum, non valet, quia est contra bonos mores; *l. alia causa*, §. 1. *ff. solut. matrim.* Privilegium, quod datur marito, ne teneatur ultra quam facere potest, non transit ad heredem, nisi sit filius communis, quia hujusmodi privilegium personale est; *l. maritum*, *& dd. seqq. l. etiam filios*, *ff. eod. l. etsi fidejussor*, *de re judicat.* Maritus tenetur in quantum facere potest deducto ne egeat, non etiam deducto ære alieno; §. *item si de dote*, *l.* † *maritus* 54. *solut. matrimon. l. sunt qui*, *& seq. l. & exheredatum*, *de re judic. l. in condemnatione*, *de R. J.* Maritus non tenetur ultra id quod facere potest, nisi dolo fecerit quominus sit solvendo: quo casu vero non tenetur ultra id quod facere potest, cavere debet se quod minus solvit restituturum, si quando ad meliorem fortunam pervenerit; *d. l. unic.* §. *cum autem*, *l. nec maritus*, C. *solut. matrim.*

Ob impensas necessarias in res dotales, dos ipso jure minuitur, unde ob has impensas, quasi retentio dotis marito conceditur; §. *item si de dote*, *l. dote*, *ff. de rit. nup. l.* 1. §. *in necessariis*, *l. quod dicitur*, *de impens. in res dotal. l. unic.* §. *taceat*, *vers. sed nec ob impensas*, C. *de rei uxor. act.* Ob impensas utiles datur retentio sive deductio ex dote, si modo hæ voluntate mulieris factæ sint, & aliunde eas mulier solvere possit; *l. utilium*, *ff. de impens. in res dotal.* Hodie in actione ex stipulatu de dote ob impensas utiles, etiam si voluntate mulieris factæ sint, non datur retentio ex dote, sed dos integra redditur, tum earum impensarum nomine, si factæ sint voluntate mulieris, datur actio mandati. Quod si factæ sint sine voluntate mulieris, marito datur actio negotiorum gestorum. Ob voluptuarias impensas, licet mulieris voluntate factæ sint, marito nulla datur actio, sed tantum detractio operis, si id fieri possit sine damno rerum dotalium; *d. l. unic.* §. *taceat*, *& l. in fundo*, *ff. de rei vindicat.*

Source : BIU Cujas

§. *sed & si quis.*

PArens filio, patronus liberto, non tenentur, nisi in quantum facere possunt, ex *hoc* §. *l. sunt qui, & seq. ff. de re judicat.* quod optima ratione placuit, quia filiis & libertis semper honesta & sancta persona patris ac patroni videri debet; *l. liberto, ff. de obseq. parent. & patron. præstand.* Socius quoque socio non tenetur, nisi in id quod facere potest, ex *hoc* §. *l. verum est*, init. *ff. pro soc. d. l. sunt qui*, quod hac ratione nititur, quia socictas quodammodo jus fraternitatis habet; *d. l. verum*. Qintil. declam. 320. *Societas sacra res est, & quædam fraternitas propositorum animorum*. Socius non tenetur, nisi in quantum facere potest, sed tamen cavere id est promittere debet, se solidum soluturum, cum ad meliorem fortunam pervenerit; *d. l. verum est*, §. *item videndum*. Socius socio tenetur in id quod facere potest, si debeatur ex causa societatis; *d. l. verum est*, §. *id quod facere*, & hoc intellexit Justinianus *hoc loco*, cum ait socium socio teneri in quantum facere potest, si conveniatur judicio societatis, ex quo colligitur socium socio teneri in solidum, si ex alia causa quam societatis conveniatur.

Donator ex causa donationis tenetur in id quod facere potest, deducto ne egeat, & deducto ære alieno, id est deducto eo, quod aliis creditoribus debet ex dissimili causa; *l. inter eos*, §. *ult. l. cum ex causa*, *l. & exheredatum*, *& seq. ff. de re judicat.* Donator, qui id quod donavit se soluturum constituit, si conveniatur actione constituti, non tenetur in solidum, sed in quantum facere potest. Idem est si damnatus ex causa donationis conveniatur actione judicati; causa enim & origo donationis, non constituti, aut rei judicatæ, prævalet; *l. Nesennius*, §. *ult. ff. eod. l. qui id quod, de donat.* Donator non tenetur, nisi in id quod facere potest, ne ex liberalitate sua periclitetur. Eadem ratione donator non tenetur de evictione, nisi aliud convenerit; *l. Aristo*, §. *ult. ff. de donat. l.* 2. *C. de evict.* Male audivit Galba, quod oblatam a Tarraconensibus coronam auream librarum quindecim, conflasset, ac tres libras quæ ponderi deerant exegisset; Tranquill. *in ejus vit. cap.* 12. Donator etiam pro rebus donatis non tenetur redhibitoria, ne liberalitatis suæ pœnam patiatur; *l. ad res donatas*, *ff. de ædil. edict.* Hieronym. in epist. ad Ephes. in procem. *Noli de gratuito munere judicare, &, ut vulgare proverbium est, equi dentes inspicere donati*. Et donator ex mora in re tradenda non præstat usuras; *l. eum qui, ff. de donat.*

§. *ult.*

SI debitor casu factus sit non solvendo, lege *Julia* ei consulitur, ut bonis cedere possit creditoribus; *l.* 4. *C. qui bon. ced.* Qui bonis cessit non liberatur a creditoribus, quoad solidum solvat, sed beneficium cessionis bonorum eatenus ei prodest, ut liberetur injuria carceris & infamia, & ne possit conveniri; *l.* 1. *& ult. C. eod. l.* † *si unus, ff. de recept. arbitr.* Et si conveniatur potest se tueri opposita exceptione si non bonis cesserit; §. *ult.* infr. *de replicat. l. ex contractu, C. de bon. auctor. judic. possidend.* Qui bonis cessit non liberatur, quia si quid postea adquisierit, quod idoneum id est non mediocre emolumentum habeat, potest iterum conveniri, ex *hoc* §. Et hoc est quod dicitur in *d. l. ex contractu, & in l.* † *si debitoris, ff. de cess. bonor.* eum, qui bonis cessit, si tantum postea quæsierit, quo prætor moveri possit, iterato posse conveniri, quibus conjungenda est *l. cum & filiif. C. eod.* ubi si quid ei, qui bonis cessit, postea pinguius accesserit, id usque ad modum æris alieni, potest a creditoribus legitimo modo avelli. Cum vero is, qui bonis cessit, convenitur, non convenitur in solidum, sed in quantum facere potest, ex *hoc* §. *& l.*

† Corrige *l. item si unus, ff. de recept. qui arbitr. recep.* & v. si probat. Junge *nov.* 135.

Source : BIU Cujas

& l. 4. ff. de cess. bonor. Quod si is qui bonis cessit modicum aliquid postea adquisierit, iterum non potest coveniri, quia non est fraudandus modico vitæ subsidio; *l. qui bonis, ff. eod.*

Quod cum eo, qui in alien. potest. est, negot. gest. esse dicat.

CAP. VII.

In princ. & §. 1.

ALIÆ sunt actiones, quæ contra nos dantur ex contractu nostro, aliæ ex contractu alieno, ut actio de peculio, quod jussu, de in rem verso, tributoria, exercitoria, & institoria, quæ dantur in patrem, vel dominum, vel magistrum navis, vel cauponæ, vel societatis. Si quis cum filiofamilias, vel servo contraxerit jussu patris, vel domini, ex contractu filii, vel servi datur actio quod jussu in solidum in patrem, vel dominum, quia is, qui ita contraxit, fidem domini secutus videtur; §. 1. *& l. 1. ff. quod jussu*, ubi Ulp. ait, quodammodo contrahi cum eo qui jubet. Filiusf. ex omnibus causis tamquam paterfamilias obligatur, & ob id agi cum eo, tamquam cum patrefamilias, potest; *l. filiusf. 39. ff. de oblig. & act.* Nimirum filiusf. ex contractu proprio tamquam paterf. obligatur. Si vero filiusf. non contraxit, sed ex contractu patris jussu ejus mutuam pecuniam accepit, non obligatur nisi hereditario nomine, ita ut si hereditate patris abstineat, non conveniatur a creditoribus hereditariis; *l. si ex contractu, C. h. tit.* Jussus eo differt a mandato, quod jussus refertur ad eas personas, quas in potestate nostra habemus, ut filium vel servum, mandatum ad liberas personas, quæ in potestate nostra non sunt: si pater mandet, ut pater, filio credi pecuniam, non tenetur mandati, sed quod jussu: quod si mandet, non ut pater, sed ut quilibet, filio credi pecuniam in rem suam, tenebitur mandati; *l. si tibi, C. mandat.* Proinde si pater fidejusserit pro filio, non tenetur quod jussu, sed ex stipulatu; quasi extraneus enim intercessit, non ut pater; *l. 1. §. quid ergo, ff. quod juss.* Si pater vel dominus mandet pecuniam credi filio vel servo, tenetur quod jussu: quod si tantum commendet, non tenetur quod jussu, neque mandati; *l. ult. C. h. tit. l. si vero, §. cum quidam, ff. mandat.* verbum commendo non inducit obligationem; *l. ex verbo, C. de fideicommiss. libertatib.*

§. eadem.

SI quis servum magistrum navi præposuerit, ex contractu servi navi præpositi datur in solidum actio exercitoria in eum qui præposuit, ex *hoc §. l. 1. ff. de exercitor. act.* Non autem datur ex omni causa exercitoria hæc actio, sed ex contractu inito ejus rei causa, cui præpositus est, id est rei navicularie nomine, *ex hoc §. & d. l. 1. §. non autem.* Exercitoria actio sic vocatur, quia exercitor dicitur is, ad quem quotidianus navis quæstus pertinet, id est qui navem exercet, sive sit dominus navis, sive conductor, ex *hoc §. d. l. 1. §. 1. §. exercitorem.* Privatis naves maritimas habere licuit negotiationis causa; *l. 3. ff. de vacat. muner.* etiam ecclesiæ naves habere non interdictum; *l. jubemus, 10. C. de SS. eccles.* Gregor. I. libr. 1. epist. 70. *Naves vero, quæ commendatæ ecclesiæ sanctæ semper fuerunt, in omnibus tuere.*

Si quis servum, aut liberum hominem, puta procuratorem tabernæ, vel alii cuilibet negotiationi, præposuerit, ex contractu ejus rei causa, cui præposi-

Source : BIU Cujas

tus est, datur actio institoria in solidum in eum qui præposuit, ex *hoc* §. *l.* 1. *&* 5. §. *non tamen*, *ff. de institor. act.* Hæc actio institoria vocatur, quia tabernæ vel alii negotiationi præpositus institor vocatur, ex *hoc* §. *&* *l.* 3. *ff. de institor. act.* ubi Ulpian. ait, institorem appellari ex eo, quod negotio gerendo instet. Dominus tenetur actione institoria ex contractu institoris, quia æquum visum est prætori, sicut ex actu institorum commodum sentimus, ita etiam ex eorum contractu nos obligari & conveniri; *l.* 1. *ff. de institor. act.* Unde si impubes patri habenti institorem heres extiterit, ac deinde cum eo contractum sit, in pupillum datur actio institoria, propter utilitatem promiscui usus, id est commercii; *l. si quis mancipiis*, §. *si impubes*, *ff. eod.* Institor, qui cum alio contraxit ex officio institoris, non solum obligat dominum institoria actione, sed etiam se ipsum ex proprio contractu, quoties liber est, & talis qui obligari possit: sed si institor seu præpositus mensæ nummulariæ L. Titii, per epistolam caverit, id est professus sit, se habere penes mensam cui præpositus est mille aureos, quos se Cajo Seio numerare debere scripserit in certum diem, defuncto L. Titio sine herede, ejusque bonis venditis, ex epistola non potest conveniri, quia id scripsit, non ut se obligaret, sed ex institoris officio ad fidem mensæ protestandam; *l. ult. ff. de institor. act.*

§. *introduxit*.

SI servus in peculiari merce, sciente domino negotietur, dominus si quid ei debetur, & ceteri creditores, qui cum eo ejus rei causa contraxerunt, veniunt in tributum, id est quicquid in merce peculiari est, vel quod inde redactum, pro rata distribuitur, inter dominum, & alios creditores, unde tributoriæ actioni nomen, ex *hoc* §. *l.* 1. *&* 5. §. *in tributum*, *ff. de tributor. act.* Hoc plenior est actio de peculio, quam tributoria, quia in tributoria æqua est conditio domini, & ceterorum creditorum, & in ea dominus in mercibus peculiaribus velut extraneus creditor in tributum vocatur cum aliis creditoribus. At in actione de peculio, prius in solidum deducitur quod patri debetur; §. *ceterum*, infr. *h. tit. & d. l.* 1. Hoc præcipuum datur tantum domino in tributoria actione, quod distributio mercium peculiarium, vel pretii inde redacti, permittitur ipsi domino: quod si quis ex creditoribus queratur, quod minus ei tributum sit, quam oporteret, datur ei actio tributoria, ut æqua fiat distributio, ex *hoc* §. *&* *l.* 7. §. 1. *ff. de tributor. act.*

§. *præterea*, §. *ceterum*.

EX contractu filiif. vel servi pater vel dominus tenetur de peculio, quatenus est in peculio, & de in rem verso, quatenus in rem patris vel domini versum est. In rem autem patris vel domini versum intelligitur, si filiusf. vel servus pecuniam mutuam sumpserit, ut æs alienum patris vel domini solveret, ex *his* §§. vel in necessarios sumptus, id est ut se aleret & vestiret, dummodo sumptus non excedat modum quem pater vel dominus solebat ei subministrare; *l.* 3. §. *proinde*, *ff. de in rem vers.* Spectanda est enim consuetudo patrisf. *l. nummis*, *ff. de legat.* 3. Ita & cessat exceptio SC. Macedoniani, si filiof. credita sit pecunia studiorum vel legationis causa ad necessarios sumptus, quos patris pietas non recusaret; *l. Macedoniani*, *C. ad SC. Macedon.* cui congruit *l. item si filiusf.* §. *quod dicitur*, *ff. eod.* ubi si filiusf. absens studiorum causa mutuum acceperit, cessare Macedonianum, si mutuum probabilem modum non excedat, id est sumptum, quem pater solebat subministrare. Hoc differunt hæ actiones, quod actio de peculio post manumissionem servi, aut emancipationem filiif., aut eorum mortem, temporaria est, hoc est annalis; *l.* 1. §. 1.

Source : BIU Cujas

1. §. 1. *ff. quand. de pecul. act. annal. est*, actio de in rem verso perpetua est; *l.* 1. §. 1. *ff. de in rem vers.* id est durat triginta annis.

§. *illud*.

Filiusf. ex omnibus causis fere tamquam paterf. obligatur; *l. filiusf.* 39. *ff. de oblig. & act.* Ait fere, excipitur enim causa mutuæ pecuniæ, ex qua nulla datur actio in patrem filiumve etiam post mortem parentis, ex *hoc* §. *l.* 1. *ff. de SC. Maced.* Id est non datur actio efficax, quia datur quidem, sed eliditur opposita exceptione SC. Macedoniani, quod latum est auctore Vespasiano; Tranquill. in ejus vit. cap. 11. *Auctor senatui fuit decernendi, ne filiorumfamilias fœneratoribus exigendi crediti jus umquam esset, hoc est ne post patrum quidem mortem.* Tacit. 11. annal. *lege lata sævitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecuniam filiisf. fœnori darent.* Si filiof. mutua pecunia data sit incertis nominibus, id est ita ut solveret post mortem patris, ex ea causa nulla datur actio, neque in patrem, neque in filium, etiam post mortem parentis, quia hoc ominosum est, & pessimi exempli mortem patris expectari; *d. l.* 1. Casum adversamque fortunam spectari hominis liberi, neque civile, neque naturale est; *l. inter stipulantem*, §. *sacram*, *ff. de V. O.* Filiusf. cum effectu non obligatur ex causa mutuæ pecuniæ, alias recte obligatur ex empto, vel locato, vel alio contractu, licet ex eo contractu cœperit esse mutua pecunia, id est res deducta sit in obligationem, quia pecuniæ numeratio non concurrit; *l.* 3. §. *is autem*, *ff. de SC. Maced.* Et origo potius obligationis spectanda est, quam titulus actionis; *l.* 3. *C. eod.* Et hoc verum est, nisi color quæsitus sit, id est mutuum nomine emptionis, vel locationis contractum, ut fraus fieret SC. *d.* §. *is autem*, *l. item si filiusf.* in pr. *vers. sed Julianus*, *ff. eod.* Filiusf. ex mutua pecunia non obligatur civiliter, saltem cum effectu, sed obligatur naturaliter, & ideo si creditori solverit, non habet condictionem indebiti, quia naturalis obligatio manet; *l. sed si paterf.* §. *ult. cum l. seq. ff. eod. l. qui exceptionem*, *ff. de condict. indebit.* SC. Macedonianum latum est tum odio fœneratorum, qui pecunias credebant adolescentibus luxuriosis, & materiam peccandi malis moribus præstabant; *d. l. qui exceptionem*, *& d. l.* 1. *& d. l.* † *sed si paterf.* §. *pen. ff. de SC. Maced.* tum favore parentum, ut consuleretur eorum vitæ, ne sc. filiif. urgente ære alieno vitæ parentum insidiarentur, ut exponitur in *hoc* §. unde in *d. l.* 3. §. *is autem*, dicitur pecuniæ dationem pernicioſam parentibus eorum visam esse. Et filiusf. non potest renunciare exceptioni SC. Macedoniani, quod non tantum favore ipsius, sed parentum, & in pœnam fœneratorum introductum est; *d. l. sed si paterf.* §. † *pen.*

§. *ult.*

Jure civili pater ex contractu filii non obligatur; *l.* 1. *C. ne fil. pro patre.* Senec. 5. de benefic. 9. *Etsi filius meus pecuniam mutuam sumpserit, creditori numerabo, non tamen ego debuero.* Quod si jussu patris vel domini, cum filio vel servo contractum sit, vel in rem ejus versum sit, ex contractu filii vel servi pater vel dominus potest directo conveniri actione quod jussu vel de in rem verso, ac si cum ipso principaliter negotium gestum esset, ex *hoc* §. *& l. ult. ff. pro soc.* ubi scriptum est; si jussu patris cum filio societas coita sit, directo cum patre agi posse, cujus persona in contrahenda societate spectata est. Ait directo, id est statim, non discusso filio vel servo, quia ex contractu filii vel servi, ejus jussu vel in rem ejus inito, pater vel dominus tamquam reus principalis tenetur. Item si institor vel exercitor navis pecuniam mutuam acceperit, dominus directo potest conveniri institoria vel exercitoria

Source : BIU Cujas

actione, quia ejus qui præposuit jussu contractum intelligitur, ex *hoc §. l. si institorem, ff. de reb. credit. l. item si, §. interdum, de SC. Maced.*

De noxalibus actionibus.

CAP. VIII.

In princ. §. noxa, §. summa, §. dominus.

EX noxa seu maleficio servi, puta furto, rapina, damno, injuria, noxalis actio datur in dominum, cujus vis & potestas hæc est, ut dominus liberetur præstando litis æstimationem, vel servum noxæ dedendo, *in princ. & §. dominus, l. 1. ff. de noxalib. act.* Eo alludit Columella 1. de re rustic. in procem. *Nec post hæc reor intemperantia cæli nobis ista, sed nostro potius accidere vitio, qui rem rusticam pessimo cuique servorum, velut carnifici noxæ dedimus.* Noxalis actio datur in dominum ex delictis privatis servi, qualia sunt furtum, rapina, damnum, injuria, non ex publicis criminibus, quæ puniuntur extra ordinem, & pœna capitali coercentur; *l. † quis sit fugitivus, §. noxas, ff. de ædil. edict. l. hæc stipulatio, ff. de V. S.* Noxalis actio non instituitur ad noxæ deditionem, sed in id quod actoris interest. Noxæ deditio non est in condemnatione, sed in solutione, & in executione judicati licet domino noxæ deditione se liberare; *l. miles, §. 1. ff. de re judicat.* Et hæc potestas noxæ dedendæ datur domino, quousque actione judicati conveniatur; *l. item veniunt, §. idem recte ait, ff. de petit. heredit.* Noxalis actio est, quæ datur in dominum ex noxa servi, & in qua dominus noxæ deditione liberatur. Noxa est corpus quod nocuit, id est auctor delicti, noxia est ipsum maleficium, veluti furtum, rapina, damnum, injuria; *§. noxa, l. 1. ff. de his qui effud. vel dejec.* Alias noxa est delictum, vel pœna delicti; *l. 1. ff. de noxal. act. l. 1. §. cum † arietes, si quadrupes pauperiem.* Servius in illud 1. Æneid. (45.) *Unius ob noxam. Hoc interest inter noxam & noxiam, quod noxia culpa est, id est peccatum; noxa autem pœna.* Quidam noxam quæ nocuit, noxam id quod nocitum accipiunt. Tamen sæpius noxa & noxia promiscue accipiuntur; *l. 1. ff. h. tit.* & Serv. unius ob noxam ait pro noxia.

Si servus insciente domino noxam fecit, id est damnum dedit, tenetur noxali actione, nec enim ex maleficio servi debuit in plus teneri, quam ut noxæ eum dedat: quod si servus sciente domino noxam fecit, dominus tenetur in solidum, ipse enim videtur damnum dedisse, qui prohibere potuit, & non prohibuit; *l. 2. ff. de noxal. act. l. pen. C. eod. l. in lege 44., §. 1. & l. seq. ff. ad l. Aquil.* Senec. 1. de benef. 10. *Indignum si eripere latronibus potero clamore sublato, salutarem vocem homini non pigebit emittere.* Et Apul. 7. metamorphos. *an ignoras, eos etiam, qui morituris auxilium salutare denegarint, quod contra bonos mores ipsum facerent, solere puniri?* Ex delicto servi dominus tenetur noxali actione, quia præstat factum servi propter regulam, ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet; *l. ex qua persona, de R. J.* Sed noxæ deditione liberatur, quia cum ex alieno facto teneatur, iniquum erat ex delicto servi dominum in plus teneri, quam ut damno corporis, id est servi deditione, multetur; *§. summa, & l. 2. ff. h. tit.* quia ut delicta sunt personalia, ita & pœnæ: ibi pœna esse debet, ubi & noxia; *l. sancimus, C. de pœn.* Noxæ deditione dominus liberatur, & dominium servi dediti transfertur in eum cui deditus est; *§. dominus, l. electio*, in fin. *ff. hoc tit. l. 2. in fin. si ex noxal. caus. agatur.*

§. sunt

Source : BIU Cujas

§. *funt autem*, §. *omnis*, §. *ſi ſervus*.

NOxales actiones aut legibus aut edicto prætoris conſtitutæ ſunt: legibus veluti furti, ex *l.* 12. *tab.* damni injuria ex lege Aquilia, injuriarum vel vi bonorum raptorum ex edicto prætoris; §. *funt autem*, *l.* 2. *ff. h. tit.* Noxalis actio caput ſequitur, id eſt dominum, qui eſt caput ſervi, nam ſervi caput ſeu ſtatum non habent. Et hoc verum eſt quamdiu ſervus in poteſtate domini eſt. At ſi ſervus manumiſſus fuerit directo, id eſt ſtatim & principaliter, ipſe tenetur ex delicto ante manumiſſionem commiſſo; §. *omnis*, *l. quod ab alio*, *ff. de condict. furtiv. l.* 4. *C. an ſervus pro ſuo fact.* quia ſervus ex contractu quidem civiliter non obligatur, ſed ex delicto obligatur, & poſt manumiſſionem obligatus remanet; *l. ſervi*, *ff. de oblig. & act.* Si ſervus domino noxiam commiſit, inde nulla actio naſcitur, quia inter dominum & ſervum nulla obligatio nulla actio civilis conſtare poteſt; §. *ſi ſervus*, *l.* 1. *C. h. tit. l. ult. C. an ſervus pro ſuo fact. l. lis nulla*, *ff. de judic.* quia ſi ſervus domino noxam fecit, dominus poteſt eum domi convenire, id eſt jure dominicæ poteſtatis coercere; *d. l. ult. l. unic. C. de emendat. ſerv.* Unde ſi alienus ſervus noxiam tibi commiſerit, & is poſtea in poteſtate tua eſſe cœperit, adquiſitione dominii ſervi extinguitur noxalis actio, quia in eum caſum pervenit, a quo incipere non potuit; §. *ſi ſervus*, *l. ſi alienus*, *ff. h. tit.* Actio extinguitur, quæ in eum caſum deducta eſt, a quo incipere non potuit; *l. quia in eum*, *ff. ad l. Aquil. l.* 3. §. *ult. de his quæ pro non ſcript. habentur*.

§. *ult.*

JUre antiquo noxalis actio dabatur adverſus patrem ex delicto filii: ſed hodie liberi noxæ dedi vetantur, quia pene per filii corpus pater magis quam filius periclitatur, & in filiabus maxime noxæ deditionem pudicitiæ favor excludit, *ex hoc* §. Liberos utriusque ſexus noxæ dedi prohibet ratio affectus paterni, quia non eſt affectus, qui vincat paternum; *l. ult. C. de curat. furioſ.* Et pietas paterni nominis conſilium capit pro liberis; *l. nec in ea lege*, §. *ult. ff. ad l. Jul. de adulter.* & publice intereſt, ut conſulatur filiarum pudicitiæ. Unde Ulp. in *l. mulier* 22. §. *cum proponeretur*, *ff. ad Trebell.* ait, dotem detrahi ex fideicommiſſo a filia relicto, nec poſſe dici in everſionem fideicommiſſi factum, quod & mulieris pudicitiæ, & patris voto congruebat. Hoc jure igitur noxalis actio non datur in patrem ex delicto filii, quia filiuſ. ſi noxam commiſerit, ex delicto proprio poteſt conveniri, ex *hoc* §. *l. noxali*, *& ſeq. ff. h. tit.* & ideo in ſervos tantum noxales actiones proponendæ ſunt, ex *hoc* §. *& l. apud antiquos*, *C. de furt.*

Si quadrup. pauper. feciſſ. dicat.

CAP. IX.

In princ. verſ. quæ animalia, verſ. pauperies.

SI quadrupes laſcivia, aut pavore, aut feritate, pauperiem id eſt damnum fecerit, puta ſi quem equus calcitroſus calce percuſſerit, aut bos cornupeta cornu petierit, dominus tenetur noxali actione de pauperie, quæ eſt ex 12. tabulis, ſed dominus liberatur præſtando litis æſtimationem, aut noxam dedendo,

Source : BIU Cujas

id est animal quod nocuit ; *in princ. & l.* 1. *ff. h. tit.* Si quadrupes liberum hominem vulneraverit, dominus tenetur noxali actione de pauperie, sed in hac actione non fit æstimatio deformitatis, quæ contingit ex vulnere, sed impensarum in curationem factarum & operarum amissarum, quas amissurus est, qui vulneratus est, inutilis factus ex vulnere ; *l.* 3. *ff. h. tit.* Idem in actione legis Aquiliæ da damno injuria dato ; *l.* † *qua actione, ff. ad l. Aquil.* Hæc actio locum habet in animalibus, quæ præter naturam moventur, id est cicuribus, & mansuetis, quæ commota feritate pauperiem fecerint, non autem in feris, puta si ursus fugerit a domino, & sic nocuerit, cessat hæc actio, & quondam dominus non potest conveniri, quia desiit dominus esse, ubi fera evasit ; *vers. quæ animalia, & l.* 1. §. *in bestiis, ff. h. tit.* Potest tamen interdum etiam utilis actio de pauperie pro feris animalibus locum habere, ut si ursus, vel aliud animal ferum, habeatur quo vulgo iter fit, & ab eo damnum datum sit ; §. *ult.* infr. *h. tit.* Pauperies est damnum datum a quadrupede sine injuria, nec enim potest brutum animal injuriam feciſſe, quod sensu caret, id est ratione ; *vers. pauperies, l.* 1. §. *ait prætor, ff. hoc tit.* Hinc distinguitur pauperies a damno, de quo est lex Aquilia, quæ est de damno injuria dato.

§. *ult.*

ACtione ædilitia, si quis canem, verrem, aprum, ursum, leonem habeat, qua vulgo iter fit, & ab eo nocitum sit libero homini, condemnatur arbitrio judicis: quod si damnum datum sit aliis rebus, condemnatur in duplum, ex *hoc* §. *l. hi enim, & dd. seqq. ff. de ædil. edict.* Præter ædilitias actiones eadem de re datur & actio de pauperie, si enim plures actiones pœnales eadem de re concurrant, una aliam non consumit, ex *hoc* §. *l. cum ex uno, l. pen. ff. de oblig. & act. l. numquam, de R. J.* id est una electa alia datur, non in solidum, sed in id quod amplius est in ea, quam in priori actione ; *l. qui servum, l. quotiens, ff. de oblig. & act. l.* 1. *vi bonor. raptor.*

De iis per quos agere possumus.

CAP. X.

In princ.

OLIM nemo per procuratorem actionem movere vel excipere poterat, ut ait Justinianus *init. h. tit.* Jure civili enim nemo alieno nomine lege agere potest ; *l. nemo* 123. *de R. J.* id est legis actiones exercere, nisi tribus de causis, ut addit Justinianus *hoc loco*, nimirum pro populo, pro libertate, pro tutela. Pro populo, id est in causa reipublicæ vel universitatis, nam universitas non potest agere vel excipere, nisi per actorem vel syndicum, unde quibus permissum est habere corpus collegii vel societatis, proprium est habere rem communem, arcam communem, actorem seu syndicum, per quem id omne, quod communiter agi fierique oporteat, agatur fiat ; *l.* 1. §. 1. *ff. quod cujuscumq. universit. l. ult.* §. *defensores, de muner. & honor. & cap. unic. de syndic.* ubi monasterio non licet agere vel defendere, nisi per syndicum. Pro libertate alieno nomine agere licet ; si cui enim status id est libertatis controversia moveatur, publice licet cuivis eum in libertatem asserere seu vindicare, favore libertatis ; *l.* 3. §. *hoc interdictum, ff. de hom. liber. exhib. l.* 2. *ne de stat. defunctor.* Nec vero potest quisquam pro libertate agere, nisi dato assertore ;

Source : BIU Cujas

re ; *l.* 1. *C. Th. de liberal. cauſ.* ne forte ſervus lege agat adverſus dominum. Aſſertor eſt vindex alienæ libertatis ; *Paul.* 5. *ſentent. tit.* 1. Pro tutela, id eſt pro tutore ſuſpecti poſtulando. Nam actio ſuſpecti tutoris eſt popularis, hoc eſt omnibus patet ; *l.* 1. §. *conſequens*, *ff. de ſuſpect. tutor.* Præterea lege Hoſtilia licebat furti agere eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut reipublicæ cauſa abeſſent, quive in eorum cujus tutela eſſent, ut ſubjicit Juſtinianus *hoc loco*. Quod palam introductum, ne abſentium bona impune diripiantur, & ne res furto ſublatæ interim dilabantur. Extra hos caſus olim alieno nomine agere non licebat : ſed quia hoc nimis incommodum erat, & multæ cauſæ ſæpe hominibus impedimento ſunt quominus ipſi rebus ſuis ſupereſſe poſſint, poſtea uſu inſtitutum, ut liceat per procuratorem agere vel excipere, ex *init. h. tit. & l.* 1. *ff. de procur.* Ex æquo & bono receptum, ut major 60. annis vel æger, cognitorem id eſt procuratorem det; Cornific. 2. **) ad Herennium. *Ex æquo & bono jus conſtat, quod ad veritatem & utilitatem communem videtur pertinere, quod genus ut major annis 60. & cui morbus eſt cognitorem det.* Et hoc verum eſt in cauſis civilibus. In criminalibus, neque ad agendum, neque ad defendendum procurator dari poteſt, ſed uterque id eſt actor & reus per ſe cauſam agere debet ; *l. pen. ff. de public. judic.* Excipiuntur illuſtres, quibus judicio criminali injuriarum agere licet per procuratorem ; *l. ult. C. de injur.* Olim apud Francos nemini fas fuit per procuratorem cauſam ſuam admallare, id eſt in mallum ſeu judicium deducere citra reſcriptum Principis, ut liquet ex formula Marculfi *libr.* 1. *cap.* 21. Unde plerumque noſtri cauſas ſuas ipſi orabant apud judicem ; Gregor. Turonenſ. libr. 7. cap. 47. *Tunc partes a judice ad civitatem deductæ, cauſas proprias proloquuntur.* Hujus juris non inſcii ſcholares Pariſienſes, injuria omiſſo Principe, maluere adire Innocentium III. & conſtituendi procuratores jus ab eo petiere, quod non advertens Pontifex reſcripſit, ſe eis concedere conſtituendi procuratoris facultatem, etſi jure communi eum ſibi aſſumendi jus eſſet ; *cap. quia in cauſis, de procurat.* Eadem de cauſa Principes ſæculares & domini temporales monentur, ut abbatiſſas, prioriſſas, & moniales per procuratorem ſuis in tribunalibus ſeu curiis litigare permittant ; *cap. periculoſo*, §. *porro*, *de ſtat. regular. in 6.* & longo poſt tempore apud nos obtinuit, ut nulli per procuratorem experiundi jus eſſet ſine reſcripto Principis ; teſte Jo. Fabr. *in* §. *univerſitatis*, *inſt. de rer. diviſ.* Sed tamen hoc obſolevit, & unicuique permiſſum per procuratorem agere vel excipere inconſulto Principe. Nec immerito, fruſtra enim poſtulatur a Principe, quod jure communi obtineri poteſt ; *l. Imperatores*, *ff. de reb. auctor. judic. poſſid.* quæ cauſa dubitandi fuit Pontifici in *d. cap. quia* † *in cauſis*, cum ſcholares Pariſienſes ab eo peterent licentiam inſtituendi procuratoris, non advertente ipſo, jus Francicum in eo diſcrepare a jure communi.

§. I.

SIcut mandatum nudo conſenſu conſtituitur, ita & procurator ſolo conſenſu conſtitui poteſt ; procurator enim eſt, qui aliena negotia gerit mandato domini ; *l.* 1. *ff. de procur.* Unde procurator non certis, id eſt ſolemnibus, ſed quibuscumque verbis conſtituitur, ex *hoc* §. Tamen qui procuratorem dedit ad litem ſuscipiendam, id eſt defendendam, cauſæ ſuæ adeſſe non prohibetur ; *l. Paulus*, *ff. de procurat.* Et cognitor proprie dicebatur procurator præſentis ; Aſcon. in Verrin.... *Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt, aut advocatus, ſi aut jus ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico, aut procurator ſi negotium ſuscipit, aut cognitor ſi præſentis cauſam novit, & ſic tuetur ut ſuam.* Procurator abſente, immo etiam ignorante, adverſario conſtitui poteſt, ex *hoc* §. quod dicitur de procuratore ad lites. Jure civili

Source : BIU Cujas

ſententia concipiebatur in perſonam procuratoris, non in dominum litis ; *l.* 1. *& ibi gloſſ. C. de ſentent. & interlocut.* quia procurator lite conteſtata fit dominus litis ; *l. procuratoribus, & ſeq. C. de procurat.* Sed moribus noſtris ſententia ſemper fertur in dominum litis, non in procuratorem.

De ſatisdationibus.

CAP. XI.

In princ. & §. ſin autem.

OLIM ſatisdationum ratio alia fuit, quam quæ nunc uſurpatur. Olim cum in rem agebatur, poſſeſſor conventus actione in rem compellebatur ſatisdare, id eſt cavere datis fidejuſſoribus judicatum ſolvi, ex *init. h. tit. l. ſi petitor, ff. judicat. ſolvi, l. ſi eum hominem, de fidejuſſorib. l. unic. C. uti poſſidet.* Satisdationis judicatum ſolvi vis & poteſtas hæc eſt, quod ſi poſſeſſor, qui ſatisdedit judicatum ſolvi, victus judicio in rem, nec rem ipſam reſtitueret, nec litis æſtimationem præſtaret, electio eſt actoris agere in reum vel in fidejuſſorem, *init. h. tit. & l. 3. ff. judic. ſolvi*, id eſt reo damnato, fidejuſſor judicatum ſolvi poteſt ſtatim conveniri, ita ut non habeat exceptionem ordinis, vel diſcuſſionis, de quo *gloſſ. in l. ult. C. de uſur. rei judicat.* Multo magis qui in rem actione conveniebatur alieno nomine, id eſt procuratorio, compellebatur ſatisdare judicatum ſolvi, ex *init. h. tit.* Nemo enim eſt idoneus defenſor litis alienæ ſine ſatisdatione ; *l. qui proprio, l. minor, §. ult. & dd. l. ſeqq. ff. de procurat.* Qui in rem agebat ſuo nomine ſatisdare non cogebatur, qui vero in rem agebat alieno nomine, id eſt procurator, ſatisdare tenebatur de rato, ſeu rem ratam dominum habiturum, ex *init. h. tit.* Cautio de rato præſtanda eſt a procuratore, quoties de mandato dubitatur, ſi vero liqueat de mandato cautio de rato non requiritur ; *§. ſin autem, l. ſi procuratorem, ff. de procurator. l. 1. C. eod. l. qui ita, §. 1. ff. ad Trebell. l. de pupillo, §. qui procuratorio, de oper. nov. nunciat. l. 3. §. ſi procurator, ut in poſſeſſ. legat. l. † ne ſatisdatio, ratam rem haber. l. † unic. C. de ſatisdand.* Procurator ſatisdat de rato, ſi dubitatur an negotium ei mandatum ſit, quia periculum eſt ne dominus iterum eadem de re agat, unde hæc ſatisdatio appellatur amplius non agi ; *l. ſi ſervus 27. §. & ideo, ff. ad l. Aquil. l. 2. ut legat. ſervand. cauſ. l. ſi quis uni, l. amplius, rat. rem hab.* M. Tull. 13. epiſt. 28. *Sed duo quidem tè nominatim rogo. Primum, ut ſi quid ſatisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut ſatisdetur fide mea.* Et idem pro Roſcio Comœdo : *Quod ita ſatis non dedit amplius a ſe neminem petiturum.* Tutor vel curator non aliter ac procurator cogebatur ſatisdare de rato, quia ex verbis edicti quisquis agit alieno nomine tenetur ſatisdare de rato, ſed aliquando agenti ſatisdationis onus remittebatur, *init. h. tit.* Immo & vulgo obſervatum, ne tutor caveret de rato, quia rem in judicium deducit ; *l. vulgo, ff. de adminiſtr. tut.* id eſt tamquam dominus agit ; tutor enim quantum ad providentiam pupillarem domini loco habetur ; *l. tutor qui, ff. eod. l. interdum, §. qui 27. de furt.* Si tamen dubitetur an tutor vel curator ſit, cogitur cavere de rato, ne forte adverſarius decipiatur ; *d. l. vulgo.*

Source : BIU Cujas

§. *I.*

IN actione in personam, æque ac in actione in rem, qui agebat, si quidem proprio nomine, non satisdabat, sin autem alieno, satisdabat rem ratam dominum habiturum, ex *hoc* §. *l. servum*, §. *ait prætor*, *ff. de procurat.* quod ita intelligendum est, si de mandato non constaret. Et hoc pertinet ad satisdationem de rato; procurator enim, etsi de mandato constet, satisdare debet judicatum solvi; *l.* † *ne satisdatio*, *ff. rat. rem hab.* Is vero quo cum agebatur in personam, si quidem alieno nomine, omnimodo satisdabat, id est ratam rem haberi, ut judicatum solvi, quia nemo est idoneus defensor rei alienæ sine satisdatione. Qui vero proprio nomine judicium accipiebat, non satisdabat judicatum solvi, ex *hoc* §. *l.* † 5. in fin. *ff. quibus ex caus. in poss. eat.* Judicium accipit reus, judicium dictat actor.

§. *sed hodie.*

HOdie qui suo nomine convenitur quacumque actione, sive in rem, sive in personam, nullam satisdationem præstat pro litis æstimatione, id est judicatum solvi, sed cavet tantum de permanendo in judicio usque ad terminum litis, id est usque ad sententiam definitivam, vel promissione cum jurejurando, quam juratoriam cautionem vocant, vel nuda promissione, vel satisdatione, pro qualitate personæ, ex *hoc* §. *l.* 1. & passim, *toto tit. ff. de his qui satisd. cog.* Satisdatio est, quæ fit datis fidejussoribus; *d. l.* 1. *&* *l. sancimus*, C. *de V. S.* Cautio juratoria est promissio, quæ fit adhibito jurejurando. Nuda promissio est, quæ solam fidem promittentis obligat. Regulariter satisdatio requiritur, & idonei fidejussores dari debent, exceptis parentibus & patronis, qui qualescumque fidejussores dare possunt; *l.* 2. §. *prætor ait*, *ff. qui satisd. cogant. l.* 1. 2. *&* 3. *in jus vocat. ut eant.* Illustres viri, si conveniantur quacumque actione civili, vel criminali, non satisdant, sed suæ fidei committuntur, juratoria cautione ab eis exponenda; *l. pen.* C. *de dignitat.* Item possessores immobilium non satisdant, sed juratoriæ cautioni committuntur; *l. sciendum*, *ff. qui satisd. cog. l. ult.* C. *de Principib. agent. in reb.* Fiscus etiam non satisdat; *l.* 1. §. *si ad fiscum*, *ff. ut legat. serv. caus. cav.* quia fiscus semper est locuples; *l.* 2. *ff. de fund. dotal.* Clerici quoque, si conveniantur, non præstant fidejussoriam vel juratoriam cautionem, sed nudam repromissionem; *l. cum clericis*, §. 1. *l. omnes*, §. *in hac autem* 3. C. *de Episc. &* *cleric.* Hodie in Gallia non præstatur satisdatio judicatum solvi, nisi a peregrinis seu advenis, ne lusoria sint judicia, & ne privati litibus impune vexentur.

§. *si vero I. & II.*

PRocurator rei præsentis conventi tenetur satisdare judicatum solvi, & dominus pro ipso procuratore potest se ipsum fidejussorem dare in judicio, vel extra judicium, sed eo nomine se & sua bona hypothecæ obligare tenetur, ac præterea tenetur pro sua persona satisdare, id est alio fidejussore dato cavere, quod tempore sententiæ recitandæ veniet in judicium, aut nisi venerit fidejussor datus judicatum solvet, nisi fuerit appellatum; §. *si vero*, *l. filiusf.* §. *ult. ff. de procurator.* Ait nisi fuerit appellatum; cautio enim judicatum solvi non tollit remedium appellationis; *l.* 1. §. *ult. ff. quæ sentent. sine appell. resc.* Dominus litis, cum pro procuratore suo satisdat judicatum solvi, se & sua bona eo non nomine hypothecæ obligare compellitur, unde oritur duplex actio, nempe actio ex stipulatu fidejussoria, quæ est in personam, & actio hypothecaria,

Source : BIU Cujas

quæ est in rem. Cautionis gratia institutum est satisdationi judicatum solvi hypothecam bonorum subjici, quæ specialem conventionem desiderabat; ex quocumque enim contractu nascitur tantum actio in personam; *l. actionum, ff. de obligat. & act.* Sed hodie omnis contractus publicus & solemnis parit hypothecam, etsi in eo non sit conventa, quia ea, quæ sunt moris & consuetudinis, id est quæ contractibus apponi solent, etsi omissa sint, tacite insunt in bonæ fidei judiciis; *l. quod si nolit, §. quia assidua, ff. de ædilit. edict.* Procurator vero rei absentis, tam in actione in rem, quam in personam, judicatum solvi satisdare compellitur, quia nemo est idoneus defensor litis alienæ sine satisdatione; §. *si vero* 2. *l.* 1. in fin. *C. de satisdand.*

§. *ult.*

HArum satisdationum ratio apertius petenda est ex quotidiano judiciorum usu, & harum forma locum habet, non modo Romæ, quæ est caput imperii, sed & in omnibus provinciis, quia omnes provinciæ, regiæ urbis observantiam sequi debent, ex *hoc §. & l.* †. 1. §. *sed & si quæ leges, C. de veter. jur. enucleand.* Ita & tacita hypotheca, quæ a lege datur in invectis illatis in ædes conductas, non modo locum habet in utraque Roma, sed etiam in provinciis; *l. ult. C. in quib. caus. pign. vel hypothec.* Jus civile Romanorum fuit commune omnibus provinciis orbis Romani, unde jus commune dictum; Prudent. libr. 2. contra Symmach.

Jus fecit commune pares & nomine eodem.

In quibus vero causis jure scripto non utimur, consuetudo loci servanda est, ea deficiente tunc jus quo urbs Roma utitur servari oportet; *l. de quibus, ff. de legib.*

De perpet. & temporal. actionib.

CAP. XII.

In princ.

OLIM actiones civiles, id est lege, vel SC. vel constitutione institutæ, erant perpetuæ, ex *init. h. tit.* Obligatio semel contracta erat perpetua, id est non poterat tolli ipso jure tempore, sed per exceptionem, puta pacti de non potendo, vel doli mali; §. † *at si ita*, supr. *de V. O. l. si mandatu* 59. §. *pen. ff. mandat. l. nemo, de legat.* 1. *l.* † *obligationum* 44. §. 1. *de oblig. & act.* Eodem dicendi schemate æternum vocatur, quod certi temporis fine non continetur; Augustin. qu. in genes. cap. 31. in illud, *dabo tibi terram in possessionem æternam. Locutionis est scripturarum, ut æternum appellent, cujus rei finis non constituitur.* Sed hodie ex constitutionibus actiones tam in rem, quam in personam, & hypothecariæ, quæ olim erant perpetuæ, certis finibus terminantur, puta per exceptionem, seu præscriptionem 30. vel 40. annorum, ex *init. h. tit. l. sicut in rem, l. cum notissimi, C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* Actiones temporales finiuntur tempore, quales sunt ædilitiæ, & prætoriæ; *l. in omnibus 6. ff. de oblig. & act. l. in contractibus. C. de non num. pecun.* Actiones prætoriæ plerumque erant annales, quia prætoris annuum erat imperium, ex *init. h. tit.* M. Tull. Verr. † 1. 42. *Qui plurimum tribuunt edicto, prætoris edictum legem annuam dicunt esse.* Aliquando & actiones prætoriæ sunt perpetuæ, id est non finiuntur, nisi tempore constitutionibus præscripto, ut

Source : BIU Cujas

ut poſſeſſoria & fideicommiſſaria hereditatis petitio, quæ datur bonorum poſſeſſori, & fideicommiſſario univerſali, qui heredis loco ſunt, ex *init. h. tit.* Item actiones honorariæ, id eſt prætoriæ, quæ rei perſecutionem continent, ſunt perpetuæ, quæ pœnæ perſecutionem continent, ſunt annales; *l. in honorariis, ff. de oblig. & act. l. ſi mulier*, §. *hæc actio*, *rer. amotar. l. miles*, §. *ult. de re judicat.* ubi actio judicati perpetua eſt, eſt enim prætoria, & rei perſecutionem continet. Furti quoque manifeſti actio, quamvis ex ipſius prætoris jurisdictione proficiſcatur, tamen perpetua eſt: abſurdum enim eſt eam anno terminari, ex *init. h. tit. & l. ſi cum quis*, §. *quamdiu*, *ff. de furt.* Hodie actiones criminales finiuntur præſcriptione vicennii; *l. querela*, *C. ad l. Cornel. de falſ.* Sed ſecuta condemnatione actio perpetuatur, id eſt porrigitur in tricennium; actio enim judicati perpetua eſt, id eſt durat 30. annis; *d. l. miles*, §. *ult.*

§. I.

ACtiones deſcendentes ex contractu dantur heredi, & in heredem; *l. ex contractibus*, *ff. de oblig. & act.* Dantur heredi, quia qui contrahit, tam heredibus, quam ſibi contrahere intelligitur; *l. ſi pactum*, *ff. de probat.* Dantur in heredem, quia heres obligatur ex contractu defuncti. Non omnes actiones civiles & prætoriæ dantur in heredem, actiones pœnales ex maleficiis in heredem non dantur, veluti furti, vi bonorum raptorum, damni injuriæ, injuriarum, ex *hoc* §. *l. ſicuti pœna*, *l. pupillum* 111. *de R. J. l. pœnales*, in princ. *ff. ad l. falcid.* ubi Marcianus ſcribit, pœnales actiones, ſive legitimas, ſive honorarias, exceptis popularibus, in bonis actoris non ideo minus computandas, quod morte rei intercidere poſſint. Non otioſe dictum eſt, actiones ex maleficiis pœnales non dari in heredem, nam actiones, quæ rei perſecutionem continent, quamvis ex maleficio naſcantur, tamen in heredem competunt, ut condictio furtiva, & actio rerum amotarum; §. *ult.* ſupr. *de oblig. quæ ex delict. l. ſi pro fure*, §. *ult. ff. de condict. furtiv. l. 6.* §. *item heres*, *rer. amot. l. ult. C. eod.* Pœnales actiones in heredem non dantur, niſi quatenus ad eum pervenit ex dolo defuncti; *l. in honorariis*, *ff. de oblig. & act.* Actiones ex maleficiis pœnales dantur heredi, excepta actione injuriarum, & aliis ſimilibus, ex *hoc* §. Injuriarum actio neque heredi, neque in heredem datur; *l. injuriarum*, *l. item apud Labeonem*, §. *injuriarum*, *ff. de injur.* Ratio eſt, quia hæc actio non tam rei perſecutoria eſt, quam vindictæ & ultionis. Nec heredi, vel in heredem datur actio in factum, quæ datur in eum, qui pareutem vel patronum in jus vocavit ſine venia prætoris; *l. pen. ff. de in jus vocand.* Regulariter ex contractu ob dolum malum defuncti heres in ſolidum tenetur, etiam ſi ex eo dolo nihil ad eum pervenerit; *l. ex depoſiti*, *l. ex contractibus*, *ff. de oblig. & act. l. ſi hominem*, §. 1. *depoſit. l. ad ea quæ*, *de R. J.* Aliquando tamen etiam ex contractu ex dolo defuncti non datur actio in heredem, cum ex eo dolo nihil ad heredem pervenit, ut docet Juſtinianus *hoc loco*: puta ſi defunctus, cum injuriarum ageret, reum judicio ſiſti ſtipulatus ſit, quamvis actio ex ſtipulatu judicio ſiſti transeat in heredem, tamen quia hoc caſu accedit actioni injuriarum, quæ morte rei tollitur, ita etiam morte rei tollitur hæc actio ex ſtipulatu; *l. ſi cum*, §. *ult. ff. ſi quis caut.* Actiones pœnales lite conteſtata transeunt in heredem, ex *hoc* §. *l. omnes* 26. *l. conſtitutionibus*, *l. ſciendum*, *ff. de oblig. & act.*, *l. pœnalia*, *de R. J.* Ex delicto defuncti lite conteſtata actio datur in heredem in ſolidum, lite non conteſtata in quantum ad eum pervenit; *l. unic. C. ex delict. defunct. in quant. hered. conven. l. ex judiciorum*, *ff. de accuſat.* Actiones pœnales lite conteſtata transmittuntur in heredem, & temporales lite conteſtata perpetuantur; *l. ult. ff. de fidejuſſ. tutor. l. omnes*, *de R. J.* Hujus rei ratio eſt, quia lite conteſta-

Source : BIU Cujas

ra novatur actio, & quæ erat ex delicto incipit esse ex contractu, vel quasi contractu: in judicio enim quasi contrahitur; *l.* 3. §. *idem scribit*, *ff. de pecul.*

§. *ult.*

SI reus conventus ante rem judicatam satisfaciat actori, officio judicis absolvitur, licet in ea causa fuisset litis contestatæ tempore, ut damnari deberet. Et hoc est, quod olim vulgo dicebatur, omnia judicia esse absolutoria, ex *hoc* §. *& l. si reus*, *ff. de procurat.* Et hoc verum est in actionibus arbitrariis, quia in his condemnatio non fit præcise & absolute, sed ita demum, nisi actori reus rem restituat: sed non est perpetuum in omnibus aliis actionibus, in quibus judex præcise reum condemnare vel absolvere debet, vi formulæ & potestate judicii. Ita & emphyteuticarius ob cessationem biennii vel triennii in solvendo canone expelli potest, nisi celeri satisfactione sibi consuluerit; *cap. ult. de locat.* id est nisi censum solvat intra modicum tempus, quia mora facile purgatur intra modicum tempus, cum nihil actoris interest; *l. si ita quis* 35. §. 2. *ff. de V. O.*

De exceptionibus.

CAP. XIII.

In princ.

DECURSIS actionibus recte succedit titulus de exceptionibus, quia exceptio est quasi quædam contraria actio. Exceptio est actionis exclusio, seu defensio rei, quæ opponitur actori, actionis elidendæ causa; *l.* 2. *ff. h. tit.* Unde reus in exceptionibus actoris partibus fungitur, & exceptionem velut intentionem probare debet; *l.* 1. *ff. eod. l. in exceptionibus*, *ff. de probat.* Et exemplo actionis datur exceptio; *l. nec non*, §. *pen. ff. ex quib. caus. major.* Exceptiones dicuntur & præscriptiones, quia qui excipit videtur præscribere actori; Senec. epist. 48. *Quantum potes ergo, mi Lucili, reduc te ab istis exceptionibus & præscriptionibus philosophorum.* Hinc Tertulliani liber inscribitur, de præscriptionibus adversus hæreticos, id est de exceptionibus. Si plures actiones concurrant ejusdem rei nomine, una tantum non omnibus utendum est; *l. plura delicta*, *ff. de oblig. & act.* At nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint; *l.* 5. *l. nemo*, *ff. h. t.* quia reus est favorabilior, quam actor.

§. *I.*

SI quis metu, dolo, aut per errorem Titio stipulanti promiserit quod non debet, jure civili obligatur, & actio non est inefficax quantum ad conventionem, sed si conveniatur potest se tueri opposita exceptione, quod metus causa, doli mali, aut in factum, ex *hoc* §. *l.* 2. *ff. de dol. mal. & met. except. l. si quis* 36. *de V. O. l. si quidem*, *C. de contrah. & committ. stipulat. l.* 5. *C. de inutil. stipulat.* Exceptio doli hoc distat ab exceptione metus, quia exceptio doli complectitur personam ejus qui dolo fecit, metus vero exceptio scripta est in rem, id est sine ullius personæ mentione, ac formula, *si in ea re nihil metus causa factum est; l. apud Celsum*, §. *pen. ff. de dol. mal. & met. except.* Exceptio in factum datur ei, qui per errorem obligatur, sine dolo actoris. Tamen doli exceptio plerumque concurrit cum exceptione in factum, quia

Source : BIU Cujas

quia dolo facit quicumque petit quod quaque exceptione elidi potest ; *l.* 2. §. *& generaliter*, *ff. eod.* Inter doli actionem & exceptionem hoc interest, quod actio de dolo temporalis est, olim sc. finiebatur anno, hodie biennio ; *l. ult. C. de dol.* Quod enim constitutione Theodosii junioris omnes actiones in rem vel in personam præscribuntur 30. annis ; *l. sicut in rem*, C. *de præscript.* 30. *ann.* pertinet ad eas actiones, quæ olim erant perpetuæ, non ad actiones prætorias, quæ plerumque erant temporales, ut ad actionem de dolo & alias.

§. *idem juris est.*

SI quis quasi crediturο stipulanti spoponderit, id est spe futuræ numerationis, quasi creditæ pecuniæ cautionem emiserit, ipso jure obligatur, sed non secuta numeratione potest se tueri opposita exceptione non numeratæ pecuniæ, ex *hoc* §. *l.* 2. §. 3. *ff. de dol. & met. except.* Etsi actor non petat, datur ei condictio incerti, ut liberetur obligatione : obligationes enim indebiti, veluti res incorporales & incertæ, incerti condicuntur ; *l.* 5. in fin. *ff. de act. empt. l.* 2. §. *ult. de donat. l. si quis* 12. *de novat.* vel ei datur actio in rem pignoris vindicandi causa, si quod datum sit, vel agente actore datur ei exceptio non numeratæ pecuniæ ; *l.* 1. *&* 3. *l. si quasi*, C. *de non numer. pecun.* Hoc distat exceptio non numeratæ pecuniæ ab aliis exceptionibus, quod regulariter qui excipit, exceptionem probare debet ; *l. in exceptionibus*, *ff. de probat.* At qui opponit exceptionem non numeratæ pecuniæ, non probat, sed onus probandi rejicit in actorem ; *l.* 1. C. *de probat.* Item exceptiones natura sua sunt perpetuæ. Exceptio non numeratæ pecuniæ est temporalis, olim sc. finiebatur quinquennio, hodie biennio, ex *hoc* §. *l. in contractibus*, C. *de non numer. pecun.* Nostris exceptio non numeratæ pecuniæ locum habet intra decennium, sed hoc minus habet, quod intra biennium, vel post non transfert onus probandi in actorem, sed semper, reo, qui excipit de non numerata pecunia, incumbit onus probandi pecuniam non fuisse numeratam.

§. *præterea.*

SI debitor cum creditore pactus sit, ne a se petatur, ipso jure obligatus manet, quia obligationes non omnino pacto dissolvuntur, sed si conveniatur tutus est exceptione pacti de non petendo, ex *hoc* §. *l. si unus*, §. *pactus ne peteret*, *ff. de pact. l. creditori*, C. *eod.* Dixi non omnino pactis obligationes dissolvi, id est ipso jure, sed per exceptionem. Hoc intelligendum est cum obligatio fuit civilis, veluti per stipulationem contracta, non tollitur ipso jure per pactum ; *d.* §. *pactus ne peteret.* Si enim obligatio solo consensu constet, obligatio pacto tollitur ipso jure ; §. *ult.* supr. *quib. mod. tollit. obligat. l. juris gentium*, §. *adeo*, *ff. de pact.* Item obligatio pacto tollitur ipso jure, si sit pactum legitimum, aut prætorium, puta de furto, vel de injuriis ; *l.* 6. *l. juris gentium*, §. *si paciscar ne operis*, *l. si tibi decem*, §. 1. *ff. de pact.*

§. *æque.*

SI debitor creditore deferente juraverit se dare non oportere, adhuc obligatus permanet : sed quia iniquum est de perjurio quæri, tuetur se exceptione jurisjurandi. Ita & actione in rem, si possessor conventus actore deferente juraverit rem suam esse, & conveniatur eadem de re, exceptione jurisjurandi adjuvatur, ex *hoc* §. *l. nam postquam*, §. *ult. ff. de jurejurand.* Ratio dubitandi peti poterat ex eo, quod in *l. ait prætor*, *ff. eod.* si reus delato jurejurando juraverit se dare non oportere, prætor ait, se ejus rei actionem non

Source : BIU Cujas

daturum : quibus verbis oſtenditur, actionem ipſo jure tolli per jusjurandum, cum denegetur actio ea de re, de qua ſemel juratum eſt. Sed verum eſt, actionem non tolli ipſo jure per jusjurandum, uti de pacto dictum eſt, ſed per exceptionem, & debitorem vel poſſeſſorem, qui actore deferente juraverit ſe non debere, vel rem ſuam eſſe, adhuc jure ipſo obligatum permanere, ſed actionem non dari a prætore, ſi conſtet ei juratum eſſe, quod inanis actio futura ſit propter exceptionem jurisjurandi, quaſi per pactum, quia jusjurandum habet vim pacti conventi ; *l.* 2. *ff. eod.*

§. *item ſi in judicio*, † §. *quarum*, §. *appellantur*, §. *perpetuæ*, §. *temporales*.

EXceptiones aliæ ex legibus inſtitutæ ſunt, vel ex iis quæ legis vicem obtinent, aliæ ex ipſius prætoris jurisdictione, ex *hoc* §. *& l.* 3. *ff. h. tit.* Exceptiones legibus comparatæ ſunt, quæ jure civili introductæ ſunt, & ipſo jure tollunt obligationem, & actionem, ut exceptio pacti de injuriis, vel de furto ; *l.* 6. *l. juris gentium*, §. *ſi paciſcar*, *l. ſi tibi decem*, §. 1. *ff. de pact.* Ex iis, quæ legis vicem obtinent, oriuntur exceptiones, quæ SC. vel conſtitutionibus introductæ ſunt, ut exceptio Macedoniani, Vellejani, & non numeratæ pecuniæ. Exceptiones prætoriæ ſunt, quæ a prætore inſtitutæ ſunt, ut exceptio doli, vel metus, & ſimiles. Exceptiones aliæ ſunt perpetuæ & peremptoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ. Perpetuæ ſeu peremptoriæ ſunt, quæ ſemper agentibus obſtant, ſemper locum habent, nec evitari poſſunt, id eſt opponi poſſunt in quocumque articulo litis, ante rem judicatam, & objectæ litem omnino perimunt, ut exceptio doli, & metus, exceptio rei judicatæ, pacti conventi perpetui, id eſt ne omnino pecunia petatur. Dilatoriæ ſunt, quæ non ſemper locum habent, id eſt non ſemper opponi poſſunt, ſed ante litem conteſtatam, & actionem non perimunt, ſed differunt, ut exceptio pacti conventi temporalis, ut ne intra quinquennium petatur, exceptio procuratoria, cum quæritur an quis ſit idoneus procurator, præſcriptio ſeu exceptio fori, cum judex negatur eſſe competens ; §. *perpetuæ*, §. *temporales*, *l.* 2. *& 3. ff. h. tit. l.* 4. *&* 8. *l. pen. & ult. C. eod. l. ita demum*, *l. licet*, *C. de procurat. l.* † *filiuſ.* §. *veterani*, *verſ. milites*, *ff. eod. tit. l.* 2. *C. ſentent. reſcind. non poſſ. l.* 4. *C. de jurisdict. omn. judic. cap. inter* 2. *de re judicat.* Exceptiones dilatoriæ, puta exceptio procuratoria, vel exceptio fori, non poſſunt opponi niſi in principio litis, ante litem conteſtatam ; *d. l. pen. & ult. C. de except. l.* 65. *C. Th. de appellat.* quia hujusmodi exceptiones ſunt de perſonis, quibus judicium conſtat, puta in his quæritur, an reus vel actor vel procuratores eorum ſint idonei, an judex ſit competens, ideoque ut lis conſtituatur, neceſſe eſt primum has exceptiones diſceptari ; *d. l. licet*. Exceptiones peremptoriæ poſt litem conteſtatam ante ſententiam opponi poſſunt, poſt ſententiam ſerius opponuntur, nec ſententia hac de cauſa reſcinditur, quod omiſſa fuerit exceptio peremptoria, niſi beneficio appellationis, ſi res judicata ſit contra majorem 25. annis, vel beneficio reſtitutionis in integrum, ſi res judicata ſit contra minorem 25. annis ; *d. l.* 2. *C. ſentent. reſcind. non poſſ.* Minor enim 25. annis reſtituitur adverſus omiſſas allegationes & exceptiones ; *l. minor* 25. *annis* 36. *ff. de minorib.* Exceptiones peremptoriæ non opponuntur poſt rem judicatam, nempe propter auctoritatem rerum judicatarum, ut aliquis ſit litium finis, & ne lites ex litibus naſcantur ; *l.* 6. *ff. de except. rei judicat. l. quidam, de reb. credit.* Excipiuntur exceptiones Vellejani, & Macedoniani, quæ ſi omiſſæ ſunt, poſt ſententiam opponi poſſunt, odio fœneratorum, & favore ſexus muliebris ; *l. tamen*, *ff. de SC. Maced.* Aliæ ſunt exceptiones, quæ opponi poſſunt in executione judicati, nimirum quæ non impugnant judicatum, ut exceptio ſolutionis, & compenſationis, quæ non impugnant judicatum, quia omnia judicia

ſunt

Source : BIU Cujas

sunt absolutoria ; §. *ult.* supr. *de perpet. & temporal. act.* id est tacitam in se conditionem continent, nisi solutum sit.

§. *ult.*

ETiam ex persona sumuntur quædam dilatoriæ exceptiones, quales sunt exceptio procuratoria, cum procurator negatur esse idoneus, veluti si miles sit, vel mulier, quia miles, vel mulier procuratoris officio fungi non possunt, ex *hoc* §. *l. filiusfamilias*, §. *veterani*, *l. neque femina*, *ff. de procurat. l.* 4. *l. militem*, *C. eod.* Exceptio infamiæ olim procuratori agenti alieno nomine opponi poterat. Sed quia hujusmodi exceptio in judiciis non frequentabatur, a Justiniano sublata est, ne lites protelentur, ex *hoc* §. Alia est exceptio procuratoria, in qua non quæritur de persona, an procurator sit idoneus, id est an legitimam personam standi in judicio habeat, sed an mandatum a domino litis habeat ad agendum ; *d. l. licet*, *C. de procurat.*

De replicationibus.

CAP. XIV.

In princ. §. *rursus*, §. *etsi rursus.*

JUDICIORUM ordo hic est. Actori reus opponit exceptionem, rei exceptioni actor opponit replicationem, quæ est contraria exceptio ex parte actoris, & quasi exceptionis exceptio ; *l.* 2. §. 1. *l. exceptio*, *ff. de except. l.* 10. *C. eod.* Replicatio inde dicta, quod per eam replicatur, & resolvitur jus exceptionis, ut ait Justinianus *init. h. tit.* Replicare enim idem sonat quod resolvere, & est compositum a verbo plicare, quod idem est ac plectere, seu nectere ; Ambros. in psalm. 118. sermon. 2. (num. 7.) *Vidit dominum Jesum cum plicaret retia sua.* Replicationi rursus opponitur duplicatio ex parte rei, & rursus duplicationi rei opponitur triplicatio ex parte actoris ; §. *rursus*, & §. *etsi rursus*, *h. tit. l.* 2. §. 3. † *de except.*

§. *ult.*

ALiæ sunt exceptiones personales, seu cohærentes personæ rei, seu debitoris, aliæ sunt reales, seu rei cohærentes. Exceptiones reales, quæ prosunt reo, prosunt & fidejussori, ut exceptio pacti de non petendo, exceptio doli, quod metus causa, exceptio restitutionis minoris ob dolum creditoris. Exceptiones personales, quæ prosunt reo, non prosunt & fidejussori, ut exceptio cessionis bonorum, vel restitutionis minoris minore restituto ætatis beneficio, quia fidejussor desideratur propter periculum casus fortunarum debitoris, vel metum restitutionis minoris, ex *hoc* §. *l. exceptiones* 7. *ff. de except. l. in causa*, *de minorib. l.* 2. *C. de fidejuss. minor.* Exceptiones reales prosunt utrique, reo, & fidejussori, quia quod a fidejussore petitur, ab ipso reo peti videtur, qui actione mandati repetiturus est a reo quod solverit, ex *hoc* §. *l. mandati*, *C. de fidejuss.* Et exceptio, quæ datur reo, inutilis futura est, nisi prosit fidejussori, qui actione mandati repetiturus sit quod solvisset. Fidejussor habetur pro reo, fidejussio est accessio obligationis ; *l.* 3. *ff. eod.* Unde jure veteri fidejussor poterat conveniri, omisso reo principali ; *l. reos principales*, *C. eod.*

Source : BIU Cujas

De interdictis.

CAP. XV.

In princ. & §. ult.

INTERDICTA etiam actionum appellatione continentur; *l. actionis, ff. de oblig. & act.* quia repræsentant vicem actionum. Unde sicut actiones interdicta quoque in albo, id est edicto prætoris, proponebantur; *l. 1. C. h. tit. l. ult. ff. ne quid in loc. public.* & exemplo actionum ante judicium edebantur; *l. ult. C. h. tit.* Hoc distant interdicta ab actionibus, quod actiones aliæ sunt civiles, aliæ prætoriæ: interdicta omnia sunt prætoria. Actionum quædam in rem sunt, quædam in personam: interdicta omnia, licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt; *l. 1. §. pen. ff. h. tit.* Quam ob causam præses provinciæ non potest ex interdicto cognoscere in eum, qui ejusdem provinciæ non est; *l. 2. C. h. tit.* Actor enim sequitur forum rei, in interdictis velut in actionibus personalibus. Actiones sunt formulæ, ex quibus prætor ipse non judicat, sed judicem dat. At de interdictis non judex datus, sed prætor ipse cognoscit. Interdicta sunt formulæ seu conceptiones verborum, quibus prætor, aut vetat, aut jubet aliquid fieri, ex *init. h. tit.* Actiones sunt de proprietate, aut possessione, aut obligationibus dandi, aut faciendi. Iterdicta omnia sunt judicia possessoria, in quibus de possessione, vel quasi possessione disceptatur, ex *init. h. tit. l. 1. ff. h. tit.* Quintil. 7. instit. 5. *Et in sponsionibus, quæ ex interdictis fiunt, etiam si non proprietatis est quæstio, sed possessionis, tamen non solum possedisse nos, sed etiam nostrum possedisse docere oportebit.* Interdicta definiuntur formulæ & conceptione, verborum, quia interdicta reddebantur a prætore, sicut actiones, certis & solemnibus verbis. Tamen formulam ab interdicto separat Quintil. libr. de oratore: *Multum interest utrum de furto, aut formula, & interdicto dicendum habeas*, quo loci formulæ nomine intelligitur actio, quæ proprie dicitur formula, quasi magis solemnis. Interdicta erant juris ordinarii, hoc est prætorii, unde Frontin. libr. de limit. agror. *De possessione controversia est, de qua ad interdictum, hoc est jure ordinario litigatur.* Jure civili per interdictum agendum dixit Petron. in satyr. *Negavi circuitu agendum, sed plane jure civili dimicandum, ut si nollet alienam rem domino reddere, ad interdictum veniret.* Sed abusive jus civile pro prætorio usurpatur. Sicut formulæ actionum sublatæ sunt constitutione Constantini, ex quo omnia judicia hodie sunt extraordinaria; *§. ult. h. tit. & §. 1. supr. de succeſſ. sublat.* ita & interdictorum solemnis ordo & ritus desuetudine exolevit, & in eorum vicem subrogatæ sunt extraordinariæ actiones ad exemplum interdictorum; *d. §. ult. l. pen. & ult. C. h. tit. l. ult. C. de act. empt.* Unde titulus digestorum, qui respondet isti, conceptus est de interdictis, sive extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt. Hæ actiones comparatæ sunt ad exemplum interdictorum, & eorum naturam retinent; *l. si † eum, §. qui injuriarum, ff. si quis caut.*

§. I.

SUmma divisio interdictorum hæc est, quod aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. Prohibitoria sunt, quibus prætor vetat aliquid fieri, veluti vim fieri ei, qui sine vitio, id est nec vi, nec clam, nec precario

Source : BIU Cujas

rio possidet: quo significatur interdictum uti possidetis, quod datur ei, qui nec vi, nec clam, nec precario possidet, ab eo quo cum agit retinendæ possessionis causa; *l.* 1. *ff. uti possidet.* Vel vim fieri vetat mortuum inferenti, qui habet jus inferendi, puta inferenti in locum suum, non alienum, vel commune sepulcrum, de quo interdictum de mortuo inferendo; *l.* 1. *ff. de mortuo inferend.* aut vetat in loco sacro ædificari, quo sc. locus sacer deformior aut deterior fiat, de quo interdictum ne quid in loco sacro fiat; *l.* 1. *ff. ne quid in loco sacr. fiat.* Aut vetat ne quid fiat in flumine publico, ripave ejus, quo pejus navigetur, de quo interdictum ne quid in flum. public. *l. un. ff. ne quid in flum. public. l. Imperatores, de servitut. rustic. prædior.*

Restitutoria interdicta sunt, quibus quid prætor restitui jubet, veluti bonorum possessori possessionem eorum, quæ quis pro herede, vel pro possessore possidet, ex *hoc* §. quo significatur interdictum quorum bonorum, quod datur bonorum possessori adversus eum, qui pro herede, vel pro possessore possidet; *l.* 1. *ff. quor. bonor.* Restitutorium est, quo prætor jubet vi dejecto possessionem fundi restitui, quo significatur interdictum unde vi, quod datur ei, qui vi dejectus est de possessione fundi sui ad recuperandam possessionem; *l.* 1. §. *hoc interdictum* 1. *ff. de vi & vi armat.*

Exhibitoria interdicta sunt, cum prætor jubet quid exhiberi, ex *hoc* §. *l.* 1. §. 1. *ff. h. tit.* Veluti cum de libertate cujuspiam agitur, id est ut liber homo, qui quasi servus detinetur, exhibeatur, de quo datur interdictum de libero homine exhibendo, de quo in digestorum libris proprius est titulus. Interdictum exhibitorium hoc distat ab actione ad exhibendum, quod actio ad exhibendum est de rebus privatis, interdictum est de libero homine exhibendo, libertatis tuendæ gratia; *l. si liber, ff. ad exhibend.* Actio ad exhibendum est præparatoria actionis in rem, quæ competit ei, qui de proprietate acturus est, interdictum vero non ad proprietatis, sed possessionis judicia pertinet. Interdictum exhibitorium est, quod datur de exhibendo liberto, cui patronus operas indicere velit, vel de liberis parenti exhibendis, si plagio detineantur, ex *hoc* §. *l.* 1. *& ult. ff. de liber. exhibend. l.* 1. §. *per hanc autem, de rei vindicat. l.* 1. §. *ex hoc rescripto, de inspic. ventr. &* §. *ult.* supr. *de obligat. quæ ex delict. nasc.* Interdicta proprie dicuntur, quæ prohibitoria sunt, quia interdicere sumitur pro denunciare, & prohibere; Terent. in Hecyra: *Interdico, ne extulisse extra ædes puerum usquam velis*, & ibi Donatus: *Inter edico & interdico, hoc interest, edicimus quod jubemus fieri, interdicimus quod vetamus fieri.* Restitutoria autem & exhibitoria proprie decreta vocantur, sed tamen usu obtinuit, omnia interdicta vocari, quia inter duos dicuntur, ex *hoc* §. *in fin.* id est inter actorem & reum, qui etsi plures sint, duorum numero subaudiuntur, quia plerumque judicium redditur inter duos, ut bellum duellum dictum, quod duabus partibus certatur; Festo *in verb. duellum.* Aliis interdictum inde dictum, quod a judice non in perpetuum, sed reformandæ possessionis causa ad tempus interim dicitur, donec de proprietate judicetur; Isidor. *libr.* 5. *orig. cap.* 25.

§. *sequens*, §. *adipiscendæ.*

INterdicta omnia sunt judicia possessoria, quibus prætor judicat, apud quem rei controversæ possessionem esse oporteat, quoad de proprietate judicetur; *l.* 1. §. *ult. ff. de aq. quotid. & æstiv.* Interdicta alia sunt adipiscendæ possessionis, alia retinendæ, alia recuperandæ; §. *sequens, l.* 2. §. *hæc autem, ff. h. tit.* Adipiscendæ bonorum possessionis causa comparatum est interdictum quorum bonorum, quod datur bonorum possessori adversum eum, qui pro herede, vel pro possessore possidet; §. *adipiscendæ, l.* 1. *ff. h. tit.* Hoc congruit petitio hereditatis, quod datur in eum, qui pro herede, vel pro possessore possidet;

Source : BIU Cujas

l. regulariter, ff. de petit. hered. Pro herede possidet, qui putat se heredem esse, puta ex testamento, quod valere putat, cum re vera non valeat, aut tamquam agnatus proximus, qui ab alio antevertitur. Pro possessore possidet, qui sciens nullo jure rem possidet, id est qui interrogatus, cur possideat, nullam potest allegare aliam causam possidendi, quam quia possidet; §. *adipiscendæ, l. pro herede, & seq. ff. de petit. hered.* Hoc discriminis est inter petitionem hereditatis, & interdictum quorum bonorum, quod hereditatis petitione tenentur etiam debitores hereditarii, quasi juris possessores; *l. nec ullam, §. ult. ff. de petit. heredit.* interdicto autem quorum bonorum, debitores hereditarii non tenentur, sed tantum corporum possessores, id est qui res corporales sive corpora hereditatis, non qui jura, possident; *l. 2. ff. quor. bonor.* quia interdictum, quorum bonorum persequitur tantum corporalem possessionem rerum; petitio autem hereditatis persequitur jus universum defuncti. Interdictum quorum bonorum vocatur adipiscendæ possessionis, quia ei tantum datur, qui nunc primum conatur adipisci rei possessionem. Si quis possessionem semel adeptus eam amiserit, hoc interdictum ei inutile est; §. *adipiscendæ, l. 1. ff. quor. bonor.* Tamen hoc interdictum numeratur inter restitutoria, quia hic restituere sumitur pro dare, ut reddere apud Servium in illud † 3. Æneid. 334. & seq. *Regnorum reddita cessit pars Heleno: more veteri pro data accipiendum.* Amissæ possessionis recuperandæ causa institutum est interdictum unde vi, de quo in §. *recuperandæ*, infr. *h. tit.* Adipiscendæ etiam possessionis causa comparatum est interdictum Salvianum, quod excogitatum est a Salvio Juliano auctore edicti perpetui, quod datur domino fundi seu locatori ad adipiscendam possessionem rerum coloni pro mercede conductionis expressim pignori obligatarum; §. *adipiscendæ.* Ejusdem rei nomine comparata est Serviana actio; §. *item Serviana*, supr. *de action.* Hoc interest, quod Salvianum interdictum datur tantum adversus conductorem possessorem rerum pignori obligatarum, Serviana actio datur adversus quemlibet possessorem; *l. 1. §. 1. ff de Salvian. interdict. l. 1. C. de precar.* Ratio differentiæ est, quod interdicta vi ipsa personalia sunt. Serviana est actio in rem, quæ persequitur rem etiam adversus tertium possessorem, item in Serviana agitur de jure pignoris, id est necesse est probare colonum, qui res pignori obligavit, earum dominum fuisse; *l. 1. §. cum prædium, ff de pignorib.* In Salviano interdicto nonnisi de possessione quæritur, id est satis est probare colonum eas res possedisse; *l. 1. ff. de salv. interd.*

§. *retinendæ.*

RETinendæ possessionis causa, comparata sunt interdicta uti possidetis, & utrubi, ex *hoc §. l. 2. ff. h. tit. l. 1. §. 1. ff. uti possidet.* ubi Ulpianus ait, hoc interdictum esse prohibitorium ad retinendam possessionem. Huic interdicto locus est, cum de proprietate rei controversia est inter duos, & ante, id est primum, quæritur, uter ex litigantibus possideat, ut lis ordinetur, & sciatur uter petere debeat, id est uter sit actor vel reus; Augustin. in brevicul. collat. *Volebant enim ut constaret Catholicos esse, ut ex forensi jure possent discutere personas petitorum.* Actio enim in rem non potest institui priusquam pateat quis possessor sit, *ex hoc §.* quod hæc actio non detur possessori, cum ei sufficiat, quod possideat; *l. 1. §. interdictum autem, ff. uti possidet.* In rem actio non datur, nisi adversus possessorem, & in actione in rem frequens incidit quæstio de possessione, id est uter possessor sit, quia longe commodius est possidere, quam petere, quod qui possidet, etiam si res ejus non sit, actore non probante rem suam esse, absolvitur, ex *hoc §. & l. ult. C. de rei vindicat.* Et in dubio secundum possessorem judicari solet, *ex hoc §. l. † 2. C. de probat.* Unde is, qui in rem acturus est, animadvertere debet, an aliquo interdicto pos-

Source : BIU Cujas

possessionem nanciſci possit, ut in adversarium onus probandi dominii transferat; *l. is qui destinavit,* † *ff. de rei vindicat.* Possessor enim non cogitur probare jus possessionis: & hac exceptione sese tuebatur Philippus Comes Flandrensis adversus Philippum Augustum, apud Guillelm. Briton. Philippid. libr. 2.

Jusque mihi defendit in his, possessio sola,
Nam possessorem compelli dicere, quo rem
Possideat titulo, nimis incivile videtur.

Interdictum uti possidetis pertinet ad possessionem rerum soli seu immobilium. Interdictum utrubi est de possessione rerum mobilium, *ex hoc §. l. 1. §. est igitur, ff. uti possidet. l. unic. ff. utrubi.* Interdictum uti possidetis sic dictum ex verbis edicti, uti possidetis, quominus ita possideatis, vim fieri veto. Olim interdictum uti possidetis eo discrepabat ab interdicto utrubi, quod interdicto uti possidetis vincebat, qui tempore interdicti, seu interdicti redditi, id est litis contestatæ, nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidebat, etsi ab alio possideret aut vi, aut clam, aut precario. Utrubi vero interdicto is vincebat, qui majore parte ejus anni, nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidebat; *l. majore, ff. de V. S.* Hodie utriusque interdicti eadem vis est ac potestas quantum ad possessionem, & ille vincit in utroque interdicto, qui nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidet litis contestatæ tempore, ex *hoc §. & d. l. unic. ff. utrubi.* Hodie in interdicto uti possidetis vincit, qui justiorem & antiquiorem possessionem probavit; *cap. licet, de probat.* quia pro antiquiori possessione præsumitur. Hoc interdictum intra annum datur, post annum proponi non potest; *l. 1. ff. uti possidet.* Et hoc est quod dicitur in foro, hoc interdictum debere proponi intra annum & diem ab interturbata possessione.

§. *possidere.*

INterdictum uti possidetis datur solis possessoribus: civilis, an naturalis possessio sit nihil refert. Quâ de causa etiam fructuariis & usuariis datur hoc interdictum, si in sua naturali possessione turbentur; *l. ult. ff. uti possidet.* Sed hoc interdictum non datur nudis detentoribus, puta non datur creditoribus missis in possessionem bonorum crediti servandi causa, quia non possident; *l. 3. §. creditores, ff. eod.* Possidere videtur, non solum qui per semetipsum possidet; sed etiam qui possidet per alium, veluti colonum, inquilinum, depositarium, *ex hoc §. l. 1. §. per procuratorem, l. generaliter, l. qui universas, §. quod per colonum, ff. de adquir. possess.* Unde hi præscribere non possunt, quia non sibi possident, sed domino; *l. 1. C. comm. de usucap.* Et hoc est quod dicitur, retineri licere possessionem per quemlibet, qui nostro nomine in possessione sit, *ex hoc §.* Quinetiam possessio facilius retinetur, quam adquiritur. Possessio retinetur solo animo, quamvis corpore quis non incumbat fundo, modo habeat animum possidendi. Possessio non adquiritur, nisi corpore & animo, ex *hoc §. l. 3. §. Neratius, §. in amittenda, ff. de adquir. possess. l. 4. C. eod.*

§. *recuperandæ.*

REcuperandæ possessionis causa proditum est interdictum unde vi, si quis de possessione fundi vel ædium vi dejectus sit, ex *hoc §.* Interdicto nomen ex verbis edicti prætoris, *unde tu illum vi dejeciſti, eo restituas.* Græcis ἐξ ὅλης δίκη; Demostheni in Midiam, & Suidæ in verb. ὅσιας δίκη. Hoc interdictum pertinet, ad recuperandam possessionem rerum immobilium, veluti fundi vel ædium, non ad res mobiles, nam de his comparata est actio furti, vel vi bonorum raptorum; *l. 1. §. hoc interdictum non ad omnem, §. & generaliter,*

Source : BIU Cujas

ff. de vi & vi armat. vel actio ex *can. redintegranda*, 3. *qu.* 1. Hoc interdictum non pertinet ad quamlibet vim, sed tantum ad atrocem, qua quis de possessione fundi dejectus est; *d. l.* 1. §. *hoc interdictum*. Interdictum unde vi datur etiam ei, qui aut vi, aut clam, aut precario possidet ab eo in quem agit, ex *hoc* §. *l. sed si vi*, *ff. de vi & vi armat. l. ult. de adquir. possess.* Et hoc est quod dicitur *in cap. in litteris, de restit. spoliat.* etiam prædoni, si vi dejectus sit de possessione, dari hoc interdictum. Mala enim fide possidet, qui vi, aut clam, aut precario possidet; Donatus in illud Eunuchi: *Hanc tu mihi, vel vi, vel clam, vel precario fac tradas. Secundum jus locutus est, nam his tribus mala fide aliquid possidetur, vi, clam, precario.* Et hoc interdictum locum habet in interdicto de vi armata, id est vi armis facta, nam interdictum de vi simplici, seu quotidiana, id est sine armis facta, non datur ei, qui aut vi, aut clam, aut precario possidet, ab eo a quo vi dejectus est; de quo M. Tull. pro Cæcin. (32.) *In illa vi quotidiana non satis est posse docere se dejectum, nisi ostendere possit, cum possideret, tum dejectum. Ne id quidem satis est, nisi docet ita se possedisse, ut nec vi, nec clam, nec precario possederit.*

Ex constitutionibus, si quis rem suam, quæ ab alio tenetur, per vim arripuerit, ejus dominio cadit; qui rem alienam, rem ipsam restituere, & æstimationem præstare compellitur, ex *hoc* §. *&* §. 1. supr. *vi bonor. rapt.* l. *si quis in tantam*, C. *unde vi*. Hodie si quis aliquem vi dejecerit de possessione sua, non ideo statim dominium rei suæ amittit, sed non potest audiri, nec referre quæstionem dominii, priusquam rem restituerit; *l. si quis*, C. *ad l. Jul. de vi public.* Et hoc est quod dicitur, spoliatus ante omnia restituendus; *d. can. redintegranda*, *cap.* 1. *cap. in litteris, de restit. spoliat.* Sugerus Abbas in vit. Ludovici Craff. *Si quidem de curia exeunt, qui Comitem conveniant, extraordinarie expoliatum ordinarie revestiri ore defensoris præcipiant, de jure in curia ejus ratiocinando certa die decertent.* Et Goffrid. Vindocinens. libr. 2. epist. 13. *Quia rebus propriis expoliati, sicut ipse melius nostis, antequam quæ eis ablata sunt, universa potestati eorum restituant, ad judicium minime debent convocari.* Interdictum unde vi datur adversus eum, qui vi dejecit tantum, non adversus tertium possessorem; *l. cum a te*, *ff. de vi & vi armat. l.* 4. §. *si tu me vi*, *ff. de usucap.* Verum jure Pontificio interdictum unde vi sequitur quemcumque possessorem; *cap. quia, de judic. cap. sæpe contingit, de restitut. spoliat.* quia vitium possessionis transit in successorem; *l. vitia*, C. *de adquir. possess.*

Interdictum unde vi datur intra annum utilem, videlicet intra annum datur in solidum, post annum de eo tantum, quod ad eum pervenit qui vi dejecit; *l.* 1. init. *l.* 3. §. *hoc interdictum*, *ff. de vi & vi armat.* Et hoc verum est in interdicto de vi simplici; interdictum enim de vi armata est perpetuum, & ideo in hoc interdicto non solet addi in hoc anno, ut in aliis interdictis; M. Tull. 15. epist. 16. *Postulabimusque, ex qua hæresi, vi, hominibus armatis dejectus sis, in eam restituare.* Ex constitutionibus actio unde vi, seu ex canone redintegranda, non præscribitur, nisi triginta annis; *l. ult. C. unde vi.* Præter interdictum unde vi, quod est civile judicium, vi dejecto de possessione sua, recuperandæ possessionis causa datur actio criminalis legis Juliæ de vi privata, aut publica: de vi privata, si sine armis vis facta sit, de vi publica, si cum armis de possessione vi dejectus sit, *ex hoc* §. in fin. *l.* 1. *ff. ad leg. Jul. de vi public. l. si quis*, C. *eod.* §. *item lex Julia de vi publica*, infr. *de public. judic.* quinetiam finito interdicto datur actio in rem adversus possidentem; *l.* 1. C. *si per vim, vel alio modo.*

§. *ult.*

TErtia divisio interdictorum hæc est, quod alia sunt simplicia, alia duplicia. Simplicia sunt, in quibus ex litigatoribus, alter est actor, alter reus, qua-

Source : BIU Cujas

qualia sunt interdicta restitutoria, aut exhibitoria, nam in his actor est, qui desiderat rem exhiberi aut restitui; reus autem est, a quo desideratur rem restitui aut exhiberi. Prohibitoria interdicta, alia sunt simplicia, alia duplicia. Simplicia sunt, veluti interdictum ne quid fiat in loco sacro, interdictum ne quid fiat in flumine publico, quia in his alter est actor, alter reus. Duplicia sunt, in quibus uterque est actor & reus, qualia sunt interdictum uti possidetis, & interdictum utrubi, quæ comparata sunt retinendæ possessionis causa, quia uterque se possessorem adfirmat, sed queritur se in possessione turbari, ex *hoc* §. *l.* 1. §. *inter litigatores*, *l.* 3. §. *hoc interdictum*, *ff. uti possidet. l. actionis*, *de oblig. & act.* Unde formula horum interdictorum concipiebatur quasi uterque possideret, non quasi unus peteret, alter possideret, nempe hoc modo, *uti possidetis*, *ita possideatis*, *utrubi hic homo fuit majore parte anni*, *non ubi*. Qui agit hoc interdicto asserit possessionem ex parte sua, & turbationem ex parte adversarii, unde Galli vocant hujusmodi interdictum, *casum novitatis & querelæ*, *seu recredentiam*, quia in hoc interdicto non restituitur proprie possessio, sed recreditur, id est quasi finitur veteri possessori: forensibus enim recredere est non possessionem ablatam restituere, sed turbatam reformare, & antiquam finere; Ivo Carnotens. epist. 275. *Dicit enim Comes*, *quod libenter reddet*, *aut recredet Comitem Nivernensem*. Et Goffrid. Vindocinens. libr. 2. epist. 30. *Olim Carnotensis ecclesia boves & oves vel quæcumque ecclesiarum prædæ*, *si caperentur*, *reddi aut recredi faciebat*.

De pœna temere litigantium.

CAP. XVI.

In princ.

EXPOSITIS actionibus, nunc agitur de judiciis, id est de ordine, ratione, sive processu judiciorum, ac primum de modis, quibus temeritas, aut potius insania litigantium coercetur. Nimirum magna cura adhibita est ab his, qui jura sustinebant, ne facile homines ad litigandum procederent, ex *init. h. tit.* Quod de prætoribus in primis intelligendum est, quia ad officium prætoris pertinet lites deminuere; *l. quidam*, *ff. de reb. credit. l.* 4. §. *ait prætor*, *de re judicat. l.* 1. §. *inde quæritur*, *de oper. nov. nunciat.* Unde si lis esset inter conjunctas personas, judex per modum interlocutionis suadere solebat, ut de lite paciscerentur; *l. ex stipulatione*, *C. de sentent. & interlocut.* Tres autem modi sunt, quibus litigantium temeritas coercetur, sive sit actor, sive reus, nempe pœna pecuniaria, jusjurandum de calumnia, & infamia, ex *init. h. tit.* Hoc proposito forum muricibus sternendum censuit Cato, quod mutatis moribus velis intextum, displicet Plinio libr. 19. cap. † 6. *Marcellus ... in ædilitate sua ... velis forum umbravit*, *ut salubrius litigantes consisterent: quantum mutatis moribus Catonis Censorii*, *qui sternendum quoque forum muricibus censuerat?*

§. I.

JUrejurando de calumnia cohibetur temeritas litigantium. Actor enim & reus, non prius admittuntur ad agendum vel defendendum, quam jurent de calumnia, id est se litem non movere vel suscipere calumniandi causa, id est adversarii distringendi causa, sed putantes se bonam causam habere, alioqui recusantis jurare de calumnia pœna est, ut actor causa cadat, & reus pro con-

Source : BIU Cujas

fesso habeatur ; *l.* 2. *C. de jurejur. propter calumn. dand. cap. ult. eod. tit. l. inter coheredes*, §. 4. *ff. famil. erciſc.* Advocati etiam utriusque partis jurant de calumnia, ex *hoc* §. *& d. l.* 2. Jusjurandum de calumnia introductum est vice veteris de calumnia actionis, quæ in desuetudinem abiit, quia durior visa est, quod decima litis actorem multaret, ex *hoc* §. Postea tamen hoc jus restitutum a Justiniano, ut actor præter jusjurandum de calumnia cogatur initio litis satisdare, se, si causam amiserit, decimam litis soluturum ; *novell. Justin.* 112. *cap.* 2. Hodie in Gallia non juratur de calumnia, ne via aperiatur perjurio. Pœna pecuniaria coercetur qui temere litigat ; victus enim victori condemnatur in expensas litis & damnum omne, ex *hoc* §. *l. eum quem*, *ff. de judic. l. properandum*, §. *ſive autem*, *C. eod. l.* 4. *C. de fructib. & lit. expenſ.* Et qui temere appellavit multatur arbitrio judicis ; *l. eos qui*, §. *pen. C. de appellat.* Interdum varietas causæ postulat, ut neuter sumptuum nomine condemnetur ; *nov.* 82. *cap.* 10. Sunt quædam etiam actiones, quæ inficiatione crescunt in duplum, ut actio legis Aquiliæ de damno injuria dato, & actio legati pii, ex *hoc* §. de quo satis accurate dictum in §. *ex maleficiis*, supr. *de actionib.*

§. *pen.*

LItibus modus imponitur etiam infamiæ metu. Pudor bonus est magister officii, inquit Ambros. *in Luc. cap.* 16. Quædam sunt judicia famosa, ex quibus damnati famosi fiunt. Famosa judicia, alia proficiscuntur ex delicto, alia ex contractu, vel quasi contractu. Famosæ actiones ex delicto sunt actiones furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo. Damnati furti & aliis famosis judiciis ex delicto, fiunt infames, ex *hoc* §. *l.* 1. *& 6. ff. de his qui not. infam. l.* 5. §. 9. *de injur. l. ob carmen*, *de testib.* ubi damnatus ob carmen famosum est famosus & intestabilis. Et quidem in famosis judiciis, quæ ex delicto proficiscuntur, non modo damnati notantur infamia, sed etiam qui de his pacti sunt, data pecunia ; *dd. ll.* 1. *& 6. l. non damnatos*, *C. ex quib. cauſ. infam. irrogat.* quia, ut ait Paulus in *l.* 5. *ff. eod.* qui paciscitur, crimen confiteri intelligitur. Famosæ actiones ex contractu vel quasi contractu sunt mandati, depositi, pro socio, tutelæ. Damnati his judiciis notantur infamia, in his tamen judiciis, pacti non notantur infamia, quoniam in his causis, quæ veniunt ex contractu, non tam turpis est pactio, quam in aliis, quæ proficiscuntur ex delicto ; *l. in actionibus*, *ff. de his qui notant. infam.* Et hoc est quod dicitur in *hoc* §. plurimum interesse utrum quis ex delicto an ex contractu debitor sit ; cum hoc enim mitius, quam cum illo, agi æquum est. Ita condictiones non sunt famosæ, quamvis ex causis famosis pendeant ; *l. cessat*, *ff. de oblig. & act.* Ut condictio furtiva non est famosa, licet ex delicto proficiscatur, quia venit quasi ex contractu, nec pœnæ, sed rei persecutionem continet ; *l. si mulier*, §. *hæc actio*, *ff. rer. amotar.* Damnati tutelæ, mandati, depositi, non contraria, sed directa actione, infames fiunt, ex *hoc* §. *l.* 6. §. † *pen. ff. de his qui not. infam.* Contraria actio non est famosa, quia in contrariis non de perfidia agitur, sed de calculo, qui fere eodem judicio dirimi solet ; *l. in rebus*, §. †† *ſed etſi*, *ff. commodat. l. ei apud quem*, *depoſit.* Actio pro socio ab utraque parte directa est, & ob id quilibet ex sociis damnatus eo judicio, ignominia notatur, ex *hoc* §. *& l.* 1. *ff. de his qui not. infam.* Actio pro socio utrinque directa est, quia actio directa est, quæ datur potiori parti, at in societate non est potior pars ; societas enim omnes æquat.

†† §. iste desideratur. Extat vers. *At ſi*, v. si facit. V. etiam, §. *ult.* & in terminis, *l.* 6. §. *ult. de his qui notant. infam.*

§. *ult.*

Source : BIU Cujas

§. *ult.*

OMnium actionum instituendarum principium est in jus vocatio, ex *hoc* §. Lis nulla institui potest sine vocatione in jus seu citatione, & sententia lata sine citatione nulla est; *l. de unoquoque, ff. de re judicat. l. ea quæ, C. quomod. & quand. judex, l. meminerint, C. unde vi. cap. inter quatuor, de major. & obed.* Quod optima ratione institutum, ne reus indefensus damnetur, ac ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur, ut eleganter dicitur in *d. l. meminerint*. Olim vocatio in jus fiebat nudo verbo, sed hodie conventio fit per libellum tantum; §. *tripli*, supr. *de actionib. l. ult. C. de annal. except. l. quotiens, C. de dignitatib.* Conventio non fit sine præcepto judicis, & per idoneam personam, puta per apparitorem; *l.* *) *ult. C. de exhib. reis, cap. quoniam, de probat.* & conventio fieri debet ad personam vel domum, in faciem vel ad domum; *l. scire oportet*, §. 1. *ff. de excus. tutor.* quod constitutione regia sancitum est. Effectus conventionis est, quod per eam interrumpitur præscriptio; *l. sicut in rem, l. cum notissimi, C. de præscript. 30. ann. l. pen. §. pen. C. de recept. arbitr. cap.* † *ult. §. quod si super, ut lit. non contestat.* Reo in jus vocato, sequebatur editio actionis, id est actor edebat actionem reo, & ei significabat per libellum, qua actione, qua ex causa acturus esset; *l. edita, C. de edend. l. ult. C. de interdict.* Ex jure pontificio libellus conventionis debet continere causam obligationis & actionis, alioquin inanis est; *cap. 3. de libell. oblat. cap. pervenit, de censib.* Tum sequitur litis contestatio, quæ est litis seu judicii exordium, nec potest dici judicium, nisi lis contestata sit; *l. amplius, ff. rem rat. haber.* Litis contestatio fit per petitionem actoris in jure, id est pro tribunali judicis propositam, & contradictionem rei objectam; *l. 2. §.* †† *sin autem reus, C. de jurejur. propter calumn. l. rem non novam, §.* † *patroni, C. de judic. cap. unic. de lit. contest.* Litis contestatio est principium & basis totius judicii, ideo ante litem contestatam testes non audiuntur, & sententia definitiva non profertur; *cap. 1. & 2. ut lit. non contest.* Parentes & patroni, & patronorum parentes & liberi in jus vocandi non sunt sine venia prætoris, & si quis aliter vocaverit, pœna 50. solidorum, id est aureorum, multatur, ex *hoc* §. *& §. pœnales*, supr. *de actionib. l. 4. & ult. ff. de in jus voc.* Et hoc recte institutum propter reverentiam, quæ parentibus & patronis debetur, quæ in jus vocatione offenditur.

†† Desumitur potius ex initio *h. l.* ibi: *nisi post narrationem, & responsionem.*

De officio judicis.

CAP. XVII.

In princ.

TITULUS *hic* inscribitur de officio judicis, id est de officio judicis dati a prætore, vel alio magistratu; nam jure ordinario magistratus ipsi non judicabant, sed judices dabant ante constitutionem Diocletiani, ex qua placuit, ut præsides, in quibus causis ipsi antea judices dabant, notionis suæ examen adhiberent; *l. 2. C. de pedan. judicib.* & officium judicis pendebat ex formula, cui addictus erat a prætore. In judiciis enim ordinariis certæ erant formulæ, secundum quas judices dati sententiam ferrent; *l. actio, ff. de negot. gest.* Judex datus inserviebat formulæ, ejus officium non erat liberum, quia necesse

Source : BIU Cujas

habebat judicare ſecundum formulam, unde judex datus dicitur operam dare ; *l. ſi longius, ff. de judic.* idemque dicitur addictus ; *l. cum furioſus, l. ſi in judicis, ff. eod. l. debitor*, §. 1. *ad Trebellian.* Sed hodie officium judicis eſt laxius & liberius, quod non obſtringatur formulis, ex quo conſtitutione Conſtantini ſublatæ ſunt ſolemnes formulæ actionum ; *l.* 1. *&* 2. *C. de formul. ſublat.* Unde omnia judicia hodie ſunt extraordinaria ; §. *ult.* ſupr. *de interdict.* id eſt non adſtringuntur certis formulis, & eodem prorſus modo tractantur, quo olim judicia extraordinaria, in quibus nullæ erant certæ formulæ ; *d. l. actio*. Igitur officium judicis eſt poteſtas, quæ competit judici dato, eo ipſo quod judex datus eſt ; *l. ſi reus, ff. de procur. l. ædiles* 25. §. *item ſciendum, de ædil. edict.* ut jus dicentis ſive magiſtratus officium eſt, quod ei non lege datur, ſed jure magiſtratus competit ; *l.* 1. *ff. de jurisdict. l. cum prætor, de judic. l.* 1. §. 4. *de ſuſpect. tutor.* Officium autem judicis duplex eſt, aliud quod per ſe conſiſtit, & a DD. nobile appellatur, ut cum judex ex officio nemine denunciante in facinoroſos inquirit ; *l. congruit, ff. de offic. præſid. l. ſi quis in hoc, C. de Epiſc. & cleric.* Aliud quod actioni inſervit, & mercenarium vocatur, ut cum in judiciis bonæ fidei uſuræ veniunt ex mora, officio judicis ; *l. quæro, ff. locat. l. in bonæ fidei, C.* † *de uſur.* Et in actione in rem etiam fructus reſtituuntur, non vi & poteſtate actionis, ſed officio judicis ; *l. qui reſtituere, ff. de rei vindicat.* Quæ debentur officio judicis non ſunt in obligatione, & de his non eſt actio ; *l. Quintus Mucius*, in fin. *ff. de ann. legat.* Ad judicis officium pertinet, ne aliter judicet, quam ſecundum leges, aut conſtitutiones, aut conſuetudinem, ex *init. h. tit.* nimirum ubi lex ſcripta deficit ; nam deficiente lege, conſuetudo pro lege habetur ; *l. de quibus, ff. de legib.* Tertull. de coron. milit. cap. 4. *Conſuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex, nec differt ſcriptura, an ratione conſtat, quando & legem ratio commendet.*

§. I.

PErſæpe aliud eſt in actione, aliud in condemnatione officio judicis. Ut in noxali judicio, ſi ſervus noxam fecerit, actor pure & ſimpliciter petit litis æſtimationem, dominus ita condemnatur officio judicis, ut aut litis æſtimationem præſtet, aut noxam dedat, *ex hoc* §. *l.* 2. *C. de noxalib. act.* Damnatus decem aut noxam dedere, actione judicati tenetur in decem, ſed lege 12. tab. ei datur facultas noxæ dedendæ. Litis æſtimatio in condemnatione eſt, noxæ deditio in ſolutione ; *l.* 6. §. 1. *ff. de re judicat.* Noxæ deditio domino permittitur, quousque judicati conveniatur ; *l. item veniunt*, §. *idem recte, ff. de petit. hered.*

§. *etſi in rem*.

SI in rem actum ſit, judex addictus actioni in rem, ſi contra petitorem judicet, debet abſolvere poſſeſſorem, *ex hoc* §. Si judicetur contra actorem, reus id eſt poſſeſſor abſolvi debet, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, etiam ſi non probet rem ſuam eſſe ; §. *retinendæ*, ſupr. *de interdict. l. ult. C. de rei vindicat. l.* 2. *C. de probat.* Ideo in actione in rem prius quærebatur de poſſeſſione, uter ex litigatoribus eſſet poſſeſſor, ut ſciretur uter eſſet actor vel reus, propter commodum poſſeſſionis, quod in eo verſatur, quod poſſeſſori non incumbit onus probandi ; *d.* §. *retinendæ*. In actione in rem ſi judex contra poſſeſſorem judicet, jubere debet, ut rem ipſam reſtituat cum fructibus, ex *hoc* §. *l. certum eſt, C. de rei vindicat. l.* 2. *C. de fructib. & lit. expenſ.* Si quis hoc judicio rem reſtituere damnatus ſit, etiam ſi de fructibus reſtituendis nihil pronunciatum ſit, rem reſtituit cum fructibus ; nam verbum

Source : BIU Cujas

bum reſtituas, etſi nihil de fructibus ſpecialiter additum ſit, plenam habet ſignificationem, ut etiam fructus reſtituantur ; *l. in condemnatione*, §. *cum & verbum*, *de R. J. l. videamus* 38. §. *in Faviana*, *de uſur.* Si reſtituere juſſus judici non pareat, contendens ſe non poſſe reſtituere, ſi rem penes ſe habeat, manu militari officio judicis ab eo poſſeſſio in victorem transfertur, & fructuum omnisque cauſæ nomine condemnatio fit. Plane ſi non poſſit reſtituere, ſi quidem dolo fecit quominus poſſit, is quantum adverſarius in litem ſine ulla taxatione juraverit damnandus eſt. Si vero non poſſit reſtituere, nec dolo fecit quominus poſſit, non pluris quam quanti res eſt, id eſt quanti adverſarii interfuit, condemnandus eſt ; *l. qui reſtituere*, *ff. de rei vindicat.* Quod ſi poſſeſſor neget in præſenti ſe reſtituere poſſe, & ſine fruſtratione, id eſt non morandi cauſa, tempus reſtituendi cauſa petat, indulgetur ei officio judicis, ita ut caveat datis fidejuſſoribus de litis æſtimatione præſtanda, ſi intra tempus non reſtituerit, *ex hoc* §. Interdum etiam ex juſtis cauſis cognitio litis ſuspenditur, ut ſi inſtrumenta litis ſint apud eum, qui reip. cauſa abeſt, vel ſi unus ex litigatoribus patrem, vel filium, vel uxorem amiſerit ; *l. interdum*, *ff. de judic. l.* 3. *de in jus vocand.* vel ſi inſtrumenta litis ſint in provincia ; *l.* 1. *C. de dilat.* Poſt rem judicatam quoque condemnatis datur modicum tempus judicati faciendi cauſa, cum competenti cautela, id eſt præſtita cautione ſe ſoluturos intra diem ; *l. ſi debitori*, *ff. de judic.* Ex 12. tab. tempus judicati faciendi erat menſis unius, ſeu triginta dierum, qui dies juſti vocantur Gellio 15. *noct. Attic. cap.* 13. *&* 20. *cap.* 1. quod tempus modicum dicitur in *d. l. ſi debitori*. Ex conſtitutionibus judicati faciendi tempus fuit duorum menſium ; *l.* 1. *C. Th. de uſur. rei judic.* Conſtitut. Juſtiniani dati ſunt quatuor menſes judicati faciendi cauſa ; *l.* 2. *&* 3. *C. eod.* Non ſemper judex tempus legitimum judicati faciendi ſervat, quia id arctatur vel prorogatur arbitrio judicis ; *l.* 2. *ff. de re judicat. cap. quod ad conſultationem*, *eod. tit.* quo jure hodie utimur. In petitione hereditatis, quæ eſt actio in rem univerſalis, eadem circa fructus obſervantur, quæ in actione ſpeciali in rem, *ex hoc* §. id eſt in petitione hereditatis fructus una cum rebus ipſis reſtituuntur, quia fructus augent hereditatem, ſive ante, ſive poſt aditam hereditatem percepti ſint ; *l. item veniunt*, §. *item non ſolum*, *ff. de petit. hered. l.* 2. *C. eod.* In utraque actione in rem, ſpeciali, & univerſali, prædo ſeu malæ fidei poſſeſſor, qui prædonis animo res occupavit, reſtituit omnes fructus, ſive perceptos, ſive culpa ſua non perceptos, *ex hoc* §. *l. ſi fundum*, *l. certum eſt*, *C. de rei vindicat.* In utraque actione fructuum perceptorum, & non perceptorum, eadem ratio pene habetur in prædone ſeu malæ fidei poſſeſſore. Ait pene, ut intelligatis quasdam eſſe differentias. Prima eſt, quod in rei vindicatione non veniunt fructus percepti ante litem conteſtatam, niſi nominatim petiti fuerint ; *l. præterea*, *ff. de rei vindicat. l. ædiles* 25. §. *item ſciendum*, *ff. de ædilit. edict.* In petitione autem hereditatis veniunt etiam hi fructus, quoniam fructus omnes etiam ante litem conteſtatam percepti augent hereditatem ; *l. item veniunt*, §. *item non ſolum*, *l. heres furioſi*, §. 1. *ff. de petit. hered.* Secunda differentia eſt, quod in rei vindicatione fructus poſt litem conteſtatam veniunt, non vi & poteſtate actionis, ſed officio judicis ; *l. neque*, *ff. de uſur.* quia fructus poſtquam a ſolo ſeparati ſunt, non ſunt pars fundi, ſed quamdiu ſunt pendentes ; *l. fructus pendentes*, *ff. de rei vindicat.* At in petitione hereditatis omnes fructus etiam a ſolo ſeparati veniunt jure actionis, quia fructus augent hereditatem ; *d. l. item veniunt*. Bonæ fidei poſſeſſor evicta re, vel hereditate, non tenetur reſtituere fructus conſumptos, vel non perceptos ante litem conteſtatam, id eſt fructus quos percipere potuit, & non percepit, *ex hoc* §. *verſic. ſi vero*, *l.* 1. *C. de petit. heredit.* quia bonæ fidei poſſeſſor, quoad fructus attinet, pro domino habetur ; *l. qui ſcit*, §. 1. *ff. de uſur. l. bonæ fidei*, *de adquir. rer. dom.* Et

Source : BIU Cujas

cum bonæ fidei poſſeſſor eſſet, impune ei licuit quaſi rem ſuam negligere. Bonæ fidei poſſeſſor non tenetur reſtituere fructus perceptos & conſumptos ante litem conteſtatam, niſi ex his locupletior factus ſit ; *d. l.* 1. ergo tenetur reſtituere fructus extantes, non conſumptos ante litem conteſtatam ; *d. l. certum eſt*. Poſt litem conteſtatam bonæ fidei poſſeſſor fructus perceptos & conſumptos, vel culpa ſua non perceptos omnino reſtituere cogitur, *ex hoc* §. *verſic. poſt inchoatam*, *d. l.* 1. *d. l. certum eſt*, *l.* 2. *C. de fructib. & lit. expenſ.* Ratio eſt, quia poſt litem conteſtatam omnes poſſeſſores pares ſunt, & bonæ fidei poſſeſſor ab initio, incipit eſſe malæ fidei poſſeſſor, quia agnovit ſe rem alienam poſſidere ; *l. ſed etſi lege*, §. *ſi ante*, *ff. de petit. heredit.* A malæ fidei poſſeſſore fructus extantes vindicantur actione in rem, fructus conſumpti condicuntur condictione ex lege ; *l.* 4. §. *poſt litem*, *ff. fin. regund. l. mala fide*, *C. de condict. ex leg.* Quod dixi, de reſtituendis fructibus, ſic accipiendum eſt, ut ſumptus redigendorum fructuum cauſa facti deducantur, quia fructus non intelliguntur, niſi deductis expenſis ; *l. ſi a domino*, §. *ult. l. heres furioſi*, *ff. de petit. hered. l. quod in fructus*, *de uſur. l. fructus*, *ſolut. matrim. l.* 1. *C. de fructib. & lit. expenſ.* Idque non ſolum in bonæ fidei poſſeſſore locum habet, ſed etiam in prædone ; *d. l. ſi a non domino*, §. *ult. l. fundus qui* † *in princ. ff. famil. erciſcund.*

§. *ſi ad exhibendum.*

SIcut in actione in rem veniunt fructus percepti poſt litem conteſtatam, & aliæ acceſſiones, quia rem cum omni cauſa ſua reſtitui oportet, ita ut omne habeat actor, quod habiturus eſſet, ſi tempore litis conteſtatæ res ei reſtituta fuiſſet ; *l. præterea*, *ff. de rei vindicat.* ſic in actione ad exhibendum, quæ eſt præparatoria vindicationis, reus non liberatur rem exhibendo, ſed opus eſt rem exhiberi cum omni cauſa, quam habiturus eſſet actor, ſi ab initio res exhibita fuiſſet, *ex hoc* §. quia in actione ad exhibendum, exhibere eſt, rem in eadem cauſa præſtare, in qua fuit cum judicium acciperetur, id eſt tempore litis conteſtatæ. Ideò ſi inter moras exhibendi res uſucapta ſit a poſſeſſore, nihilominus is condemnabitur in id quod actoris intereſt, *ex hoc* §. *l. Julianus*, §. *proinde*, *ff. ad exhib.* uſucapio ſemel inchoata, litis conteſtatione non interrumpitur ; *l.* 2. §. *ult. ff. pro empt. l.* 2. *pro donat.* Sed ſi pendente lite res uſucapta ſit, & poſtea condemnatio ſecuta ſit, res poſt litem conteſtatam uſucapta, actori cum fructibus medii temporis reſtituitur, *ex hoc* §. *d. l. Julianus*, §. *proinde*, *l. ſi poſt*, *ff. de rei vindicat. l.* † *ſicuti autem*, §. *& ſi quidem*, *ſi ſervit. vindicet.* Fructus medii temporis ſunt fructus percepti a lite conteſtata usque ad ſententiam definitivam, *ex hoc* §. Si reus conventus ad exhibendum, ſine fruſtratione, id eſt non fruſtrandi ſeu morandi animo, petat tempus ad exhibendum, datur ei, ita ut caveat ſe reſtituturum, id eſt exhibiturum, *ex hoc* §. *l. de eo*, §. *ſi juſta*, *ff. ad exhibend.* In actione ad exhibendum, ſi res ſtatim exhiberi non poſſit, reus cavet ſatisdato ſe rem reſtituturum, id eſt exhibiturum ; in hac enim actione verbum exhibere reſtitutionis vim in ſe continet, quod res exhibenda ſit cum omni cauſa ſua ; *d. l. Julianus*, §. *quantum*. Quod ſi reus nec rem exhibeat, nec caveat ſe exhibiturum, condemnatur in id quod actoris interfuit rem ab initio exhibitam, *ex hoc* §. Conventus & damnatus actione ad exhibendum, ſi rem deteriorem exhibeat, quamvis ad exhibendum agi non poſſit, in factum tamen actio contra eum datur ; *l. exhibitionis*, *C. ad exhibendum*.

§. *ſi*

Source : BIU Cujas

§. *ſi familiæ*.

IN judicio familiæ erciſcundæ, judex huic judicio addictus ſingulas res ſingulis heredibus adjudicare debet. Quod ſi in alterius perſona prægravare videatur adjudicatio, id eſt res uni ex heredibus adjudicata ſit majoris pretii, quam adjudicata coheredi, tunc debet illum, qui rem pretioſiorem tulit, coheredi in certam pecuniam condemnare, æqualitatis conſtituendæ cauſa, ex *hoc* §. *l. Mævius*, §. *pen. ff. famil. erciſc.* Ubi arbiter familiæ erciſcundæ ſumptus inter duos coheredes, rebus hereditariis ſingulis heredibus in ſolidum adjudicatis, penſatione ultro citroque condemnationis facta, eum, cujus ſumma excedit, poteſt condemnare alteri ad finem ejus ſummæ, quæ excedit: quod ſi res commode dividi non poſſunt, poteſt judex res in ſolidum uni ex coheredibus adjudicare, & eum condemnare alteri in certam quantitatem pecuniæ, quanti pars eſt; *l. ſi familiæ*, *ff. eod.* Et ob id judicium familiæ erciſcundæ dicitur mixtum, tam in rem, quam in perſonam, quia in eo veniunt res, & præſtationes, quæ ſunt perſonales actiones; *l. item Labeo*, §. *familiæ* 4. *ff. eod.* Quod ſi in hereditate ſint nomina activa & paſſiva, ad officium judicis pertinet, ut ſingulis heredibus in ſolidum alia aliis adſcribat, quia ſolutio & exactio partium non minima incommoda habet; *l.* 3. *ff. eod.* Si unus ex heredibus ſolus fructus perceperit, judicio familiæ erciſcundæ fructus reſtituet coheredi pro parte ſua, ex *hoc* §. In judicio familiæ erciſcundæ fructus veniunt cum rebus hereditariis, quia eſt bonæ fidei judicium; *l. non eſt*, *C. famil. erciſc.* Et in hoc judicio veniunt præteriti quoque temporis fructus, id eſt fructus etiam percepti ante litem conteſtatam; *l. pen. ff. eod.* Si unus ex heredibus dolo vel culpa rem hereditariam corruperit, id eſt deteriorem fecerit, vel conſumpſerit, tenetur coheredi judicio familiæ erciſcundæ, ex *hoc* §. *l. & puto*, §. *ſed etſi*, §. *denique*, *ff. famil. erciſc. l. incerti*, *C. eod.* Et ſi unus ex heredibus bona fide ſumptus fecerit in rebus hereditariis, a coherede eos repetit pro parte ſua actione familiæ erciſcundæ, vel negotiorum geſtorum; *l. ex parte*, in princ. *ff. eod. l. filiæ*, §. 1. *C. eod.*

§. *eadem*.

IN judicio communi dividundo, ſi de pluribus rebus dividundis agatur, eadem obtinent, quæ in judicio familiæ erciſcundæ, ait Juſtinianus *hoc loco init. h.* §. id eſt res ſingulæ ſingulis adjudicari debent, & ſi res uni adjudicata ſit pretioſior, is ſociis in certam pecuniam eſt condemnandus, quod comprobat *l.* 1. *C. commun. divid.* Quod ſi de una re dividenda agatur, veluti de fundo, ſi quidem regionibus commode dividi poteſt, ſingulæ ejus partes ſingulis adjudicandæ ſunt: quod ſi unius pars potior ſit, alteri certa pecunia damnandus eſt, ex *hoc* §. *& d. l.* 1. Quod ſi res commode dividi non poteſt, tota uni adjudicanda eſt, & is alteri certa pecunia damnandus, ex *hoc* §. *& d. l. ſi familiæ*, *& l.* 3. *C. commun. divid.*

§. *pen.*

IN judicio finium regundorum, ſi fines agrorum commode dirimi non poſſunt, pars agri uni e confinibus adimitur, & alteri adjicitur, & cui adjudicatur, alteri certa pecunia condemnandus eſt, ex *hoc* §. *l.* 1. *& 2. ff. fin. regund.* Et hoc eſt quod dicitur *in d. l.* 2. ſi fines commode dirimi non poſſint, judicem controverſiam dirimere per adjudicationem, & condemnationem. Si quis ex poſſeſſoribus confinium agrorum quid circa fines dolo malo commiſerit, ut quia finales lapides ſuſtulit, vel arbores finales excidit, damnatur judicio finium regundorum, ex *hoc* §. Datur etiam actio de termino moto,

Source : BIU Cujas

quæ est criminalis, & extraordinaria; *l.* 2. *&* 3. *ff. de term. mot. l.* 4. §. 4. *fin. regund.* Contumaciæ nomine hoc judicio quis condemnatur, si jubente id est interloquente judice metiri agros passus non fuerit, ex *hoc* §. *l.* 4. §. 3. *ff. fin. regund.* Ad officium enim judicis de finibus cognoscentis pertinet mensores mittere, & per eos dirimere ipsam finium quæstionem, ut æquum est, & oculis suis subjectis locis, si ita res exigit; *l. si irruptione*, §. 1. *ff. eod.* Etiam recusante altero litigantium permittitur judici mittere agrimensorem, per quem tota de finibus quæstio terminetur; *l.* 3. *C. eod. l.* 1. *C. Th. eod.* Causa finium plerumque dirimebatur per agrimensores, nec requirebat cognitionem præsidis; *l. causas*, *C. Th. de jurisdict.* Ideoque flumina censitorum vel agrimensorum vice fungi dicuntur, ut ex privato in publicum, vel ex publico in privatum, vel ex alio in alium addicant; *l. ergo si insula*, §. *alluvio*, *ff. de adquir. rer. domin.* Cassiodor. 3. var. epist. 52. *Agrimensori vero finium lis orta committitur, ut contentionum protervitas abscindatur. Judex est utique artis suæ, gressibus suis concertantium jura discernit, & more vastissimi fluminis aliis spatia tollit, aliis plura concedit.*

§. *ult.*

QUod his tribus judiciis familiæ erciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum, alicui adjudicatum fuerit, id statim ejus fit cui adjudicatum est, ex *hoc* §. Jure civili adjudicatione, quæ fit in his judiciis, statim dominium transfertur; Ulpian. *libr. regular. tit.* 19. §. 16. Statim id est ante traditionem. Ratio est, quia adjudicatione, quæ fit per judicem in his judiciis, contrahitur necessaria emptio venditio; *l. si pignori*, *ff. famil. erciscund.* Præter hos casus nullus est alius, ex quo adjudicatione transferatur dominium; sententia enim non tribuit jus, sed declarat. Per sententiam non debet servitus constitui, sed quæ est declarari; *l. sicuti autem*, §. *& si quidem*, *ff. si servit. vindicetur.*

De publicis judiciis.

CAP. XVIII.

In princ.

ALIA sunt judicia privata, alia publica. Privata sunt, quæ redduntur de rebus privatis, vel unum judicem habent, eumque privatum, qui dari solet a prætore de litigantium consensu. Publica sunt, quæ constituuntur de publicis causis, in quibus prætor ipse complures judices certa lege sortitur; Quintil. 3. instit. cap. 10. *Quod nunc in judiciis publicis non accidit, quoniam prætor certa lege sortitur: Principum autem & senatus cognitionibus frequens est: & populi fuit. Privata quoque judicia sæpe unum judicem habere multis & diversis formulis solent.* Et idem lib. 4. cap. 2. *Nam quid in plerisque judiciis privatis de re certa credita, locato & conducto, interdictis habere loci potest, supra modum se tollens oratio.* Item privata judicia sunt, quæ de privatis delictis constituta sunt, ut de furto, rapina, damno, injuriis, de quibus suis locis dictum est. Publica judicia sunt, quæ legibus publicorum judiciorum constituta sunt, ut lege Julia de adulteriis, Cornelia de sicariis, & ex iisdem legibus certam pœnam habent; *l.* 1. *ff. h. tit. l. hæc stipulatio*, *de V. S.* Unde olim a pœna non erat appellatio, quia pœna erat certa a lege; *l. alud*

fraus

Source : BIU Cujas

fraus est, l. si qua pœna, ff. de V. S. M. Tull. Verr. 3. *Proscriptum juvat, lex est, pœna est, quid ad eum qui jus dicit?* Hodie judicia omnia etiam criminalia sunt extraordinaria, id est extra ordinem peraguntur, omisso ordine solemni exercendorum publicorum judiciorum, & pœnæ a legibus statutæ non veniunt, sed extra ordinem infliguntur, arbitrio judicis pro modo delicti; *l. ordo, ff. h. tit. l. hodie, de pœn.* Unde & hodie a pœna appellatur, & pro damnato etiam invito & resistente quilibet appellare potest, quia non auditur perire festinans; *l. non tantum, ff. de appellat.* In Gallia si reus damnatus non appellet, non cuilibet e populo appellare permittitur, quia non est locus actionibus popularibus, sed hoc casu procurator fisci appellat, quasi a minori id est quasi a leviori pœna. Judicia publica longe aliter constituuntur & exercentur, quam privata. Judicia privata per certas actiones ordinantur. Judicia publica non ordinantur per actiones, ut proponit Justinianus *init. h. tit.* sed tribus modis, vel per accusationem, vel per denunciationem, vel per inquisitionem, quæ fit officio judicis, nemine denunciante; *cap. qualiter, de accusat. cap. licet Heli, de simon.* Hoc interest etiam, quod de privatis delictis & civiliter, & criminaliter agi potest; *l. ult. ff. de furt. l. ult. de injur.* At de publicis judiciis, seu criminibus, criminaliter tantum agi potest, non civiliter.

§. I.

PUblica judicia sic dicta sunt, quod cuivis e populo executio eorum plerumque datur, *ex hoc* §. id est quorum exercitio datur cuivis e populo, unde judicia publica dicuntur ea, quæ publicam exercitionem, & coercitionem capitalem habent; *l.* † 2. *ff. h. tit.* Ait plerumque, judicio enim publico cuilibet accusare permittitur, nisi cui lege aliqua vetitum est, ut mulieribus, impuberibus, famosis, & aliis; *l. palam*, §. *senatus, de rit. nupt. l.* 8. *& seqq. de accusat.* Judicium publicum est, quod a quolibet ad accusandum idoneo intentari potest; *l. quamvis* 30. *C. ad l. Jul. de adulter. l. lege Cornelia* 30. † *ff. ad leg. Cornel. de falsi.*

§. *publicorum.*

PUblica judicia, alia sunt capitalia, alia non capitalia. Capitalia sunt, quæ mortis, vel aquæ & ignis interdictionem, vel deportationis, vel metalli pœnam irrogant, ex *hoc* §. *l.* 2. *ff. h. tit. l.* 2. *de pœn. l. licet* 103. *de V. S.* Non capitalia sunt, quæ infamiam tantum irrogant, cum damno pecuniario, id est multa pecuniaria, ex *hoc* §. Adde & cum modica coercitione, ut fustigatione; *l.* 2. *ff. h. tit.* Pœna infamiæ proprie non est capitalis, licet omnis causa existimationis capitalis videatur; *d. l. licet.*

§. *publica.*

PUblica judicia sunt hæc. Judicium legis Juliæ majestatis, cui locus est si quis contra Principem vel rempublicam aliquid molitus sit, ex *hoc* §. *l.* 1. *ff. ad l. Jul. majestat.* Quod proprie vocatur crimen perduellionis, quod hostes a veteribus perduelles dictitabantur. Qui hujus criminis reus est, hostili animo adversus Principem vel rempublicam se habet; *l. ult. ff. eod. l. quos nos hostes, de V. S.* Pœna hujus criminis est pœna capitis, & memoriæ rei etiam post mortem damnatio, ex *hoc* §. Cetera fere crimina morte extinguuntur, si reus ante condemnationem decesserit. Excipitur crimen perduellionis, in quo si reus ante sententiam mortuus sit, ejus memoria damnatur, & bona fisco vindicantur; *d. l. ult. & l. in senatusconsultum*, §. *si propter, ff. ad Turpill. l.* 3. *l. defuncto, ff. h. tit. l. pen. & ult. C. si reus vel accusator*

Source : BIU Cujas

mort. fuer. Hac de re Tacit. 16. annal. *Accusati post sepulturam, decretumque, ut more majorum punirentur.* Alia hujus criminis pœna est, quod perduellionis damnatus non solet lugeri; *l. liberorum*, §. *non solum*, *ff. de his qui not. infam.* & damnatorum majestatis corpora non sepeliuntur; *l. 1. ff. de cadaverib. punit.* Rei perduellionis cujuscumque dignitatis sint torquentur; reatus enim tollit dignitatem; *l. decuriones*, *C. de quæstionib.* Ammian. lib. 19. *Ubi majestas pulsata defenditur, a quæstionibus vel cruentis nullam Corneliæ leges exemere fortunam.* Et idem lib. 28. *Uno proloquio in hujusmodi causas, quas arroganti proposito majestatis imminutæ miscebat, omnes quos prisci juris justitia, divorumque arbitria quæstionibus exemere cruentis, si postulasset negotium, statuit tormentis affligi.* Item in crimine majestatis quilibet testes audiuntur, etiam infames, criminosi, & servi adversus dominos; *l. famosi*, *ff. ad l. Jul. majestat. l. pen. C. eod. l. pen. C. de his qui accus. non poss.* quia in crimine majestatis etiam servis honesta proditio est; *l. 2. C. Th.* † *ne præter crim. majest. &c.* Et reus majestatis potest a quolibet impune interfici; *l. 2. C. quand. liceat unicuiq. sine judice se vindicare.* Tertull. apologetic. cap. 2. *In reos majestatis, & publicos hostes, omnis homo miles est.* Præter pœnam capitis, damnatorum majestatis bona omnia fisco vindicantur; *l. quisquis*, *C. ad l. Jul. majest.* Immo & constitutione Francisci I. ob crimen majestatis etiam bona subtitutioni vel reversioni obnoxia confiscantur. Damnatorum liberi utriusque parentis, & avi, propinquorum, etiam extraneorum hereditatis incapaces sunt, ut his perpetua egestate sordentibus sit mors solatium, & vita supplicium; *d. l. quisquis*, §. 1. Tamen damnato marito, & bonis publicatis ob crimen perduellionis, salva est dos uxori, ne alieni delicti pœnam sustineat; *d. l. quisquis*, §. *uxores*, *l. in his rebus*, *ff. solut. matrim. l. res uxoris*, *C. de donat. inter vir. & uxor.*

§. *item lex Julia.*

JUdicium publicum est judicium legis Juliæ de adulteriis, ex *hoc* §. Hinc olim adulterii accusatio patebat cuilibet extraneo, tametsi viro lenocinii non postulato; *l. vim passam*, §. 1. † *ff. ad l. Jul. de adulter.* Sed constitutione Constantini adulterii accusatio permittitur tantum proximis necessariisque personis, ne cuique temere liceat fœdare aliena connubia. Hoc est permittitur patri, fratri, patruo, avunculo, in primis marito, etiam sine vinculo inscriptionis, quia maritus est vindex genialis tori; *l. quamvis* 30. *C. eod.* Tertullian. de cult. feminar. *Omnis maritus castitatis exactor est.* Hodie in Gallia solus maritus potest uxorem accusare adulterii, non alius, ne quidem procurator fisci, ne bene concordans matrimonium turbetur; *l. 1. §. ult. ff. de liber. exhiben.* Adeoque mortuo marito lite non contestata, heres mariti non admittitur ad accusationem adulterii, quia heres morum coercitionem non habet; *l. rei judicatæ*, §. 1. *ff. solut. matrim.* Lex Julia de adulteriis auctorem habet D. Augustum; *l. 1. ff. ad l. Jul. de adulter.* Tranquill. *in August. cap.* 34. Lege Julia adulterii pœna non fuit capitalis, ne quidem deportatio, sed relegatio tantum, ut colligitur ex *l. si quis viduam*, *ff. de quæstion.* ubi adulterium cum incestu conjunctum deportatione coercetur, quia duplex crimen est, tum ex eo quod lege Julia adulterii damnata mulier testis esse prohibetur; *l. ex eo quod*, *ff. de testib.* Lege Julia quoque capitalem non fuisse adulterii pœnam argumento est, quod Augustum ipsum suas leges excessisse, adulteros filiæ, & neptis culpando, ait Tacit. 3. annal. *Augustus culpam inter viros ac feminas vulgatam, gravi nomine læsarum religionum, ac violatæ majestatis appellando, clementiam majorum, suasque ipse leges egrediebatur.* Ex constitutionibus postea adulterii pœna facta est capitalis: primus Constantinus sacrilegos, seu corruptores alienarum nuptiarum gladio multavit; *l. quamvis* 30. *C. ad l. Jul. de adul-*

Source : BIU Cujas

adulter. Ante Constantinum nota fuit pœna capitis in adulterio; *l.* † *castitati*, C. *eod.* Arnob. 4. adverſ. gentes: *Ad libidinem homines, atque ad voluptatum blandicias naturæ infirmitate proclives, adulteria tamen legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera, genialis ſe lectuli expugnatione jeciſſe.* Quod igitur Juſtinianus ait *hoc loco*, lege Julia de adulteriis temeratores alienarum nuptiarum gladio puniri, non eſt ex ipſa lege Julia; ſed ex conſtitutionibus legem Juliam ſecutis, quæ pœnam capitis adulterio irrogarunt. Jure noviſſimo adultera virgis cæſa in monaſterium detruditur; *auth. ſed hodie, C. ad l. Jul. de adulter.* Conſtantinopoli inſtitutum a Juſtiniano monaſterium mulierum pœnitentium, quod μετανοίαν vocitavit Procop. *de ædific. Juſtinian.* In Gallia vero adulterium non eſt capitale, ut notat Jo. Faber *hic*, & *in* §. *ex non ſcripto*, ſupr. *de jur. nat.* Lege Julia etiam ob adulterium mulier amittit dotem; *l. cum mulier, ff. ſolut. matrim. l. miles*, §. † *ſocer, ad l. Jul. de adult. l.* † *ult. C. eod. l. conſenſu*, §. *hæc niſi*, §. *virum, C. de repud. cap. plerumque, de donat. inter vir. & uxorem*, Senec. 2. controv. 1. *Dotata judicio veſtro, ut multiplicatam dotem perdat.* Horat. 1. ſermon. ſatyr. 2. (131.)

† In edit. Gothofr. *penult.*

.... *hæc metuat, doti hæc deprenſa, egomet mi.*

Varia fuere capita legis Juliæ. Primum fuit de adulteris. Secundum de maſculorum concubitoribus, & in hanc ſententiam Auguſtum leges ſanxiſſe de adulteriis, & de pudicitia, ſcripſit Tranquill. *loco modo laudato*, quod lege Julia etiam puniebantur impudici, id eſt qui neſariam cum maſculis libidinem exercebant, ut ait Juſtinianus *hoc loco*. Impudicitiæ enim nomine continebatur hoc genus crimiuis; Senec. 4. controverſ. in procem. *Impudicitia in ingenuo crimen eſt, in ſervo neceſſitas, in liberto officium.* Tertium caput legis Juliæ fuit de ſtupro, eadem lege punitur etiam ſtupri flagitium, ut ait Juſtinianus *hic*, & Papinian. in *l. 6. ff. ad l. Jul. de adulter.* ubi ait, legem Juliam locum habere inter liberas perſonas adulterium ſtuprumve paſſas. Adulterium hoc differt a ſtupro, quod adulterium cum nupta committitur, ſtuprum in virgine vel vidua, ut *hoc loco, & d. l. 6.* §. 1. *& l. ſtuprum, ff. eod. l. inter ſtuprum, ff. de V. S.* Lege Julia ſtupri pœna, ſi reus ſit honeſtior, eſt publicatio dimidiæ partis bonorum, ſi humilis corporis coercitio, *ut eſt in fin. h.* §.

§. *item lex Cornelia de ſicariis.*

ITem judicium publicum eſt judicium legis Corneliæ de ſicariis. Hac lege tenentur homicidæ, & hi, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulant, ex *hoc* §. *l.* 1. *ff. ad l. Cornel. de ſicar.* Telum eſt quodcumque manumittitur nocendi cauſa, ſive lapis, ſive lignum, aut ferrum, ex *hoc* §. *l. pen. ff. ad l. Juliam de vi public. l. ſi calvitur*, §. 2., *ff. de V. S.* Sicarii autem appellantur a ſica, quod eſt ferrei cultri genus, ut ait Imperator *hic*, & Joſeph *libr.* 20. *cap.* 7. Lege Cornelia irrogatur pœna capitis, quod Juſtinianus ſcripſit referendo ſe ad jus conſtitutionum; nam pœna legis Corneliæ fuit deportatio, & omnium bonorum confiſcatio, ſed poſtea pœna capitis introducta eſt, exceptis honeſtioribus perſonis, in quibus pœna legis Corneliæ ſervata eſt; *l.* 3. §. *pen. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* Eadem lege capite damnantur venefici, qui malis artibus, tam venenis, quam ſuſurris magicis, homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint, ex *hoc* §. *& d. l.* 3. Plus eſt hominem extinguere veneno, quam occidere gladio; *l.* 1. *C. de malefic. & mathematic.* Ex interpretatione ejusdem legis mala medicamenta, & venēna, & libri improbatæ lectionis, magici forte, non veniunt in judicium familiæ erciſcundæ, ſed ſtatim corrumpuntur officio judicis; *l.* 4. §. 1. *ff. famil. erciſc.*

Source : BIU Cujas

§. *alia deinde.*

JUdicium publicum est judicium legis Pompeiæ de parricidiis: hac lege tenetur qui parentes, vel liberos, vel eos, qui parentum appellatione continentur, occiderit, ex *hoc* §. *l.* 1. *ff. ad leg. Pomp. de parricid. l. un. C. de his qui parent. vel liberos occid.* Eadem lege tenetur & conscius parricidii, licet extraneus sit, ex *hoc* §. *l. utrum, ff. ad leg. Pomp. de parricid.* Pœna parricidii est, ut damnatus insutus in culleum cum cane, gallo, vipera, & simia in flumen, vel in mare mittatur, ex *hoc* §. *l. pen. ff. eod. d. l. unic.* & apud M. Tull. *pro Sext. Roscio*, quæ pœna tribuitur legi Pompeiæ a Justiniano. Rectius † Modestinus in *d. l. pen.* dixit, eam more majorum institutam, nam pœna legis Pompeiæ, eadem fuit quæ legis Corneliæ de sicariis; *d. l.* 1.

§. *item lex Cornelia de falsis.*

JUdicium publicum est judicium legis Corneliæ de falsis, quæ vocatur etiam testamentaria *hoc loco & in l. lege Cornelia* 30. *ff. ad l. Cornel. de fals.* quod in primis in ea cavetur de falso in testamentis commisso; nam pertinet & ad falsam monetam; *l.* 8. *&* 9. *ff. eod.* unde lex Cornelia eadem vocatur testamentaria nummaria M. Tull. *Verr.* † 1. 42. Lege Cornelia pœna falsi fuit capitalis; *l.* 1. *&* 5. *C. eod.* Ex constitutionibus pœna falsi in liberis personis est deportatio & publicatio omnium bonorum, in servis pœna capitis; *l.* 1. §. *ult. ff. eod.* Ex constitut. Constantini pœna falsi est deportatio, vel capitale supplicium, si id exigat atrocitas commissi; *l. ubi*, C. *eod.* Quod igitur dicitur in *fine hujus* §. pœnam legis Corneliæ de falsis esse deportationem, hoc nequaquam intelligendum de ipsa lege Cornelia, sed de constitutionibus ad eam factis.

§. *item lex Julia de vi publica.*

JUdicium publicum est judicium legis Juliæ de vi publica & privata. Vis publica est, quæ armis committitur. Vis privata, quæ infertur sine armis, ex *hoc* §. & §. *recuperandæ*, supr. *de interdict.* Hac lege, privato cum telo in publico esse non licebat; *l.* 3. §. 1. *l. qui dolo, ff. ad l. Juliam de vi publ.* Pœna legis Juliæ de vi publica est aquæ & ignis interdictio; *d. l. qui dolo*, §. *ult.* M. Tull. Philippic. 1. (9.) *Quid, quod abrogatur legibus Cæsaris, quæ jubent, ei, qui de vi, itemque ei, qui majestatis damnatus sit, aqua & igni interdici?* Huic pœnæ succesit deportatio, ex *hoc* §. Pœna legis Juliæ de vi privata, est publicatio tertiæ partis bonorum, ex *hoc* §. *d. l.* *) *qui dolo*, §. *ult. l.* 1. *& ult. ff. ad l. Jul. de vi privat. l. hos accusare*, §. *omnibus, de accusat.* Raptus virginum, viduarum, vel sanctimonialium capite multatur, ex constitut. Justiniani, ex *hoc* §. *& l. unic. C. de rapt. virgin.*

§. *item lex Julia peculatus.*

JUdicium publicum est judicium legis Juliæ peculatus. Peculatus est furtum pecuniæ publicæ, vel sacræ, ex *hoc* §. *l.* 1. *&* 4. *ff. ad l. Jul. peculat.* Cornific. 1. ad Herenn. *Si quis peculatus accusatur, quod vasa argentea publica, de loco privato dicatur sustulisse, possit dicere, cum definitione sit usus, quid sit furtum? quid peculatus? secum furti agi, non peculatus oportere.* Et Augustin. in Joann. cap. † 12. tract. 50. *Si crimina discernuntur in foro, qualiscumque furti & peculatus; peculatus enim dicitur furtum de re publica, & non sic, judica-*

Source : BIU Cujas

dicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ. Peculatus pœna fuit aquæ & ignis interdictio, cui succeſſit deportatio, ex *hoc* §. *& l.* 3. *ff. eod.* Quod ſi judex tempore adminiſtrationis pecuniam publicam ſubtraxerit, ex conſtitutionibus gravius punitur, nempe capite, ex *hoc* §. *l. unic. C. de crimin. peculat.* Non abs re lex eſt de judice, qui pecuniam publicam adminiſtrat, nam rectores provinciarum, qui judicum nomine veniunt; *l. unic. C. ut omnes judic.* non ſolum judiciis præerant, ſed & exactioni tributorum & vectigalium; *l.* 4. *C. de annon. & tribut. l. in fiſcalibus, C. de exactor. tributor. nov. Juſtin.* 116. Dio. *lib.* 53. *&* Philo *in Flaccum.*

§. *eſt & inter.*

JUdicium publicum eſt & legis Fabiæ de plagiariis. Pœna legis Fabiæ de plagio tenentur, qui dolo ſcientes liberos homines, aut ſervos alienos intercipiunt, quod genus criminis plagium, Græcis, ἀνδραπόδισμος, dicitur. Lege Fabia pœna plagii fuit pecuniaria, ex conſtitutionibus extraordinaria & arbitraria pro modo delicti, interdum capitis, plerumque metalli, ex *hoc* §. *& l. ult. ff. ad l. Fab. de plagiar. l. quoniam, l. ult. C. eod.* Cognitio plagii, quaſi connexa quæſtioni ſtatus, quæ eſt de majoribus cauſis, pertinebat ad notionem præſidis; *l.* 4. C. *eod.* Athenis de plagio judicabat Areopagus; Lucian. in vitar. auctione ὁ χῆρυξ πῶς ἔφης πωλεῖς τὸν ἐλεύθερον, εἶτα ὃ δέδιας μὴ σοι δικάσηται ἀνδραποδισμὸ, ἢ καὶ προκαλέσηται σε, ἐς ἄρειον πάγον; *Quid dixiſti præco, tu ne liberum hominem vendis, an non times plagii te accuſet, aut in Areopago tibi litem intendat?*

§. *ult.*

PRæterea judicium publicum eſt legis Juliæ de ambitu. Hac lege tenentur, qui per ambitionem, id eſt per gratiam & ſordes, honorem magiſtratumve ambiunt: hujus pœna fuit deportatio; *l. unic. C. ad l. Jul. de ambitu.* Hæc lex hodie ceſſat, quia magiſtratuum creatio ad curam Principis pertinet, non ad populi favorem; *l. un. ff. eod.* Item judicium publicum eſt legis Juliæ repetundarum. Hac lege tenetur, qui in magiſtratu, vel quolibet officio publico, pecuniam illicite accepit; *l.* 1. *ff. ad l. Jul. repetund.* Quod genus criminis, noſtri vocant concuſſionem. Hujus criminis pœna eſt extraordinaria, interdum capitis; *l.* 7. §. *ult. ff. eod.* quandoque in quadruplum; *l.* 1. *C. eod.* Hæc lex edita eſt ad coercendam avaritiam Romanorum magiſtratuum; Hieronym. in Eſaiam cap. 2. *Nihil Romanorum gente eſt avarius, inde & repetundarum lex conſtituta eſt.* Æque judicium publicum eſt legis Juliæ de annona. Hac lege tenentur, qui dolo faciunt, quo annona carior fiat; *l.* 2. *ff. ad leg. Jul. de annona.* Hi dardanarii dicuntur; *l. annonam, ff. de extraord. crim.* & iidem dicuntur annonam flagellare, adtemptare, vexare, onerare; *d. l. annonam,* incendere, excandefacere; M. Cato 3. de re ruſtic. cap. 2. *Collegiorum cœnæ, quæ tunc innumerabiles, excandefaciebant annonam,* & mox, *incendunt annonam.* Unde annonæ incendium, coemptio frugum, quo annona carius veneat; Manil. libr. 4.

Et gravia annonæ ſpeculantem incendia.

Hujus criminis pœna eſt viginti aureorum; *d. l.* 2. Sed plerumque extraordinem pœna infligitur; † *l. in dardanarios, ff. de pœn.* Denique judicium publicum eſt legis Juliæ de reſiduis. Hac lege tenetur, qui pecuniam publicam delegatam in uſus publicos ſibi retinuit, & in proprios uſus conſumpſit; *l.* 2. *&* 4. §. *ſed & qui, ff. ad l. Jul. peculat.* Hac lege damnatus, amplius tertia parte, quam debet, punitur; *d. l.* 4. §. *qua lege*, id eſt reſtituit eam

Source : BIU Cujas

quantitatem pecuniæ, quæ apud eum reſidua eſt, & eo amplius tertiam ejuſdem quantitatis partem.

Et hæc de judiciis publicis ſummo digito, & quaſi per indicem ſe attigiſſe, ait Juſtinianus in *calce h. tit.* & pleniorem eorum ſcientiam ex libris digeſtorum petendam fuggerit. Ait quaſi per indicem, id eſt per ſummas & apices titulorum juris, qui pertinent ad judicia publica; veteres enim indices vocabant titulos librorum; M. Tull. 2. (14.) de oratore: *In Philoſophos veſtros ſi quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod ſunt fere inſcripti de rebus notis & illuſtribus, de virtute, de juſtitia, de honeſtate, de voluptate, verbum prorſus nullum intelligo.*

FINIS.

Laus Deo, Honor & Gloria.

Source : BIU Cujas